
GAUDEO.

£1 1 0

2° Ed. –

[illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] en honor de

Santa Rosa de [illegible]

Lacks engraving of Sta Rose of Lima, see Medina BHA III 1699. Leaf (3) of the preliminaries should precede leaf (2)

not in Ternaux.

VITA MIRABILIS
MORS PRETIOSA
SANCTITAS THAVMATVRGA
INCLYTAE VIRGINIS
S. ROSÆ PERVANÆ
EX TERTIO ORDINE S.P. DOMINICI,

pridem ex autenticis approbatorum Processuum documentis excerpta & collecta

PER P. MAGISTRVM

F. LEONARDVM HANSEN

Prouincialem Angliæ, & Socium Reuerendissimi P. Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum.

EDITIO TERTIA AC NOVISSIMA

Ab Autore recognita, mendis expurgata, notisq; marginalibus & numeris ad commodiorem vsum interstincta. Denique CLEMENTIS X. Pont. Max. solemni Bulla Canonizationis integrè sub finem adnexa.



ROMAE, Typis Nicolai Angeli Tinassij. MDCLXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

AVTORIS
AD BENEVOLVM LECTOREM
Prolępsis.

VEtus adagium eſt, *Crambem bis coctam* meritò faſtidiri. Hoc timere poteram huius Operis iteratæ poſtque tot annos repetitæ Editioni, niſi hanc à me *recoquendam* peteret ac repeteret multorum erga ROSAM inſaturata deuotio, quæ latina primæ impreſſionis exemplaria dudum abliguriuit. Illam ſuccedanea quidem & ſucculenta eruditorum Interpretum facundia non parùm adiuuit, cum eam transfudit in varia penè totius Europæ idiomata, vt ROSA noſtra etiam hoc titulo fieret *lectiſſima*: nam Italicas verſiones tres me vidiſſe memini, Hiſpanicas duas, Polonicam, Belgicam, Germanicam, tandem & Gallicam, tametſi breuiorem, & nihilominùs adhuc ſuperſunt qui editionis latinæ recoctam paropſidem velut in Tragema exigant; vnde conijcio, ſaltim nauſeabundæ ſaturitatis abeſse periculum. Vt vt ſit, mihi, quamquam inerti Magiro & iuſsum & iuſtum eſt retentare prœlum, quòd ſperem, nouiſſimam hanc editionem aliquorum palato non minùs gratam ſapidamque fore, vtpote priori aliquantulùm *iurulentiorem*.

Apertiùs dicam: primæ editioni *ius* adhuc deerat compellandi ROSAM titulis *Beatæ* & *Sanctæ*, quia tunc nondum Romani Pontifices *Clemens* IX. ac X. *Ritu ſolemni* hos pronunciarant. Nunc verò, poſteaquàm ex adytis Vaticanis publicus *Beatificationis*, demum & *Canonizationis* honor acceſſit *Virgini* ROSAE, epitheton *Beatæ* (in anteriori editione cautè omiſsum) hìc pleniori Tudicula & iure ſuperfundo: ac denique aromaticum *Sanctæ* epitheton cumulatim inſpergit Canonizationis Bulla Clementina huic libro ſub finem integrè fideliterq; adiecta, quæ ceu vltimum iſtius Hiſtoriæ condimentum puto efficiet, ne vel recocta faſtidiatur.

Impri-

Imprimatur

Si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sac. Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur

F. Raimundus Capisuccus Ordinis Præd. Sacri Palatij Apostolici Magister.

Reu.mo Patri Noſtro

F. ANTONIO DE MONROY

Ordinis Prædicatorum primo ex Indijs

MAGISTRO GENERALI

infimus eiuſdem Ordinis profeſſor

FRATER LAVRENTIVS MVÑOZ LIMENSIS Prouinciæ S. Ioannis Baptiſtæ del Perù, S.T.M. Salutem & floridam à S. ROSÆ præſidio felicitatem.

SCitur, glorioſæ mem. CLEMENTIS IX. optimi Pontificis mentem fuiſſe atq; conſilium, quòd latina *Synopſis* de Vita & prodigijs B. ROSÆ pridem edita, rurſus (: at folijs typiſq; grandioribus) excuderetur. Huc-vſq; dilatum eſt opus; verùm diutiùs à me differri non debuit iſte qualiſcumque honor *Conciuis meæ.* Redit igitur in Orbis conſpectum ROSA PERVANA, ſed formis paululùm auguſtioribus, dum & ipſa iam formoſior anguſtiorq; nobis facta eſt poſt Apotheôſim. Nec mireris *Reuerendiſs. Pater*, quòd à prœlo nouiſſimo rectà primòq; ad Te properet Opus rediuiuum; nam vt alia diſſimulem, quidni ſeſe vltrò inſinuet primo ex Indijs Generali ſui Ordinis Magiſtro *primus Indiarum flos Sanctitatis*?

nempe

nempe hunc Virginis *Rosæ* titulum cusis numismatibus impressum voluit Clemens IX. Eadem nunc sub hoc lemmate familiariùs Tibi adhalat, qui solùm in hoc præes Ordini, vt rosea florescat Sanctitate. Pontum execratur Tertullianus *, eò quòd fuerit natale solum fœtentis Hæresiarchæ: *Nihil* (inquit) *tam barbarum aut triste apud Pontum, quàm quòd illic Marcion natus est*. Refert ex aduerso Plutarchus *, Metellum dicere solitum, *debuisse Populum Rom. Dijs gratias agere, quòd Scipio Vir tantus alia in Vrbe non fuerit natus*. Hanc nos gratiarum-actionem Deo vnico & vero debemus pro ROSA & pro Te. Si quis hodie Menalcas * interroget.

* Libr. 1. contra Marcionem.

* Libr. de piet. erga Frat.

* Apud Virgil. Ecloga 3.

--- *Quibus in terris inscripti nomina Regum*
Nascantur Flores?

promptè satisfaciemus ænigmati nostram ostendendo *Americam*, vbi vt *Lima Regum ciuitas* coronatam Rosam, ita *Mexicum* Te nascentem inscripsit *Monroy* agnomine Regio. Felicem vtriusq; Floris patriam intercurrente sola Æquatoris linea idem confibulat *Zonæ torridæ* amplexus. Vtriusq; natale solum cis & vltra includunt Solstitiales metæ quas *Tropicos* appellamus. Australem vtriusq; Regni marginem adlambit placidè *Mare pacificum*. Vtrobiq; hyemis austeritatem abigit Ver perpetuum. Quid mirum, tam egregios regiosq; flores inde ad lætificandam Europam prosilijsse? At manum de tabula. Neq; enim tua etiam in summo fastigio constans modestia patitur, vt in tuarum virtutum iusta encomia vel obiter excurram.

Itaque Reuerendissime Pater, quantùmcumque sis ab acceptandis muneribus alienus, hoc saltim à filio tantopere Tibi obærato dignare munusculum. De meo nil adfero dum Rosam horti Tui offero tot nominibus *Tuam*. Denique vt ausim, opportuna me animat Pierij Valerij obseruatio *: *Rosam* (: ait ille) *Indorum magi tantì fecerunt, vt ad conciliandos Principum animos nulla alia re libentiùs quàm rosis vterentur*. Hìc sileo. Interea vale P. Reuerendissime vt multi valeamus.

* Lib. 55. cap. 8.

AV-

SYNOPSIS
ADMIRABILIS VITÆ,
Morum, Operum, ac feliciſſimi tranſitus

BEATÆ ROSÆ
A S. MARIA PERVANÆ
EX TERTIO ORDINE S. P. DOMINICI.

CAPVT I.
ROSÆ, patria, natales, cunabula.

I. LIMA, meridionalis Americæ, quà mari Pacifico lambitur, nobile emporium Regnique Peruani metropolis hanc nouam in Orbe nouo enixa eſt ROSAM anno Virginei partus M.D.LXXXVI. menſe Aprili, qui quòd erup turis floribus terram aperiat, ab officio nomen traxit. Huius menſis vigeſimus dies Beatæ Agneti de Monte Politiano Virgini Dominicanæ à *cœleſti rore, ac diuerſis* repente *enatis floribus* notiſſimæ ſacer eſt, idemq; ROSÆ huic natalis fuit. Itaq; vernant hìc omnia, ſiquidem & Progenitores Virgini fuere *Gaſpar de Floribus*, *Maria de Oliua*, ille ex Inſula Hiſpanorum oriundus cui à *Portu diuite* nomen eſt, hæc *Limæ* nata; vterq; ſtirpe non ignobili, ſed opibus permodicis, niſi quòd ingentis opulentiæ loco fuerit tali filiola cœlitus ditari.

Naſcitur in Vrbe, quæ & ciuitas *Regum* dicta.

II. Naſcenti ROSÆ Paterna domus obtigit in vico *S. Dominici*, ac ponè quidem iuxta *Ædem S. Spiritus*, vt vel ipſe locus

ROSÆ domus paterna.

 videa-

videatur futuræ tum sanctimoniæ tum instituti signasse præsagiũ. Iure iurando testata est genitrix (: in Processu Remiss.) sibi fuisse hunc partum vt felicissimum ita facillimum, minimèque obnoxium illis angoribus, quibuscum solebat in parturitione reliquarum prolium dirissimè conflictari. Nec minùs adstupuit obstetrix, vt vidit hanc infantem secundarum inuolucris prodire grauem, & quasi penulatam: Nimirum sic nascuntur Rosæ, congenitis integumentis vndique velut amictu paludatæ.

Facili puerperio.

Secundis vndique obuoluta.

III. Ipso dein festiuissimo Pentecostes die (: qui alicubi Gentium *Pascha Rosata* dicitur) baptizata est Rosa, primoque rore cœlestis gratiæ permaduit, nec tamen Rosæ nomen tunc ei impositum, sed Isabellæ siue Elyzabet; nimirum ab auia materna Isabella de Herrera, cui inter lustrales aquas videbatur is honor deberi, humano more.

Baptizatur.

IV. Porrò vt Rosæ nomen diuinitus Soboli destinatum post trium mensium ambages demum erumperet, prodigium expectabatur, quod tale fuit. Quiescebat in cunis trimestris paruula, quando cum ancillula & filiabus accita Mater conspexit filiolæ vultum vndique opertum repanda sed paulò post disparente rosa. Obstupuere omnes, at ceteris altiùs icta spectaculo Mater subito complexu tenerisq; osculis dissuauiauit paruulam, *mihi* (inquiens) *tu deinceps Rosa diceris & eris, nec alio post hac nomine te compellabo*; quasi cum Præcursoris Matre protestaretur his Ambrosij verbis: *habet vocabulum suum quod agnouimus, non quod elegimus*. Rem tamen indignè tulit auia, doluit suum nomen in tenera nepte sic obliterari ac ferè despici, vnde placando huic iurgio nec annorum lustrum satis fuit, donec tandem controuersiæ finem imposuit Sacramentale Chrisma, quo Sanctissimus Limensium Archipræsul Turibius in Parochia loci *Quiui*, dum Rosæ illiniebat confirmationis signaculum, omisso Baptismali nomine Rosam pronunciare maluit, cuius fortasse iam tunc fragrantiam senserat in spiritu, quo plenus erat. Sanè videbatur eum vnctio docuisse de omnibus, vt neque errare posset in Rosæ nomine, cui exinde pariter & auia adquieuit.

Sortitur prodigio nomen.

Illud firmatur sub vnctione S. Chrismatis.

V. Verùm tamen lapsis aliquot annis de Rosæ nomine aliam indixit litem ipsamet Virginis pauida conscientia, nimirum vt ita præberetur occasio locusque cœlesti oraculo quo Rosæ nomen vltimò erat confirmandum. Res ita euenit. Creuerat puella, iamque suimet per ætatem compos vt resciuit, se neutiquam

Cœlitus Rosæ nomen probatur.

in Baptisterio sed in cunis traxisse succedaneum nomen, suspicata est pro solo vanitatis lenocinio forsitã hoc sibi inditum fuisse nomen, quo vultus sui commendaretur forma ac venustas. Itaq; hoc scrupulo saucia & animo inquieta sacellum DEI Genitricis in Aede FF. Prędicatorum Sanctissimo Rosario dicatum adijt, illic lachrymosè procubua Misericordiæ Matri angorem suum exposuit, remedium poposcit.

Sacellum Rosarij asylũ Rosæ.

VI. Nec *Virgo Rosa mystica* Virgunculam Rosam distulit consolari, siquidem in alto sed inexplicabili intimæ illustrationis radio pauidam affata docuit, mirè hoc suum nomen probari Diuino quem gestabat Puerulo, se verò de suopte nomine hoc insuper adiectum ei velle auctarium, quo Rosa à S. *Maria* in posterum cognominaretur. Sic quæ trepidabat in nomine firmabatur cognomine, secura & læta quòd vtrumque cælitus datum possideret. Habent quidem hoc (: Ambrosio teste) Sanctorum merita, vt à Deo nomen accipiant, sed qui vltra nomen etiam cognomen è Cœlo accipiant, raros puto.

Deipara firmato Rosæ nomini cognomen addit.

VII. Admisit insperatæ nomenclaturæ gratiam puella non sine excelso intimi dulcoris sensu, adeò, vt die quadam à SS. Communione domum reuertens ardore insolito obtestaretur Matrem, vnicum hoc gemini fauoris nomen Rosæ à S. *Maria* sibi quàm creberrimè repeteret, ac frequentiùs occantaret, illo se mirificè posthac delectari, mulceri, colliquescere. Hærebat parens mirata nouitatem, at subiecit Virgo: Nunc nunc redire se à pedibus Magnæ Deiparæ, huic rem cordi fuisse, huius benedictione, & materno auspicio suam animam transisse in Rosam florido *Iesulo* Nazareno sacram: proinde si aliquando suspectum sibi fuerat Rosæ epitheton, iam illud in tuto esse, vtpotè diuinitus approbatum; ideo frequenti huius gratissimę compellationis auditu velle se sui tum nominis tum officij sæpiculè admoneri. Reliquũ quod sibi in illa S. Communione acciderat, Virgo humilis verecundè subticuit, Matrique sat fuit, Rosæ nomen quod infanti prima imposuerat, Cœlo placuisse.

Exinde placet Virgini auspicatũ nomen.

Optat crebriùs eo cõpellari.

CAPVT II.

Rosæ crepundia, indoles, educatio, Votumque Virginitatis.

Placida indoles.

SANCTÆ Catarinæ Senensis infantia ac pueritia tam dulcis omnibus ac blanda fuisse legitur, vt non Catarinam, sed Euphrosinam plerique cæperint appellare. Eadem infanti Rosæ fuit indoles quieta, suauis, lepidula, & continuò serena, vt commune dumtaxat gaudium totius domus videretur. Obseruarunt domestici, numquam in fascijs paruulam voce querula, aut stridulis vagitibus ædium turbasse silentium, numquam plorasse, nisi quòd semel, cum Mater nobilem Matronam visitans foras extulisset Rosam, compesci à planctu non potuit quoadusque ex aliena in propriam domum referretur, quasi iam tunc nosset publicum fugere, & auersari; vnde ex tunc constituit parens infantem placidissimam deinceps cum exeundum foret, secum non exportare. Infans Rosula nonnunquam sese cunabulis vltro explicuit, vt duriùs cubaret humi, vbi supinam, & cœlum fixis ocellulis iucundissimè speculantem frequentiùs repererunt domestici. Nempe iam tum æmulabatur S. P. Dominicum, cuius infantia simillimo claruit prodigio.

Numquã planxit in fascijs.

II. Trimula erat, quando in tenerrima indole promicare cœperunt supra ætatem robusta virtutum specimina. Et primum quidem tolerantiæ fuit animique inter dolores impauidi, fortis, tranquilli, vt liqueret Rosam esse quam spinæ nec terrent, nec terunt, aut deijciunt. Accidit, quòd prægrandis arca dum incautè properèque clauditur, dextrum Rosulæ pollicem fortuitò corriperet. Aduolauit turbata Mater, sed dissimulabat trãquilla filiola dolorẽ, abscondit manũ, donec post dies aliquot putresceret sub vnguiculo emortuus sanguis. Aduocatur Chirurgus, isque vt læso articulo tumidum pus educeret, acribus remedijs totum penè vnguem absumpsit, demum & vnguiculi residuum lento, ac violento forfice radicitus auulsit. Vidisses immotam sub his cruciatibus Rosam ac si non suus esset pollex,

Patientia infantis.

Exasperatur digiti vulnus.

cui

cui toties ferrum insæuiebat. Obstupuit præ alijs Ioannes Perez de Zumeta (: id erat Chirurgo nomen) haud capiens vnde tantillæ Virgunculæ tanta in ijs tormentis obduruisset constantia, nam toto illo acerbissimę curationis tempore nec gemitum ediderat, nec vmquam expalluerat ad styli, sanguinis, nouorumque vulnerum aspectum.

Miratur Chirurgus puellam viraginem.

III. Nondum Rosa quadrimula erat, cum mordax suppuratio in eius auricula succreuit. Rursus igitur Chirurgi manu, ac post lene emplastrum denique & ferro opus fuit. Rosa, dum exesæ cartilaginis pars vitiata præscinditur, ea vultus animique firmitate vulnus excepit, qua nec intueri adstantes poterant sulcantem nouaculam. Fluebat sanguis in humerum, nec Rosa exhorruit tincturam suam.

Rursus ad vulnus auriculę impauida.

IV. Quadriennium viuendo expleuerat, cum summam capitis sui cutem species quædam impetiginis cœpit obcrustare. Mater obuio sed imperito suasa consilio modicos pulueres inspersit effectu planè improspero, nam ij vtpotè olentes Hermeticam pyxidem affectas partes caustica sua acrimonia rodebant ità immaniter, vt certis interuallis toto corpusculo tremuisse puellam tacitè notarint domestici: Nec tamen hic iugis & acerrimus dolor ab ea vel minimum potuit exprimere gemitum aut molestiæ indicium, nisi quòd à Matre interrogata de dolore, cum totum negare non posset, modicum ac toleratu facilem esse respondit: sicque in ijs tormentis cum sua Matre pernoctauit silens, immota, quietissima. Sed anxia parens postridie reuulso leniter cataplasmate inhorruit, videns filiolæ verticem hinc bullis turgidum, indè fossulis profundè vlceratum, & ò (: inquit) misera, siccine totam hanc transegisti noctem sub huiusmodi cruciatus voraci ardore? tacuit Rosa, nec vrgenti aliud vnquam replicuit, quàm stetisse intra mediocritatem suos dolores. Accitus deinde Chirurgus plagæ sanandæ nouæque cuti inducendæ quadraginta duos continuos insumpsit dies, tormento vix mitiori quàm quo prima nox Virginem lancinarat. Sed neque tunc Rosæ defuit par dolori tam moroso constantia, quantam ab illa imò ab vlla ætate sperari posse Chirurgus diffidebat.

Aliud tolerantiæ specimē.

Masculū sub acerbissimo dolore silentium.

Mali vim prodit curationis difficultas.

V. Idem Rosæ iam sexennis patuit robur sub eiusdem Chirurgi forcipe, cum sibi ex intimo nare eximendus fuit phaseolus, tertio demum tractu erutus. Dixisses hanc indolem vni patien-

Iterum sub Chirurgi forcipe immota.

patientiæ natam. Sed rudimenta hæc erant ac tempeſtiua præludia animi corpuſculum proprium ceu alienum tractaturi. Supereſt quòd reliquam eius pueritiam curſim delibemus.

Initium ſupernæ illuſtrationis.

VI. Roſæ quinquenni & adhuc inter pueritiæ infantiæque confinia conſtitutæ, notitia ac timor DEI ſe ſe inſinuauit modò prorsùs admirabili; quia inter ludos. Res ità contigit: luſitabat cum ea natu maior germanus frater, iſque (caſu an ſtudio, incertum) luto imbuit rutilam pulcherrimamque innocentis puellæ cæſariem. Iocus erat, ac puerilis ridendi materies, at non ità placuit Virgunculæ, quam non contemptus ſed ſordes offendebant. Itaque ludum abrupit, cui mox frater: hem (: inquit) ſoror mea, ſi te deturpati capillitij tui iniuria tam ſeriò affligit, ſcito, cultos puellarum cincinnos Inferni rudentes eſſe, quibus illaqueantur iuuenum incautę animæ, vt in gehennã ęternã detrahantur. Ergo puta exoſos Deo capillos, quos tu amare videris. Hæc ludibundus puer geſtu velut concionatorio profatus repetebat ludum, at puellæ animum altiùs hæc verba, quàm pro dicentis impetu ſuæue ætatis modulo penetrarunt, nec verba erant ſed tonitrua, nam repente mens illa capaciſſima ſimul immenſum concepit horrorem Inferni, ſimul apprehendit vaſtitatem æternitatis, ſimul Diuinam attentiùs reuerita maieſtatem ponderabat ſecum omnis peccati fœdam infelicitatem. Hinc ſubitò in ſe reducta cœpit odiſſe ſuoſmet capillos, firmare animum aduersùs omnes offenſas Dei, deteſtari occaſiones quæcumque Inferno militarent, denique ordinato agmine tunc immigrarunt alta Dei æſtimatio, filialis timor numinis, cura ſalutis, abominatio peccati. Quis tot tamque ſeria exſpectaſſet è ludo ac luto? Verùm ſub eodem radio progreſſa vlteriùs Roſa limpidè agnouit, Dei auxilium ſibi fore & neceſſariũ & iugiter implorandum. Hinc ſtatim exarſit in ipſa conatus orandi, qui & formulam dictauit iaculatoriam, hanc videlicet: *IESVS ſit benedictus. IESVS mecum ſit, amen.* Dulceſcebat exinde in labellis, in corculo Virginis hic precandi modus, vt ab ea frequentanda nec dormiens ceſſaret, vſque adeò nimirum Dei præſentia iam ſenſus Roſę interiores vndiq; occuparat.

Innocentis ludi ſerius & proſper effectus.

Odit ſuoſmet capillos.

Orandi primordia.

VII. Demum ſub hac tam præmatura ac ſublimi Dei notitia quinquennis Roſa ſenſit apertiùs trahi ſe ac præparari ad Sanctæ Catarinæ Senenſis excelſa tyrocinia, ſiquidem huius exemplo cõfeſtim & ipſa Virginitatis votum emiſit inter hęc primula

Vouet Virginitatem.

tenellæ

tenellæ ætatis crepuscula, quinto nimirum ætatis anno; quin & postea eiusdem Seraphicæ viraginis imitatione sibimet capillos ad viuam vsque cutem inscia Matre præscidit, ne quid superesset funium quibus contra iuratum Virginitatis propositum aut traheret, aut traheretur ad nuptias, iam enim satis didicerat ex ludicris, luti inquinamenta suo capillitio quandoque etiam seriò posse insidiari. Hic igitur puerilis sui lusus & crepundiorum exitus fuit vt mirabilis sic felicissimus, nam rarus est hic gratiæ tractus, qui Rosam ab innocentibus iocis vnico subitoque passu deduxit in illam maturitatem iudicij, quo simul nosset æstimare Dei celsitudinem, æternitatis pretium, & virginei floris arcanam prærogatiuam.

Præscindit comas.

VIII. Vnum hic prætereundum non est, quòd qui deinde Virginis conscientiam moderati sunt, prudenter coniecere, superna hæc gratiæ allectamenta ipsi obtigisse sub illo primo vsus rationis diluculo, quo iuxta veriorem Theologiam quilibet in Deum finem vltimum sese tenetur conuertere pro suæ capacitatis modulo. Vt vt sit, Rosæ non tam diluculum fuit quàm meridies, dum sic illustrata præferbuit & viam elegit quam debuit; attamen longè maius fuit à via quam elegerat numquam postea vllius noxæ grauioris admissione per totam vitam exerrasse, quod vt ijdem sui Confessarij concorditer asseruerunt, ità patulum fiet ex ijs quæ sequuntur.

Primo diluculo vsus rationis Deo se dicat.

Baptismalē gratiam vsq; ad obitū conseruauit.

CAPVT III.

Rosæ erga Parentes mira obedientia, pietas, solicitudo.

I. IN concursu duorum præceptorum, quo simul honorare Patrem, & Matrem, simul Deo magis quàm hominibus obedire iustum iussumque est; Rosæ frequenter ingenio & solertia opus fuit, vt neutrum offenderet. Trahebat cœlestis Sponsus electam sibi Virginem per arcanas sanctimoniæ ac perfectionis semitas. Ex aduerso trahebat rudis & cruda Mater Filiam morigeram ad pompas nugasque seculi, ad vanos corporis ornatus, ad Mundi commercia.

Biuium ingeniosę Obedientiæ.

In his biuijs plusquàm humanæ artis fuit incolumi vtrimque obedientia neque à Sponsi ductu vel latum vnguem deflexisse, nec tamen abiuisse vmquam à maternis præceptis in Sponsi sequela.

Cogitur serto florum onerare caput.

II. Accidit, quòd coram honestis Matronis Rosa præsente Genitrice importuniùs rogaretur suo capiti circumdare textum è floribus sertum, quod illic fortè odoris gratia in medio positum cunctis arridebat. Verecundè renuit modesta Virgo, instabant molestæ fœminæ, quibus complacitura Mater iussit edicto parere Filiam. Quàm putas luctabatur hìc cum obedientia vani ornatus pudicus horror! Vicit nihilominùs Rosæ ingeniū: nam serto clam ab ima parte suffixit oblongam acum, sicque corollam latenter aculeatam suo Capiti non tam imposuit quàm impressit validèque impegit, vt sibi non nisi tormentum esset quod ornamentum alijs videbatur. Nimirum obediuit Matri, at simul currebat in odorem Sponsi spinis coronati. Latuisset perpetuò nobile hoc strategema, ni postea manu aliena sat operosè extrahenda fuisset acus quæ sub florido blandimento profundè sæuierat; incertum tamen, acus an ornatus exosi circuli diriùs pupugerit Rosam, spinis quàm sertis amiciorem.

Serto suffigit acū, adigitq; in caput.

Imperat Mater chirothecas ad nitorē manuum.

III. Aliud. Affectabat muliebri studio Mater Filiæ manus vanè poliri ad delicati candoris elegantiam ac nitorem. Huic vsui singulare genus suaueolentium chirothecarum emerat, vt ijs more fœmineo Rosa saltim gestatione nocturna cogeret suas manus in adscititiam venustatem. Dixisses, non Virgini chirothecas sed victimæ sartagines, & ignem apparari, adeo exterrita diriguit, ingemuit, hæsitauit, donec ferociùs materno compulsa imperio obtemperauit munusque inuisum admisit. Optabat numquam fieri noctem, ne sibi lectulus adeundus esset cum tali manuum obuolucro. Adrepsit tamen necessaria dormitionis hora, extinctum est lumen, & pauida Virgo primum soporem vix libans quas chirothecas induerat pyrothecas sentire cœpit, videbantur fartæ mulcibero, nec videbantur solùm, sed reipsa vrebant, torrebant, assabant vtramque manum. Adstupuit nouo huic frixorio inexperta Rosa, gaudebatque adesse licentiam qua manus tormento tam noxio eximeret. Exemit, viditque luculentas è chirothecis promicare flammas; his denique totum collucere cubiculum, imminere palam incendium: at ijs procul abiectis mox ardor, flamma, cruciatus euanuit,

Ignescunt diuinitus chirothecę, vt projiciantur.

nuit, & Rosa miræ suauitatis refrigerio cælitus perfusa dulcissimè conquieuit. Mane facto crudeles chirothecas Matri placidissimè restituens totam rei seriem candore simplici exposuit, manus fibratim ambustas ostendit, ac ne deinceps ad huiusmodi reuocaretur supplicia obnixè rogauit. Verùm incredula Mater dum pium hìc Filiç commentum suspicatur, curiosiùs vtramque inspexit manum, quas vt reuera pustulatas, vstulatas, torridas comperit, vt contrectauit, demum adtremuit, desijtque in posterum Filiam obedientissimam ad eadem incendia duriùs inuitare.

Manus Virginis adustæ.

IV. Verùmtamen induciæ fuerunt istæ, non sincera pax, nam Mater ad alias artes breui conuersa nunc tentare Filiam, vt puellari vsu se comeret, vt collo monilia, brachijs armillas vultu cerussam pro more regionis admitteret, nunc instare seueriùs, vt saltim formosam (: qua tunc rutilabat adhuc) cæsariem erigeret calamistris, vt bysso, fimbrijs, cæteroque cultu nonnihil sese ampullaret, fuco ac linimentis roseam oris pulchritudinem gratiosè accenderet, gestu, habitu, illecebris natiui decoris iuuaret honestatem; demum obiurgare, percellere, cædere innocentem quòd rudis, incompta, & incomposita supino ac nimio mundi muliebris neglectu abiret à seculi genio, quòd infra coæqualium sortem vilissima singularitate descenderet, quòd spem opulenti splendidique matrimonij quo ipsam natura formæque præstantia vocabat vltro hypocrisi abiectissima corrumperet, sordidèque præfocaret. Sed Virgo memor propositi, ac suæ pulchritudinis obtundendæ quàm acuendæ solicitior hæc omnia defixis humi oculis excipiebat inuicto silentio, & quotidianam hanc crambem vsu ac dissimulatione surda concoquere assuescebat, quoadusque vltima materni præcepti violentia deerat, cui refragari aut lentiùs parere æquale nefas putabat. Visum hoc Matri opportunum compendium quidquid vellet extorquendi; proinde cum quadam vice obtrusisset Filiç gestandam calanticam aureo sericoque reticulo interfulgidam, vnà præceptum addidit, vt obediendi religionem inijceret obluctaturæ. Hìc Virgo inops subitanei consilij tantillam impetrauit dilationem, dum adiret Confessarium, cui anxiè protestata est, nisi præceptum reuocaretur, se non posse non morem gerere Matri hoc gestamen imperanti, malle se huic quantùmuis

Obtrudũtur puellaria ornamenta.

Repelluntur modestissimè.

Pretiosam calanticã anxiè refutat.

exosi ornatus redimiculo suum illigare verticem, quàm resistendo soluere ius quo Matris obligabatur imperio; subuenit ergo cordatæ Virginis pietati simul ac nodo prudens Confessarius, ac Matrem è vestigio conueniens grauiter dehortatus est, cessaret tandem pretiosæ vanitatis inutili molestia tentare perplexam Filiam, quam ab infantia Diuinus Spiritus præparauerat secretissimis instinctibus ad raram altioris sanctimoniæ sublimitatem. Extimuit Mater, sicque & iste fluctus ne fluctuaret obedientia sponte detumuit.

Cultum fœmineũ rudi lacerna cõmutat.

V. Excogitauit tandem ingeniosa Virgo rationem idoneam, qua deinceps & Matris substaret imperio, & nihilominùs reliquam de corporis sui cultu vexam redimeret. Itaque tenerrimis blanditijs Genitricem obsedit, donec permissionem eliceret, qua decolorem rudemq; saccum ex obuia viliq; materia assumeret pro amictu, quod vestimenti genus nec immodestum est nec inusitatum fœminis, quæ à pompis & nuptijs alienæ sub simplicissimo cultu solitariam nituntur sectari deuotionem. Hoc itaque castissimo schemate obarmauit se Rosa, vt illius præsidio à se longiùs repelleret omnem secularem muliebris ornatus vanitatem. Nec fefellit euentus, nam sub eiusmodi luteo nullaque tinctura infecto corporis sui tegumento Rosa tutissimè latuit vsque ad vigesimum ætatis annum, quo tandem ad Dominicanæ togæ candorem subleuata facilè perrexit reliquas eludere pomposi luxus insidias. Semel ergo sic abdicato exclusoque mundo muliebri haud visum Rosæ difficile, in ceteris quamquam arduis Parenti obedire. Vnicum huius paradigma dabo, vnde conijciatur de reliquis.

Admittit remedia ipso morbo diriora.

VI. *Canta* in Regno Peruano locus est metalli fodinis percelebris, at putris soli exhalationibus, & algore tetro admodum insalubris. Huc iussa Rosa cum parentibus secesserat, nec multò post noxijs illis frigoribus impar cœpit in manibus, ac pedibus dira neruorum attractione laborare. Mater vim morbi præsentissimo (: vt putabat) remedio depulsura quorumdam animalium illic frequentium hispidas pelliculas arctè circumposuit patienti Filiæ, sed addito iussu ne iniussa illas à se reuelleret, aut quoquo modo submoueret.

Obedit vsque ad plagas & vlcera.

VII. Quatriduum effluxerat, quando applicitæ curæ recordata Mater silẽtem Filiam interrogauit qui valeret, quidue egisset

egisset de pellium inuolucris? respondit ægra, se quidem nihilo meliùs ac ante valere, pelles autem ita vt Mater adstrinxerat immotas adhuc sibi adhærere. Mirata simplicitatem parens dum pelliculas dimouet, videt harum mordaci ardore pustulatim Virginis carnem vesicatam, accensam, & turgidis vndique tuberculis vlceratam. Tum verò attonita, vt quid (: inquit) tot dies noctesque exegisti sub his cruciatibus, nec abiecisti pelles quæ sic te excarnificabant? replicuit morigera Filia: & nonne disertè vetueras Mater, ne illas absque tuo nutu deponerem? obediui.

VIII. Aliquando Mater exploratura tam accuratæ obedientiæ pronitatem mandauit Filiæ, quòd sericos flores, quos tunc fortè pingebat acu, præpostero filorum ductu formaret contra omnem artis idæam rectumque ordinem. Paruit Rosa, obliquauit opus, flores absoluit. Tum Mater velut substomachans, eya inquit non flores sed monstra florum. Quid egisti? itane oscitasti somnolenta dum has ineptias tam deformes tua imperita segnities abortiret? cui illa respondit mitissimè, pariter quidem & sibi quamquam indoctæ visum fuisse talem pingendi modum oppidò peregrinum ac deuium, nec tamen ausam aliter quàm Mater prescripserat acum filumque ducere, aut proprio arbitratu conari in aduersa, sese nihilominùs esse paratissimam suere ac dissuere quàcumque iuberet Mater.

Obedientia cœca.

IX. Quoties sibi per diem ad nendi, suendi, texendiue labores redeundum erat, numquam è scrinio semper è manu parentis acum, fila, colum ceteraque opificio necessaria demissè postulabat, credens id deberi filiali Matris reuerentiæ. At hæc importunitatem rata, interdum cum bile ac nausea reijciebat filiam ad muliebris officinæ domesticum armarium, vociferans tot interpellationibus opus non esse, familiaris officij instrumenta vltro patere fœminis laboraturis. Cui Rosa, malebam (: inquiebat) obsequij debito adiungere lucrum explicitæ obedientiæ, & materni respectus humile tributum vnà cum penso dependere. Tanti nimirum faciebat etiam leuiores parendi occasiones.

Captat vltro obediēdi occasiones.

X. Triennio circiter ante felicem Rosæ obitum contigit, eam ab Illustri Matrona D. Maria de Vsateguì consorte Regij Quæstoris D. Gundisalui de la Massa è paterno domicilio

Obedientia in domo aliena.

inuitari ad suarum Ædium gratuitum contubernium. Obtemperauit Virgo, quia parentes iubebant, imò vt Gundisaluo & vxori in omnibus morigeram se exhiberet imperabant. Hìc igitur non mutata sed duplicata fuit obediendi occasio, siquidem humilis Rosa paterno tecto at non subiectione exēptam se reputans, qua promptitudine domi propriæ eadem alienæ parebat, nec solùm mandatis Gundisalui aut vxoris, sed ad nutum quoque filiarum, domesticæque familiæ, vsque ad infima domus mancipia. Huius insigne specimen habes infra cap. 5. §. *Testatur*. Vbi leges Rosam in ipso mortis articulo morigeram Gundisaluo.

Obedit vltra mortem.

XI. Sed longè mirabilior obedientia vltra mortem. Post Virginis obitum ancillula in Limensi S. Catarinæ Monasterio argenteum cochlear per incuriam perdiderat. Fundatrix eademque Cœnobij tunc Præfecta iusserat omnes perquiri angulos, excuti scrinia, lustrari singula, sicubi amissum pignus inueniretur; quæsitum vbique & diu, geminatur cum quæstione anxietas, turbantur omnia, inuentum nihil. Neque iam de argento sed de fama cruciabatur solicitudo, nam periculum erat ne qua innocens temerè in furti suspicionem veniret. Itaque Præfecta Lucia de SS. Trinitate ad pendulam illic Rosæ iam defunctæ imaginem conuersa, sub ingenti cogitationum tumultu erupit in hæc verba: audito Rosa benedicta, tibi ego præcipio sub illa obedientia quæ mihi in hoc Cœnobio debetur ab omnibus, faxis inueniatur argentum quod perdidimus, in sancta veritate protestor tibi ò Rosa, tuum erit hanc curam suscipere, vt præstò sit cochlear dum à vesperis redeo. Redijt, quæsiuit, circumspexit, & ecce cochlear propalam in mensa cellulæ vbi decies fuerat quæsitum. Nempe de obedientia Rosæ iam prædefunctæ remanserat tam celebris apud omnes conceptus, tam alta præsumptio, vt crederetur, vel post mortem obeditura superiori cui numquam in vita subfuerat, videbaturque sat esse ad imperium, quòd sua illic hospitabatur imago.

Obedit Confessarijs infantiliter.

XII. Ex his quilibet facillimè æstimarit, quàm accuratè suis Confessarijs obtemperarit Rosa adhuc mortalis, nam ex quo vestem S. P. Dominici assumpserat, ab ore suorum Patrum spiritualium pendebat tota, & quidquid hi vel obiter innuissent, id Virgini non mandatum sed cœleste oraculum videbatur.

batur. Quondam post lachrymarum prolixa diluuia capitis exinanitione languebat non sine discrimine, nec tamen solitis moderabatur vigilijs; admonitus Confessarius mandauit, à media saltim nocte horas omnino quatuor somno tribueret. Conabatur ad amussim parere Virgo, sed aliter assueta præscriptum horæ punctum seu dormiendo seu euigilando attingere non potuit, idque sat fuit vt vehementi scrupulo torqueretur, velut rea violatæ obedientiæ. Notarunt hunc Rosæ spiritum domestici, & quotiescumque roganda erat vt fomenta suo corpusculo admitteret, aut requiem captaret, aliaue se ratione sineret indulgentiùs haberi, subijciebant ita mandasse Confessarium, statimque Rosa sine replica planè infantiliter obediebat.

XIII. *Sed redeamus ad Matrem.* Quòd Rosa bibendi vices in triduum aut quatriduum differre sit solita, ex eo patuit, quòd legem sibimet indixerat, dum parentibus cohabitabat, numquam bibere nisi quoties veniam rogata Mater expresè annuisset, quodsi licentia in experimentum virtutis negabatur, plerùmque in aliud triduum fraudabat sitim, non priùs bibitura quàm Mater annueret: imò & questa est, ab ea sibi hanc veniam non crebriùs denegari.

Absque Matris licētia nec aquam sorbillat.

XIV. Porro reliquam ipsius erga parentes obseruantiam, amorem, pietatem nulla satis capit historia: quàm solicita iugiter sategerit vt genitorum suorum inopiæ prouideret ex labore suarum manuum, quàm officiosa vt ijsdem ex morbo decubuis ministraret, adsisteret, pharmaca ceteraque necessaria compararet, quàm denique attenta ac sedula, vt domesticas illorum præuerteret offensas, placaret animos, mitigaret afflictiones, singulæ propemodum testantur paginæ in iurato Processu. Quæstor Gundisaluus (: de quo supra, & frequentiùs infra) tacitus mirabatur exhaustam viribus Rosam, ac diurnis operibus extremè lassam nihilominùs in mediam vsq; noctem labori manuum insistere: Quæstoris coniux, vt semel infirmam vidit fatiscere, totoque latere imbecillem ac stupidam vix trahendo spiritui sufficere, grauiter hortata est, labanti corpusculo tunc saltim ab ijs laboribus tantillum vacationis indulgeret. Reposuit operosa Virgo, se parentum suorum necessitatibus absque scrupulo deesse non posse. Mirabilius est, quòd Ludouica Vrtado de Bustamante vidua Bartholo-

Obsequia erga Parentes.

Eos alit suarum manuum labore assiduo.

tholomæi Alphonſi de Lumbrera vexilliferi aſſeuerat in Proceſſu, Roſam tot Sanctis exercitijs interdiu noctuque diſtrictam, tot affatim morbis impeditam, tot ſupernis raptibus crebrò abſorptam, vnico tamen die tot laborum penſum ſolitam abſoluere, quot alia quæuis etiam celerrima ac peritiſſima vix integro quatriduo abſoluiſſet: & ne putemus ob tantam feſtinæ Roſæ velocitatem (: vt fit) hiulca, manca, imperfecta prodijſſe opera, affirmat præ alijs teſtis LXVIII. illa ſingula tam conſummatæ fuiſſe perfectionis, elegantiæ, curæ, vt plerùmque metas humanæ artis & induſtriæ viderentur excedere.

Operum mira tum celeritas tum perfectio.

XV. Neque hìc ſtetit anxius amor ac ſolicitudo filiæ conantis omni ingenio parentum egeſtatem ſubleuare. In domeſtico horto areolas diſcreuerat ſatiuis violis cura ſua manuque excolendis, quas ſimul vt maturuiſſent, faſciculatim collectas ancillæ dabat vænum exponendas; lucellum qualecumque illud Matri afferebat. Interrogata aliquando à Viro religioſo (: teſte xxj) quantum commodi ſuis parẽtibus ex tenui iſto floſculorum mercimonio accederet, reſpondit, illud quidem permodicum eſſe, ni Sponſus cœleſtis aliundè miris at arcanis modis ſuppleret.

Ex floſculorum lucello ſubuenit Matri.

XVI. Si quando Patrem aut Matrem deieciſſet corporis ægritudo, nil Filiæ antiquius nil ſanctius nil ſolemnius erat quàm ſepoſitis omnibus decumbenti ſeruire, medicinas conquirere, ſuis manibus parare, inferre, bolatimque porrigere eſculenta, refrigeria adaptare, applicare lenitiua. Tunc noctes tranſigebat inſomnes, aſſidebat lectulo, ſtratum componebat, agebat omnia, præteribat nihil quod ſolatium adferre poſſet. Interim precibus, gemitibus, ſuſpirijs pulſabat ad Cœli fores; neque incaſſum. At hoc commodiùs miraculorum hiſtoriæ reſeruetur. Vnicum iſtud ſingulariſſimæ pietatis erga Matrem & extremæ commiſerationis ſpecimen ſileri hìc minimè debet. In vltimo vitæ iam-iam fugientis articulo Roſa dolentem Genitricem iuxta ſe conſpicata, neque ignara quàm immaniter hanc exanimaturus eſſet proximus ex Filiæ morte dolor, rogauit Sponſum, (: iſque vltimus precantis anhelitus fuit:) Matrem immodico mœrori imparem ac facile ſuccubituram robuſto firmaret ſolatio, adque fatalem hunc ictum miſeram obduraret ſuaui-potenti manu. Factum eſt ac

Ægris parentibus continua aſſidet.

Morituræ pia erga plangentem Matrem cõmiſeratio.

est ac abundantiùs quidem, quàm moribundæ Filiæ solicita pietas flagitarat: simul enim vt Virgo spiritum reddidit, Matrem supernè tanta solatiorum diluuia inundarunt, vt sub iuramento fassa sit, diu cor suum capiendæ huic dulcedini angustum laborasse sub quadam tempestate gaudiorum, ac velut pectoris intersepta perrupturum anhelis subsultasse tripudijs, ità quòd in eodem Rosæ morientis conclaui quærendus sibi fuerit secretior angulus, in quo liberiùs sub tantæ lætitiæ suauissima diuulsione palpitans respiraret. Cum verò in vicinum inde cubiculum vocaretur siue à cadaueris tristi dimouenda spectaculo, siue vt cum alijs videret Aloysiam tunc fortè rigentem in extasi, ire distulit, ne angulum suum tanti iubili conscium præmaturè desereret. Numquam sanè officiosissima Rosæ pietas aut solicitiùs aut lautiùs refecit Matrem.

Planctum matri cōuertit in solatium.

CAPVT IV.

Rosa B. Catarinæ Senensis vestigijs ad sequelam prouocata tertium S. P. Dominici Ordinem amplectitur.

I. VAriæ ac sine numero sunt viæ, anfractus, itinera, quibus Æterna Sapientia selectas animas in sublime perfectionis cacumen facit eluctari. At eidem placuit electam Rosam de S. Maria peculiariter per Seraphicę Catarinæ compendia ducere; quando vel maximè humana prudentia (: plerùmque inidonea Spirituum ponderatrix:) importunè Virginem ad alias vocationum semitas diuertere conabatur.

Ad S. Catarinæ Senensis idęam formatur.

II. In primis haud absurda spe tumida Mater iam à teneris filiolam nobili atque honestissimo connubio destinarat: nec abludebant proposito egregia formæ venustas, acre iudicium, suauitas erectæ indolis, moresque ad omnem ciuilitatis gratiam apprimè tum facti tum eruditi. Ex aduerso credebat innocens Rosa, tempestiuo (: de quo supra) capillorum excidio, vt quondam S. Catarina de Senis, amputasse spem Matris

Nuptijs destinatur à Matre.

ac nuptiarum tendiculas, nec ſegniùs interea pergebat ſui vultus roſeum decorem ieiunijs deterere, eximiam corporis habitudinem ſacco pannoſo deformare, publicos conſpectus fugere, & ne hominum placeret obtutibus domilatere, adeo quòd toto illo quadriennio quo cum parentibus in *Canta* morabatur, nec pedem vltra domicilij limen extulerit, nec vicinum deliciarum hortum videre dignata fuerit, niſi quòd ſemel dumtaxat ibidem ad inuiſendas Indicarum operarum molas iuſſa fuít Matronarum Filias comitari; quò vt peruenit, vnico ſemper angulo immota conſedit, nullo abrepta famoſæ curioſitatis ſpectaculo. Verùm ne ſic qnidem effugere ſat potuit, quin complures tum celebri virtutis opinione, tum pudici vultus maieſtate in ſui admirationem, mox & honeſti thalami ambitum inuita accenderet. In his Matrona quædam genere & opibus clara vni Filio ſuo Roſam coniugem ſibi nurum vehementer optabat, vtique felici commercio plus bonorum adeptura quàm datura cum hærede Filio. Placuit vtrimque tam lauta conditio, præſertim quòd Roſæ parentes vt facultatibus tenues, ita graues erant multitudine prolium, nam xj. numerabantur. Solus deerat conſenſus Virginis, quam voti ſui memorem omnis mentio nuptiarum exanimabat, nec tamen impedimentum quo lubens-volens tenebatur, auſteræ Matri audebat detegere.

Diuerſiſſima Filiæ ſtudia.

Fuga publici.

Offertur Virgini opulentum coniugiũ.

III. Inde quos quantoſque inſultus, quæ domeſtica prælia, probra, conuicia à parente, fratribus, agnatis ſuſtinuerit æquanimis at inermis Filia, nemo ad viuum propiùs aut comprehenderit aut æſtimarit, quàm quiſquis ad S Catarinæ Senenſis hiſtoriam reſpexerit, vbi Lapa Mater tenacem propoſiti Virginem inclementer obiurgat, premit, exagitat, niſi quòd in Roſam vltra verba etiam verbera, calces, alapæ ſæuierint. Præualuit tamen apud conſtantiſſimam puellam idęa Seraphicæ Magiſtræ ſuæ (: ita Virginem Senenſem appellare conſueuerat:) quam à teneris elegerat ſtatu, habitu, moribus imitandam, prout diſertè in Proceſſu teſtis LXVIII. aſſeuerat.

Vapulat ob inexpugnabile Virginitatis propoſitum.

IV. Videbantur in hoc vnum conſpiraſſe omnia, ne Roſa Tertiariarũ aſſequeretur habitum, quem tot votis ambiebat, tot ſuſpirijs, tanto lachrymarum ſumptu licitabatur. Nam ecce alia oblata eſt religioſi inſtituti via, quæ quidem Roſæ diſplicere neutiquam potuiſſet, niſi vnicè ad S. Catarinæ Senenſis

Suadetur inops Sanctæ Claræ inſtitutũ.

nensis alta vestigia fuisset cœlitus destinata. Consurgebat illis diebus Limæ nouellum S. Claræ Monasterium, totius sanctitatis, rigoris atque obseruantiæ Sacrarium, auspicante Illustriss. D. Maria de Quiñones, cui auunculus erat ille - ipse famigeratissimus Dei seruus Limensium Archiepiscopus tunc superstes, D. Turibius Alphonsus Mogrouejo, de quo supra, neque huius incomparabilis Viri admiranda Sanctitas, Pastoralis zelus, numerosa miracula ignorantur Romæ in Sacro Rituum Senatu, vbi de illius apotheosi pridem ac strenuè agitur. His inquam auspicibus formabatur recens Monasterium, & vltrò inuitabatur velut ad dignissimum tali flore Plātarium Rosa iam inter primas eiusdem fundatrices nominatim electa, censa, approbata. Quod vbi certiùs resciuit, ante omnia sategit explorare Diuinæ voluntatis beneplacitum, suæque vocationis mysterium supremo Arbitro cernua commendauit, non recusans pro asylo suæ virginitatis & coæuo sibi strictioris vitæ desiderio arctissimam oblati Cœnobij clausuram, arduumque viuendi genus amplecti; maximè quòd experimentis iam didicerat vix aliter se importunas procorum molestias, parentum, fratrum, domesticorum adsultum, mundique immundi conspectum posse euadere.

Alphonsus Mogrouejo Limensis Archiepiscopus.

Rosam eligit nouo suo Parthenoni.

V. Sed en arcanum cœlestis prouidentiæ! obstaculū à Matre fuit. Putabatur hæc prima omniū consensura, siue ob tanti Archiepiscopi reuerentiam, siue quòd onusta prolibus Filiam sine dote posset decentissimè accommodare. Obstitit tamen, causata domus inopiam, quam Rosa manuum labore sustentabat. Obstabat simul ætate morbisq; fatiscens auia, cui decūbenti vnica à fomentis erat, assiduoq; ministerio. Obstabant demū alia, prouidente Numine, quod florido S. P. Dominici viridario hanc Rosam incomparabilem per tot ambages reseruabat.

Repugnat egena Mater.

VI. Hoc vt magis innotesceret, binis è Cœlo prodigijs opus fuit; primum hoc ordine euenit. Qui Rosam viderant adeò cœlestium auidam, adeò spiritualibus exercitijs, solitudini, macerationi corporis addictam, & seculi pertæsam, suadebant idemtidem alicuius Monasterij ingressum quo liberiùs vacaret Deo. Idem probauere demum Confessarij, vrserunt Viri graues & spirituum magisterio spectabiles, quorum concordi iudicio vt suum Rosa humiliter submitteret, conscia & annuēte auia successum tentauit per germanū fratrem, Diui-

Alia tentatur semita Religiosæ vocationis.

no interim (: vt supra) arbitrio se remittens. Iam in SS. Incarnationis Monasterio, (: quod sub regula S. P. Augustini militat :) à Sanctimonialibus Rosam exoptantibus admissionem locumque internuncia fratris industria impetrarat, nilque deerat, quàm vt relicta paterna domo clam sine pompa ac strepitu ad Cœnobium rectà pergeret valuis patulis admittenda, candidisque ibidem lilijs interserenda.

Rosa conatur inscia Matre Monasterium ingredi.

VII. Ergo proxima Dominica die ad pium hoc sui furtum electa in viam se conijcit, vnico germano suo lætissimi itineris assumpto comite, ac ponè iuxta S. Dominici vicinam Ecclesiam transiens in eam diuertit cum fratre, vt illic in Diuæ Virginis Sacello (: cui à Rosario nomen & cultus est) maternam Augustissimæ Deiparentis benedictionem, velut opportunum suæ profectionis viaticum præsumeret, exinde reliquum viæ alacriùs decursura. Cæterùm vix ad orationem humi genua fixerat, cum sensit pauimento sese immobiliter acclauatam. Sic hærentem & vltra condictum morosiùs cunctantem interpellauit frater, eundi tempus esse, longiori orationi commodius in Monasterio spatium fore. At Rosa, quòd loco - mouere se neutiquam posset erubescens, vnàque dissimulans tentabat subinde, si quo modo se tanti prodigij secretissimo retinaculo explicaret. Interea bis, ter ab Ecclesiæ porta reuersus frater cunctantem increpuit, moræ periculum exaggerauit, surgere conanti brachium subiecit: connituntur ambo, sed in cassum. Rupem dixisses adnatam solo, aut ingentem plumbi massam, nulla trochlearum vi attollendam. Intellexit Rosa mysterium, nempe ex decreto cœlestis Sponsi non esse, quòd ipsa populosissimi illius Monasterij optato receptaculo furtim sese abderet, aliud de genere sui instituti prouisum esse in secreto Æternitatis consilio, denique summa rei erat quòd solius Catarinæ Senensis vestigia Rosam exspectabant spinis sepiendam. Igitur vt erat immobilis, ad S. Rosarij clementissimam Reginam conuersa, promitto inquit Tibi, me rectà ad Matrem hinc redituram, ædesque paternas quoad iusseris habituram pro Asceterio. Mirum dictu! repente quæ plumbum fuerat, se plumam sensit, nemine adminiculante surrexit, domum repetijt, Matri ingenuè rem vt erat detexit, proque monastica aliud clausuræ genus (: quod cap.X. referetur) de consensu parentis adinuenit.

Sed miraculo impeditur à Deipara Virgine.

Immobilis adhæreſcit solo.

Relaxatur, promisso ad Matrem reditu.

VIII. Al-

VIII. Alterum prodigium. Limanus ager vt psittacos ita papiliones gignit colorum varietate ac elegantia planè mirabiles, vt ferè de vtriusque gloria hi cum illis certare videantur. Fortè Rosa in Seraphicæ Magistræ suæ bicolori habitu attentiùs defixa secum de capessendo Dominicani Ordinis amictu deliberabat anceps, cum ex ijs papilionibus vnus solo nigro alboque colore pulcherrimè striatus leni sed minimè fortuito allapsu Virginem festiuè circumuolitauit, illa confestim rapta in mentis excessum perspicuè intellexit quod animo dudum agitarat, nempe Diuinum id esse responsum de tertio habitu Prædicatorij ordinis tandem assumendo.

Docetur à papilione de assumendo S. Catarinæ habitu.

IX. Nec fefellit euentus iam securam, nam paulò post obstaculis vndique submotis facta est voti compos, inque Rosariano Deiparæ Sacello vbi quondam immobilis hæserat, solemni ceremonia de manibus P. Magistri F. Alphonsi Velasquez Ord. Præd. sui tunc Confessarij (: cui id P. Prouincialis commiserat:) induta est veste bicolori quam in Senensi Magistra dilexerat. Contigit hoc anno salutis MDCVI. ipsa S. Laurentij Martyris festiua die, cui haud absurdè aptaueris illud Tibulli: *lib. 2. Eleg. 6. At Laurus bona signa dedit, gaudete.....* Sanè gauisa est Rosa, vt se vidit circumamictam varietate, cumque Laurentio nouis ardebat ignibus, liquescebat in dulci iubilo, nouaque Tertiaria reputabat se plus quàm nomine *Beatam*; Nimirum cum infante creuerat hoc desiderium, siquidem à quinto suæ ætatis anno S. Catarinæ Senensi iam sese addixerat, quod ex ore ipsiusmet Rosæ affirmant se percepisse testes. II. & XXII. in cit. sæpiùs Processu. Vbi verò Seraphicam eiusdem vitæ historiam domi per capitula legi audiuit, attentissima tamquàm soli legeretur sibi, medullitus se sensit inflammari ad sequelam, non quietura, donec & foris in habitu, & intus in fimbrijs aureis tantæ heroinæ ac Magistræ discipula conformaretur.

Eo deniq; potitur in Sacello Rosarij.

Quinquēnis Rosa ad S. Catarinæ sequelā exarserat.

X. Verùm si Rosæ perarduum fuit vigesimo demum ætatis anno per tot obstacula eluctari ad Sacrum habitum, vix minori lucta ipsi constitit, eumdem vsque ad mortem retinere. Retinuit tamen, quamquam variè tentata vt alium assumeret: neque enim cessabat humana prudentia Diuini ignara consilij diuersa suadere, offerre, ingerere quasi meliora ac digniora. Ex his duo referam quæ victrici eius constantiæ validiùs incubuerunt.

Suscepti huius instituti vsque ad mortem tenax.

Tentatur de alio habitu assumendo.

XI. Quæstor Gundisaluus vir optimus, quique apud Virginem sibi concreditam valebat autoritate, imò & domestico imperio, seu sponte seu aliundè inductus suggerebat reformatam Excalceatarum Regulam quam Rosæ genio credebat aptiùs conuenire; instabat, vtique decentiùs in celebri reclusarum Virginum parthenone quàm foris inter vltimas Tertiarias militaturam Deo, vacaturam spiritui, inhæsuram contemplationi. Quòd autem idonea careret dote, replicabat Quæstor, se curam hanc totam sibi deposcere, acturum se omnia, vt à religiosissimo Monasterio haud grauatè admitteretur. Robustus hic fuit aries ad pulsanda Rosæ præcordia, maximè quòd ipsa quoque Mater cui res angusta domi, contenta iam erat, pluriumque seruorum Dei conspirabant arbitria. Rosa tametsi vocationis suæ tenax & certa, noluit tamen aut cerebrosa videri, aut palam tot peritissimorum beneuola iudicia immodesto supercilio aspernari. Itaque vt aliàs vsa ingenio, selectis ex Ordine Prædicatorum quatuor præstantissimis Theologis rem permisit examini, pollicita id amplecti quod ipsorum potiora suffragia diffiniret; vtpotè secura, Deū non permissurum, quòd consonis horum calculis euocaretur ab humilioris instituti electa semita, quam Seraphica Magistra de Senis felicissimè præcalcarat. Voto respondit euentus, nam operante Numine supradictus Theologorum quaternio paribus vtrimque votis pependit semper immobilis, stupuitque neutri partium occurrere pondus quo sese à tam constanti æquilibrio tandem explicarent.

Consentit Mater.

Res committitur 4. Consultoribus.

Sed nequit diffiniri.

XII. Vicit ergo constantia Virginis, quæ exinde fidentior Gundisaluum aliosque suasores modesto ac graui responso interpellauit; se quidem refloridis oblati Asceterij desertis mirificè & capi & affici, verùmtamen solius Diuinæ non humanæ inspirationis proprium id opus ac munus esse, Spiritum vbi vult spirare, aptam regularis status tum electionem tum commutationem non esse volentis neque currentis sed miserentis Dei, sibi denique alios supernè impulsus non obtigisse hactenus præter eos quos habitu protestabatur, viuendum sibi moriendumque esse sub charo S. Catarinæ Senensis schemate ac magisterio, adfore tamen aliquando tempus, quo huius nominis atque instituti nouum Limæ exsurgat Monasterium, at nondum se scire, num forsitan illi diuinitus sit reseruata.

Graue responsū Virginis de sua vocatione.

Certè

Certè dignus erat hac Rosa ille Mons Hermon, digna hoc Monte Rosa, nisi hanc Ordini hortulano Rosarij altior zephyrus commendasset.

XIII. Eliso igitur hoc ariete superfuit alius, at omnium importunior quia subtilior, nam per ipsos humilitatis cuniculos infernè adactus quatiebat Rosam vnius commotione scrupuli, qua patuit via cogitationi pauidissimæ, nimirum se sordidam peccatricem illo niueo Senensis Catarinæ velamento nimis indignam esse, plùs eo vestis candore promitti foris quàm lateret intus, vni sibi deesse omnia quæ extimo nitori probè respondeant, proinde habitum qui Seraphicæ Magistræ fuerat protestatiuum virtutis ac religionis symbolum, in se nonnisi laruam esse publicumque vsurpatæ sanctimoniæ mendacium. Duplicabat angorem, quòd alba vestis humano plausui videbatur ansam aditumque vltro concedere, nam Virgo gliscentem sui nominis celebritatem auersata dolebat ex candido indumento ab alijs fœminis internosci in publico, eminus se venientem monstrari digitis, notari oculis, laudari à prætereuntibus, ipsique S. Catarinæ Senensi nonnumquam ab obuijs comparari. Tormenta hæc erant, quæ Sacram illi vestem reddere exosam poterant, ac primò verecundè occultandam denique & seponendam suggerebant, vsque-adeo vt suum familiare asylum (: sacellum dico SS. Rosarij, in quo Rosa habitum assumpserat:) cursim adierit quasi denuo illic firmitate immobili radicanda, solitoque Magnæ Deiparæ præsidio tentationem molestissimam depulsura.

Noua habitus mutandi tentatio.

Ex amictus candore importunus scrupulus.

XIV. Euenit vti sperauerat; nam ad Aræ crepidinem defixis humi genibus inter orãdum placidissimo animi deliquio sensim diriguit. Notarunt precantis vultum circumstantes eiusdem tertij habitus Sorores, videruntque Rosam à Sacræ Imaginis obtutu supplici diu pendulam initiò quidem exalbescere pallore niueo, post interuallum decora suffusione rubescere, denique tota facie lucescere ac scintillatim radiare. Coniectarunt subitò quod erat, permagnum aliquid actitari, velut sub iride Rosarij, cuius mysteria triplici hac tinctura distinguuntur. Et verè sic erat, nam Rosa sibi ac genuino vultus colori demum reddita erupit in iubilum victoriæ: *Eya* inquit *Sorores, laudandus est nobis Deus, qui nos Tertiarias communi solida charitatis vinculo sibi dignatur adstringere ac perpetuum*

Eximitur ope Deiparæ Virginis.

Successiuè Rosarij colores vultu induit.

Gaudium ex victoria.

tim ſociare. Obſcurum ænigma perfacile capiebant, quotquot præuij conflictus conſciæ fuerant. At Virgini pœana hæc erant debellatæ tentationis, quam ita fregit vt numquam redierit.

S. Catarinæ penè gemella.

XV. Tanto conſtitit victrici Roſæ candidum Seraphicæ Catarinæ habitum & obtinere & retinere conſtantiſſimè. Porro quàm plenè cum illo Magiſtræ ſuæ virtutes induerit (:quãquam id ſeqq. Capitibus reponamus:) ad coronidem huius Capitis vnicum id argumentum eſto, quòd ſemel tacitè ſpectanti mirantique Confeſſario viſa fuerit Roſa ſpecie, vultu, lineamentis ſic transformata, vt viua ſimilitudine ipſiſſimam S. Catarinæ Senenſis effigiem referret.

CAPVT V.

Roſa præiacto ſolidæ Humilitatis fundamento ſecurè inædificat reliquarum virtutum molem.

I. IN ſuo Nihilo cominus ac penitiſſimè agnoſcendo quàm profundè iugiterque Roſa perſtiterit occupata, omnis humillimæ ſuæ vitæ clamat actio. Paucas hìc è plurimis compendio ſubſtringemus. Parùm ei videbatur, quòd domi Filiam ſe oblita ancillæ domeſticæ viliſſima quæque miniſteria occupabat, niſi & infra ancillam ſeſe demitteret. Mariana quædam ſeruiebat in Roſæ paternis ædibus, Inda genere, agreſtis conditione. Hanc ſæpius in ſecreta domus parte orauit, exorauit, adegit Roſa, vt ſe deiectam humi nunc pronam nunc ſupinam calcaret pedibus, ac velut contemptibile peripſema ſtudiosè plantis détereret: quin flagitabat ſuperaddi ſputa, calces, verbera, nihilque omitti quod extremi contemptus ſaperet vilitatem. Quòd ſi Mariana conabatur parcere, aut nonniſi obiter imperata exequi, acriùs inſtabat ſupplex Roſa, nec niſi voti compos humo ſe attollebat. Quotieſcumque ob ſingularitatem vitæ à fratribus aut Matre proſcindebatur iniurijs, crede-

Ancillæ pedibus ſe calcandam ſubijcit.

credebat se ijs imò & decuplò grauioribus tam dignam esse, vt etiam vltro quæ sibi imputabantur ad culpam, soleret in maius attollere, suumque reatum amplificare, ne præter aut vltra meritum videretur affligi ac despici, quæ tantopere ambiebat vbique succumbere & conculcari.

II. Assueuerat morborum suorum (: quos in ægro exhaustoque corpusculo sustinuit crebros, & sæuissimos) celare magnitudinem, ne quis subueniret. At quando præ nimio aut conuulsionum laniatu, aut per symptomatum periculosam violentiam dissimulari non poterant, ingenuè quantis distabesceret cruciatibus fatebatur, at ea dumtaxat spe verborumque artificio, vt ex dolorum suorum immanitate æstimarent homines quàm foret Rosa coram Deo enormis ac fœda peccatrix, quæ videlicet assiduè tot scelerum iustissimis vindicijs ab irato Numine meruisset flagellari. Hoc de se credebat ipsa, hoc itidem credi ab alijs peranxiè cupiebat.

Exambit videri digna flagellis Dei.

III. Inde est, quòd sæpiùs coram intimis ac familiaribus suis timida frequentabat huiusmodi voces: mirari se, cur Deus nondum horribili abysso demerserit infelicem Mundum qui tantam ferebat peccatricem. Item, suis demeritis illum apud Inferos deberi locum, qui omnium sit infimus & summè infamis. Vilissimum se terræ pondus, abominabile generis humani carcinoma, purulentam sentinam ac fœcem esse, indignam cui luceant Cœli, cui aspiret aer, cui tellus dorsum substernat, suo contagio inquinari elementa, suis piaculis grauari solum, amarescere Oceanum. Quoties improsperum quidpiam aut domi aut foris accideret, nō dubitabat suis id imputare delictis; cumque tam seriò ista & sentiret & diceret, ferre non poterat, quòd eius innocentiæ gnari talia credere recusarent; grauiùs dolebat si replicarent, ex mera humilitate similia dici; his regerebat, vtique sibi quæ sola se nosset fidem habendam esse. Verùm si eò procederent, vt refellendis huiuscemodi vituperijs encomia Rosæ laudesque opponerent, expauescebat misera, ac velut fulminis ictu perculsa tremebat, pallore, silentio, gemitu mœstissimè protestans se torqueri.

Rosæ de seipsa humili iudicium.

Suis laudibus adtremiscit.

IV. Accidit quòd Gundisaluum Quæstorem Michael Garzes Canonicus familiariter domi suæ inuiseret; hìc ille inter amica vt fit colloquia delapsus ad varia cœpit narrare perfun-

ctoriè,

ctoriè, quæ Rosæ (: tunc ijsdem ædibus cohabitantis:) mirabilem vitæ sanctimoniam, castigationem corporis, operumq; & morum præstantiam commendabant. Fortè de proximo conclaui hanc inuita percipiebat Rosa confabulationem, sed laudum suarum nauseam non ferens exilijt præ dolore, inque cubiculum interius vbi filiola Quæstoris Michaela erat, sese proripuit; ibi mox liberrimo eiulatu ac lachrymis suam amarissimè sortem incusans verberabat innoxium pectus, despuebat laudationis suæ cramben, caligabat pudore sui, vtque cruciatum cruciatu simul pelleret & vindicaret, pugnum crebriùs impegit capiti vbi densioribus aculeis spinea corona (: de qua infra cap. VIII.) tempora clam obsederat. Quæ sic vulnerabatur ex laudum molestia, qua putas animi iucunditate exceperit contemptum, probra, conuicia? Sed pergamus.

Encomij sui impatiens plãgit, fugit, seipsam punit.

V. Quoddam perarduum heroicæ virtutis opus ad S. Catarinæ Senensis imitationem Rosa tentauerat, perfecerat, quod cum ipsius valetudini summè noxium & exitiale crederet D. Isabella Mexia, horrore pio stimulata P. Magistrum F. Alphonsum Velasquez Confessarium Virginis admonuit, vt acerba reprehensione factum velut excessum temerarium improbaret, ac Rosam à similibus vltra vires tentandis absterreret. Increpuit ille Virginem, vtpotè nondum ex circumstantijs tunc assequens, quid laudis illa potiùs meruisset. Verùm humilis Rosa velut culpam in opere sanctissimo agnosceret veniam deprecata spospondit emendationem, læta ibi se obiurgari, vbi maximè plausum vanamq; gloriã metuerat.

Amat citra culpã reprehendi.

VI. Quandocumque ad Confessariorum pedes in suimet accusationem procumbebat, ita mox obruebatur lachrymis, interpolabatur singultibus, dehiscebat profundis ex imo corde suspirijs, vt credidisses nonnisi enormium flagitiorum ream esse quæ sic plangebat. Comparebat velut altera in Ciuitate peccatrix, verecundabatur, tundebat præcordia, trepidabat quasi iam-iam erebi rictu absorbenda; nec tamen in tanto humillimæ contritionis apparatu sufficiens materia semper adfuit in quam tutò proferri posset Sacramentalis absolutionis sententia. Certè hoc postea vno ore fassi sunt Confessarij, pluries laborandum sibi fuisse, vt in tanta innocentissimæ vitæ puritate scrutando reperirent quod ad pœnitentię forum certò spectaret. E' contra non segniùs laborabat Rosa, vt mini-

Minimos suos defectus exaggerat.

minimos quosque defectus in immensum exaggeraret, serioque ploratu ac gemitu posceret medicinam. Neque his contenta, præter frequentes in hebdomada exomologeses insuper quotidianam sibi coram S.P. suo Dominico indixerat Confessionem, qua velut in Capitulo correctionis eidem culpas suas minutim exponebat, veniamque & remedium ab eius suffragio humiliter postulabat.

VII. Testabatur Gundisalui Quæstoris vxor D. Maria Vsatiguì, quòd eius in ædibus dum triennium vixit Rosa, adeò sese omnium reputarit infimam, vt non soli Patrifamilias & Coniugi, sed tenellis quoq; filiabus, imò seruis, ancillis, mancipijs domesticis subiecta ad nutum, singulorum æquè placita velut imperia exceperit, fauorem arbitrata, si quid sibi ceu precariò in domum receptæ heriliter mandabatur, vnde & pro modico aquæ haustu flexis poplitibus à Gundisaluo (: si fortè aderat) libandi facultatem sibi exorabat. Grandia sunt ac prolixa quæ circa mansuetissimam Rosæ humilitatem notauit edixitque Gundisalui domus, sufficiat hoc postremum. Decumbebat agoni proxima, cum in vltimo vitæ suæ horariò quadrante offertur ei pro cōfortatione cordis pretiosus liquor sorbendus è cyatho; negauit ægra se posse: verùm audito quòd ipse Paterfamilias iusserat, se subditam recordata paruit, sumpsit, exhausto tenui voce adijciens: ite nunciante Gundisaluo Domino meo, me quod reuera non poteram, ipso iubente potuisse, nec in ipsa mortis ianua me fore immemorem quid hero suo debeat subdita. Qua verò animi demissione tunc ad circumstantes conuersa petiuerit condonari sibi quidquid forsitan in eam domum aut familiam seu prauo exemplo, seu tetricis ac inofficiosis moribus deliquisset, longiorem exigeret periodum, nisi ad reliqua foret properandum.

Omnibus se postponit.

In extremis extremè humilis, & subiecta.

VIII. Diu nesciuit Rosa, quidquam vel minimum in se reliquum esse quod laudi pateret, aut pulchrum æstimari posset, donec fœmina quædam obiter manus Virginis conspicata (: vt est muliebre ingenium ad similia lynceum & insigniter oculatum:) commendauit in ijs candorem, decētiam, proportionem. Exhorruit Virgo ad improuisam tantilli præconij vanitatem, arreptaque viua calce cruciabiliter manum vtramque deformauit, vsq; dum ardore mordacissimo pellis vndiq; finderetur in rugas, bullulisq; sparsim tumesceret, eo quidē dolore

Laudatū manuum cādorem abolet.

ac damno, vt per dies 30. & ampliùs vestire seipsam Rosa nequierit, vnde ancilla Mariana in opem sibi aduocanda fuit: hæc verò post Virginis obitum rem totam vt gesta fuerat manifestauit, quam Rosæ humilitas (: vt alia maiora & plurima:) de more occultasset.

IX. Pridem studuerat humilis Virgo omni arte natiuam speciosissimi vultus sui gratiam abolere, ne quâ posset mortalibus oculis placere, idque non solùm iugi inedia dirisque macerationibus, sed & aqua gelida creberrimè toti corpori superfusa videbatur iam assecuta, dum in exangui facie præter obscurum pallorem & maciem cauernosam nihil cōspicuum apparebat. Verùm vt comperit, his paulatim indicijs omnem austeritatem suorum ieiuniorum à curiosis deprehendi, æstimari, extolli, plus sibi à vanæ gloriæ laudumque tinea quàm ab eximiæ formæ præstantia timendum rata confugit ad solitum orationis præsidium, anxijsque precibus impetrauit à Deo talem sibi aptari vultum, qui saltim abstinentiæ suæ rigores ac tot ieiuniorum extima signa mortalium oculis non venditaret. Mirum dictu. Mox redijt genis detritis viuidus color, reddita faciei corpulentior plenitudo, fronti nitor, luminibus vigor, vt propemodum iurari potuisset, Rosam quid sit ieiunium penitus ignorare.

Formam recuperat diuinitus, vt ex ieiunijs maciem dissimulat.

X. Inde lepidum obuenit quibusdam Argis per otium curiosis, qui in feria sexta Parasceues fortè in Templi vestibulo confabulantes obseruauerāt Rosam cum Matre domum ab Ecclesia redeuntem. Transegerat Virgo totam illam Quadragesimam solo pane & aqua, sed præsertim illis hebdomadæ Sanctæ postremis diebus vix micatim aliquid cibi admiserat: insuper à summo manè præcedentis feriæ V. (: cui nomen à Cœna Domini:) continuò vsq; ad istius feriæ VI. meridiem immota perstiterat in eodem S. Dominici Templo, vigilias agens coram Sacrosancta Hostia tunc de more in S Sepulchri arculam solemniter illata, nec bolum aut aquæ guttulam toto illo. 30. circiter horarum interuallo sumpserat. Dum igitur supradicti congerrones inde ad proprias ædes cum Matre redeuntē vident roseo vultu instar auroræ subuiuidā, aspectuq; vegetam, amœnam, & minimè decolorem, temerè suspicati sunt, Virginē venire ab epulis ac lautitie, sonoreq; ac liberè in prætereuntem iocati, en (iuquiunt) monialem opiparè habitā,

Ridetur, ieiuna, ceu ruberet ex epulis.

en quàm splendidè profitetur vultu, se cupedijs ab aliquo dapsiliter hodie refectam! Siccinè ieiunant Beatæ! Displicuit Matri ineptissimæ censuræ temeraria dicacitas: at mirè placuit humili Rosæ sic sua latere ieiunia, etiam vsque ad tam ridiculam saginæ ac ingluuiei calumniam: Aculeus erat qui Rosam non læderet sed oblectaret.

Oblectatur sannis in se temerè iactis.

XI. Par ei solicitudo & cura fuit abscondendi reliquos suorum charismatum thesauros ne humanis laudibus pateret in prædam. Hinc factum est, quòd pleraque illustria eius opera, visiones, & arcanæ Spiritus deliciæ sic delituerint sub taciturnæ humilitatis abstruso inumbraculo, vt Matris, Sodalium, Confessariorum assidua sagacitas vix ad paucorum notitiam potuerit vmquam penetrare. Quædam Spiritu ac religione apprimè celebris persona flagrabat annoso desiderio penitiùs Diuinæ gratiæ magnalia explorandi quæ in Rosæ prato celari iam ex toto non poterant. Itaque omni alio catoscopo desperato Virginis Confessarium autoritate qua valebat induxit, vt ipse per anfractuosæ quæstionis obliquas ambages si quæ posset vel ab inuita eliceret. Diu recusauit, diu cunctatus est Confessarius, haud ignarus quàm sibi id arduum futurum esset. Tandem opportunitate seu facta seu arrepta tectis interrogationibus eminus circumiuit Virginem, at ipsa quò illæ tendebant celerrimè prægressa occupauit indaginem, hisque mitissimis verbis abrupit molestiam: scito (: inquit) mi Pater, me vsque à teneris ardenter orasse Deum, ne sinat vlli mortalium innotescere si quid altissima sua Misericordia cœperit forsan intra animulæ meæ penetralia dignanter operari. Annuit voto meo Inspector cordiũ, proinde cessa scrutari, nec inutili conatu me teq; lassaueris; secreti huius beneficium quia concessit Dominus non auferat minister. Nihilominùs vbi semel iterumue sub graui onere conscientiæ tũ à Confessarijs tũ à Doctore Ioanne de Castillo (: vt infra Cap. 12.) Spiritus examini subiecta fuit, grandia ac miranda detexit quia debuit: attamen vltra interrogata ne quid responderet, cautelam, & parsimoniam verbis suis appendit in trutina. Vnde quæ tunc verecundè inuita aperuit perpauca ac penè vulgaria crediderim, si conferantur ijs quæ Rosa sub Diuino Secreti beneficio ac humilitatis sigillo retinuit obsignata.

Cur pleraque Rosæ magnalia lateāt.

Ab infantia hæc celare studuit.

XII. Fauit mirabiliter huic virtuti Deipara humilium

Deipara iuuat Rosam sua decora occultantem.

idæa, siquidem ipsamet adiuuit Rosam instrumenta suæ mortificationis humiliter occultantem. Res ita se habuit. Ecclesiam Sancti Dominici de more precatura adierat, cum illic existentem subita consternauit recordatio vnius ex varijs instrumentis domando corpusculo adaptatis quod ipsa domi fortuitò reliquerat loco patulo vbi facile ab aliquo domesticorum absentis cubiculum ingressuro videri poterat. Expalluit confusa Virgo, timens hoc indicio deprehensum iri, quantùm exercitijs pœnitentiæ soleret incumbere. Confestim igitur ad Virginem Matrem obsecrando conuersa rogauit anxiè, periculo succurreret, ipsumque instrumentum in altero locorum quos ipsa mente designabat reconderet. Statim euanuit metus, abscessit pauor, & Rosa ab oratione domum regressa instrumentum suum reperit non vbi reliquerat, sed vbi illud à Matre Gratiæ recondi flagitarat.

Affabilitas Rosæ, & placidissima mansuetudo.

XIII. Tantam eius humilitatem indiuulsè comitabatur suauissima mansuetudo, placida affabilitas, mite superciliū; mirati sunt quotquot eam nouerant, numquam ab illius ore excidisse verbum duriusculum, obstreperum, criticum, numquam auditum sermonem iactantiæ, fastus, ostentationis, nihil in moribus aut motibus apparuisse tetricum vel subtriste quod acidam saperet austeritatem: Tota serena, comis, benigna, de se nesciebat altum sapere, sed tantùm subijci omni humanæ creaturæ. Negasses Rosam esse quæ adeò carebat spinis, at sustine, nam in semetipsam tota spinosa fuit, quod ex varia corporis sui castigatione proxima. 4. Capitula fusè docebunt.

CA-

CAPVT VI.

Rosæ mira abstinentia, prodigiosi ieiuniorum excessus.

I. FVndamento tam profundo, lato, ac solido dignum fuit ac tutum, prægrandia, excelsa, ponderosa superstrui fastigia. Sanè vim narrationis transcendunt quæ de Rosæ ieiunijs ieiunè satis innotuerunt, nam vt diximus, latent plurima. Hoc summariè constat, Virginem per S. Catarinæ Senensis vestigia gradatim abstinendi, ieiunandiq; vsum fermè ad ipsum vsq; inediæ culmen mirabiliter produxisse. Suo ordine dispiciamus singula.

Imitatur ieiunia S. Cat. Senensis.

II. Nondum infantiæ pannos & annos pupula excesserat, cum sibi (: quod illi ætatulæ peregrinum & graue est:) omni fructuum esu interdixit. Sæpe obstupuit attenta Mater, paruulam suam nulla talium cupediarum aut suauitate aut varia pulchritudine capi, nàm fructus sibi datos mox alijs donabat, numquam vel primis labellis admouebat. Sexennis feria IV. VI. & Sabbatho (ni Mater aut Medicus ad aliud cogerent) omni prorsus abstinebat obsonio, nil præter panem & aquam degustans. Anno ætatis quintodecimo votum emisit, toto vitæ suæ decursu abstinendi à carnibus, quoad permitterent ij quibus obedire teneretur. Hoc in tenera puella canæ prudentiæ moderamen fuit, quo sic corpusculo suo detractum voluit vt simul alieno in se iuri atque imperio nil detraheret. Interim cautæ filiolę ingeniosa non defuere strategemata quibus Matri diu occuleret hunc seuerum abstinentiæ tenorem, ne ab ipsa valentioribus edulijs vesci cogeretur.

Infans fructuum esu sibi interdicit.

Cautum simul ac rigidum abstinétię votum.

Ieiunia sua occultat Matri.

III. Interdum nobiles Matronæ deuotionis ergo Matrem cum Filia in suas ædes inuitabant, epuloque sobriè instructo rogitabant vtramque secum vnà accumbere. Durissimum id erat frugali Rosæ quam vel odor carnium offendebat. Sed parens Matronis quàm Filię complacendi studiosior iubebat hāc omnino carnibus vesci ne inurbana singularitate adstrictioris parsimoniæ videretur Mensæ honorem profanare. Parebat

Carnes degustare coacta, mox febricitat ex nausea.

mœsta

mœsta Filia, sed maximo inassueti stomachi supplicio, nam quidquid carnium reluctanti ingesserat, paulò post captato secretiori angulo totum supernè reddendum erat non sine miserabili cruciatu. Quòd si aliquando æger ventriculus buccellam exosam nulla vi potuisset eluctari, paroxysmus erat in foribus, ac nauseantem ardentissima febris inuadebat.

IV. Nec mitiori successu obediebat Medicis, si-quando aut languentem aut lentiùs conualescentem tentabant esu carnium ad vires pristinas reuocare; tantùm enim aberat isthoc genere alimenti iuuari infirmam, vt etiam à bolo velut à toxico recidiua magis debilitaretur, morboque redintegrato non ægra sed ægritudo vires acciperet. Semel ex morbo sat ancipiti emerserat, vtque citiùs instauraretur, ex præscripto Medici pauxillum carnis pauenti eius stomacho obtruserant, cum ecce repentina totius corporis lassitudo, mox tremor & deliquium prostrauit miseram, subitumque pectori ac pulmonibus asthma incubuit, pressit, ac respirandi facultatem interclusit. Vix pluribus horis hac sese angustia Virgo explicuit, ac per aliquot dies nec passum progredi nec plantis consistere potuit, donec restituta sibi consuetæ abstinentiæ potestate sensim & ipsa restitueretur sibi. Iam penè conualuerat, & denuo inuitam ad carnis ferculum compulerunt: denuo item rediere prædicta symptomata, nec remedium nisi ab vsitato panis & aquæ pastu superfuit.

Ex pane & aqua certius conualescit.

V. Laborabat frequenti ischiade, ac plerùmque ea dolorum vehementia, quæ stomachi fundum euerteret. Sub hoc tormento integros quandoque cum noctibus dies sine cibo transigebat: verùm sedato nonnihil cruciatu mox instabat domesticorum pietas vt è carnibus iusculum admitteret. Ipsa hoc vrbanissimè recusato potiùs deposcebat familiarem sibi adferri dapem, panem & aquam; his allatis velut pollucibiliter deliciatura panis medullam intingebat frigidæ, eaque sumpta post modicum surgebat è lecto quasi refecta satisque opiparè recreata. Quæstor Gundisaluus domi suæ bis terue hoc medicamine non anaretico sed planè anachoretico vidit Rosam cõualescere, protestans neutiquam se capere, vnde huic ieiunio vis nutriendi inesset.

Nec iuscula è carnibus suffert.

Ieiunio saginatur.

VI. Ibidem alia vice obseruatis in Virgine manifestæ debilitatis nimijs indicijs voluit idem Paterfamilias, quòd ex ala

coctæ

coctæ auiculæ quid modicum sumeret quo labentem stomachum nonnihil erigeret. Rosa tot iam edocta malis attamen vrgenti conabatur obtemperare. Vix bolum glutiuerat, cum præsaga periculi comiter mensam reliquit, in vicinum conclaui Oratorium se proripuit, valuas adduxit; cumque de more sub seram noctem pallidula inde prodijsset, Quæstori & Coniugi subtrepidè fassa est, minimum abfuisse quin exiguum id quod ex auicula gustauerat morte lueret, prædira pectoris obstructione quæ miseram propè suffocarat.

Ex modico carnis bolo periclitatur de vita.

VII. Impulerunt cruda hæc experimenta commiserantem Quæstorem, vt Virginis Confessarios, Medicos, parentes sigillatim ac penè adiuratò obsecrauerit, ne deinceps imperato carnium esu Rosam in vitę discrimen adductam vellent, sufficere tot euentuum tragica specimina in testimonium promptæ vltra vires obedientiæ, crudele ac Deo palam ingratum fore quidquid vlteriùs tentaretur ad oppugnandam Rosæ abstinentiam, à qua tam perspicuè illius vita pendebat. Audebat & Rosa sub tali aduocato liberiùs præoccupare Medicos ne quam sanam vellent, carnium edendarum obiectu trucidarent, imò & alia quæcumque vegetioris succi esculenta se admissuram negabat, ita visum esse Numini, cui ipsæmet naturæ leges famulantur ad nutum. Alludebat forsitan supernæ quam recolebat visioni, qua Christus increpanti blandientique medius Rosam docuerat, velle se ab ipsa tam rigidis abstinentiæ exercitijs constanter honorari, sibi illius vitam ac valetudinem curæ cordique fore, nec diffidendum, quin ille qui pro ea suam in Cruce vitam prodegerat, qui extrema fusi pretiosissimi sanguinis gutta ipsam tam carò emerat, qui in eius animam tot Gratiæ thesauros tantamque cœlestium donorum opulentiam congesserat, demum & terreno suo corpusculo id præstiturus sit, iamque præstiterit, quo carnis edulio carere possit. Ergo cedat Æsculapius, quiescite ò Medici, nam Diuinum est mysteriũ hoc quod cernitis.

Exinde obtinet liberiorem abstinẽdi permissionem.

Christus hunc eius rigorem probat.

VIII. Tardiùs Matri persuasum fuit, vt Filiæ tam seueram tenuissimi victus rationem formamque æquanimiter indulgeret. Quoties aut nimiam in exangui vultu maciem, aut vires infra mediocritatem deiectas notabat, vnam hanc rigidã castigatissimæ parsimoniæ diætam instar atrocis delicti vocabat in crimen, vociferabatur impatiens, ac penè illismet

Adhuc repugnat indocilis Mater.

quibus

quibus olim in S. Catarinam Senensem Lapa Mater, tonabat verbis, singularem, obstipam, ac suijpsius carnificem proclamitans. Cumque nec sic proficeret, imperiosa præcepit, quotidie secum deinceps accumberet communi mensæ cum familia, visura demum, quid quantumque manducaret. Vicissim à parente Filia supplex impetrauit, saltim ea sibi permitti ac parari fercula quæ non modò ingerere sed & digerere posset. His vltro citroque velut ex pacto mutuo constitutis prudens Filia culinariam ancillam Marianam suarum partium fecit. Huic dextrè ac sub fide silentij extorsit, vt sibi in singula prandia solam pararet offam ex panis frustis & herbarum pugillo, at sine sale & condimento, simplici aqua decoctam, pauculis dumtaxat vuis passis nonnumquam insperfis, vt Matri in singulos bolos attentæ videretur genialiter obsonare ac dulciter, vbi rarus bolum augebat acinus. Sed diuersissimum erat quod reipsa gerebatur, nam herbæ quas sibi Virgo in pastum singulari cura selegerat, amarissimæ erant, & agresti saporis malignitate torquebant palatum. His delicijs mulcebat gustum, quibus ne simile condimentum abesset, persæpe cineres admiscebat.

Cogit Filiam prādere secū.

Rosæ stratagema, vt palatū cruciet.

IX. Audierat in vicina sylua pronasci herbam insigniter præ ceteris amaram: hanc sibi clam adferri, ex ea deinceps insipidum pulmentarium sibi iussit apparari, & ne tam exquisitæ prouisionis annona deficeret, herbam eamdem suo hortulo implantauit, suis manibus solicitè coluit, persuadens Matri, valere in vsum medicinæ. Semel curiosa Parens in horti sepimento vasculum reperit felle veruecino plenum; statimque suspicata id quod erat, Filiam interrogauit, cur eo loci id abscondisset, aut cui bono? Rosa deprehensam se videns simpliciter respondit illo se vti ad offulam suam inspergendam. Egregium sanè stimulandæ orexi proritamentum. Innotuit postea (: reuelante ancilla Mariana) Rosam omni ferè diluculo quo Sacra Synaxi reficienda non erat, austero hoc fellis promulsidario in Dominicæ Passionis memoriam os totam imbuere solitam. Præcipuè tamen sextis ferijs velut ex acetosa spongia cum Christo in Cruce pransura ex eodem felle & panis crustula sibi componebat electuarium mordaci aceto & copiosis lachrymis stillatim superfusis; suo idiomate *Gaspachos* appellitabat hoc genus embāmatis quia frigidum sume-

Herbam amarissimam seligit in obsonium.

Condimētum ex felle veruecino.

Embamma aceti & fellis.

sumebatur. Deficiente fellis copia succedebant in vicem folia quædam amarissimi fruticis quorum suctu & masticatione Christi in morte sitibundi hyssopum malè iurulentum saucia cogitatione recolebat.

X. Fruticat in illo occiduarum Indiarum fertili tractu planta mirabilis, *Granadilla* vernaculis dicitur, Latinis rei tam serò visæ proprium adhuc deesse nomē crediderim, nisi quòd supplente periphrasi *Florem Passionis* vocitet fidelis Europa. Hìc mirifico naturæ lusu pleraque Dominicæ mortis nostræq; redemptionis instrumenta velut in exigui proscænij compendium sese conspicuè explicant, nam inter foliola cruentis maculis venustè dispuncta assurgit columnula flagellati Dei stamen, huic infernè spinea corona circumiacet, supernè tres claui infixi prominent, foliorum ambitum quasi filatim pendula flagella interstinguunt, medium sinum aceruatim implent granula eximij saporis. Itaque Rosæ in cibum placuērunt huius benedicti floris non grana quia dulcia, sed pampini quia amarissimi: his decoctis vescebatur libentiùs, quòd & succi amaritudine & floris sui cognatione aptiùs Parasceuen quàm prandium repræsentarent.

Granadilla vulgo Flos Passionis.

Huius folijs Rosa libenter vescitur.

XI. Transeundum nunc ad ieiunia, tametsi dubitari haud immeritò possit, ab ipsa esurie an à talibus cibis durius esse tormentum potuerit. Monuere, qui de Rosæ virtutibus post obitum solemniter testificati sunt, duplex ieiuniorum ei fuisse genus, vnum commune quo semel in die pertenuem panis & aquæ libabat refectiunculam at non nisi sub noctem; alterum verò appellabat suum, quo per totum diem noctemque penitus gustabat nihil. Primum, tametsi prope quotidianum esset, præsertim vltimis vitæ annis quos in Gundisalui Quæstoris ædibus consummauit, peculiare tamen quotannis ad normam Dominicani instituti septem illos continuos menses obseruabat, qui festo Exaltatæ S. Crucis & Paschati Resurrectionis interfluunt Ordinis ieiunio consecrati. His igitur mensibus etiam herbarum panisque diminutione accuratiùs se macerabat, donec ineunte Quadragesima omnem sibi omnino subtraheret panem, solis malorum aureorum seminibus parcissimè victitans, nam ex ijs non vltra quinque sumebat sextis ferijs adiecto solo veruecini fellis haustu, vt hac lautitie quinque plagarum Christi acerbitatem præsentiùs ruminaret.

Rosæ duplex ieiuniorum genus.

Ieiunium à festo Exaltatæ Crucis.

Quadragesimale ieiunium Rosæ.

Cibarij panis arcta mensura.

XII. Residuo anni tempore panis mensuram tam sibi curtam indixerat, vt quod vnicæ diei sat esse credebatur, integro vix octiduo totum absumeret. Dum Rosa adhuc domi propriæ suum de quo infra Reclusorium inhabitabat, Gundisalui Quæstoris vxor ei hebdomadatim mittebat rudioris panis octo placentulas, vt dietim vna ad-minus necessario victui tota impenderetur. Sed euoluta septimana, ac superueniente totidem recentium panum demenso inueniebatur, Rosam ex octo panibus permodicis vnum dumtaxat cum dimidio per totam illam hebdomadam comedisse, restitutis nimirum sex reliquis cum dimidio qui in penu superfuerant.

Modico pane L. dies transigit.

XIII. Nescio, ieiunium an planè *inediam* appellauero quod sequitur. Obseruatum fuit, Virginem cum pane vnico illoque sat exiguo & aquæ vasculo integram dierum quinquagenam transegisse absque omni alio cibo aut potu, nimirum à Paschate Resurrectionis vsque ad Pentecosten. Item alio anno totam eiusdem quinquagenæ intercapedinē decurrit prorsus sine potu, ne guttulam aquæ sorbens. Vbi verò Quæstoris eam domus contubernalem excepit, nil nouum fuit, si complures continuos dies absque vllo omnino alimento transmitteret: plerùmque etiam feria V. solebat ibidem se domestico Oratorio includere, nec inde se mouere vsque ad Sabbathum, ita quòd infra hoc triduum planè insomnis non modò carebat omni cibo potuque corporali, verùm etiam (: quod Quæstorem Gundisaluum maximè rapiebat in admirationem) toto illo tempore remanebat vni affixa angulo, vt neque ad momentum pro quacumque necessitate ab illo discederet. Nempe corpusculum ex inedia vacuum sustentabat pinguedo Spiritus, cui cœlestium meditatio sagina erat.

L. diebus sine potu.

Triduana inedia Virgini frequentissima.

XIV. Aliquando Communicanti solæ species Sacramentales tantum roboris contulerunt, vt in fortitudine cibi illius toto octiduo nullum aliud nutrimentum admiserit. Semel extra consuetum tempus quid modicum sumere coacta, cum illud stomacho retinere non posset, reddidit, ac velut intemperantiæ rea seipsam decem dierum rigida inedia damnauit

Nunc 8. nunc 10. dies sine cibo.

XV. Denique vel in simplicis aquæ potu adinuenit, quo siue biberet siue abstineret, gustum fraudaret: nam vt faucium ardori leuamen ac refrigerium subtraheret, integras hebdomadas trāsigebat sine potu, bibitura verò non frigidam

Hebdomadaram siti se cruciat.

sed

ſed calentem ſorbebat lympham, metuens in aqua ſubgelida tantillum inuenire deliciarum; Cauſam rogata, aliam dabat, nimirùm hac ratione ſe mederi ſomnolentiæ, quam aquæ præſertim frigidæ hauſtus prouocaret. Alia minora præterire hìc liceat, cum putem iſta ſufficere, vt de inimitabili huius Virginis frugalitate victuſque parſimonia nil vulgare conijciatur.

Ne aqua frigida delicias ingerat, bibit calidam.

XVI. Longè mirabilius fuit, quod notarunt domeſtici, Roſam plus virium ſemper hauſiſſe à ieiunijs & longa inedia quàm à cibo corporali; verùm (: vt infra narrabimus:) etiam hoc ipſi cum Magiſtra ſua S. Catarina Senenſi commune fuit, quòd os famelicum vulnerato Chriſti lateri applicuerit, ſiquidem extra hunc fauorem & fauum tam diſcipula quàm Magiſtra non norant aliud quo ſaturari poſſent.

Cibo flaceſcit, inedia roboratur.

CAPVT VII.

Roſa tenerum corpus cilicijs, flagris, catenis domat.

I. MIrum in arido totque ieiunijs extenuato corpuſculo ſuperfuiſſe locum qui flagella exciperet, ſanguinem qui verbera ſequeretur. Nihilominùs Roſæ tantus inerat caſtigandi corporis ardor ac ſtudium, vt ei per Confeſſarios modus fuerit imponẽdus.

Roſa in ſeipſam ſpinoſa.

II. Initio, cum S. Catarinæ de Senis geſtare cœpiſſet habitum, non contenta vulgaribus funiculis, duas ſibi catenas ferreas aptarat in flagrum, hiſque ad imitationem S. Patris ſui Dominici per ſingulas noctes tam durè ac dirè ſibi dorſum & ſcapulas cruentabat, vt riui ſanguinis in parietibus, in pauimento, in ſubligaculis fuerint notati. Credebat innocens Virgo ſe ſuis peccatis has debere vindicias. At præterea publicarum miſerta calamitatum, ſatagebat his modis ad exemplar ſuæ Magiſtræ placare Numinis iram, mitigare iuſtitiam; vnde nunc pro ærumnis totius S. Matris Eccleſiæ, nunc pro anguſtijs periclitantis Reipublicæ cruentam ſeſe victimam cædebat inclementiſſimè, vt clementiam impetraret, plagiſq;

Catenis ferreis ſe cędit.

Pro ſe & alijs.

plagas auerteret. Si qua aut Regno Peruano, aut Vrbi Limensi patriæ suę flagella diuinitus imminebant, suis conabatur flagellis diuertere: nec animarum in purgatorijs flammis bullientium immemor duplicabat ictus catenarum in noua, cruoris profluuia quæ rogi partem extinguerent. Pari sumptu connitebatur Agonizantibus impetrare subsidia pro illo tanti momenti supremo momento à quo pendet æternitas.

Pro animabus in Purgatorio.

Pro moribundis.

III. Cæterùm pro culpis alienis, pro compensandis Peccatorum in Dei Maiestatem iniurijs, pro eorumdem conuersione ad frugem meliorem dici non poteſt quot flagellorum sulcis, quot vibicum liuoribus seipsam in dies exararit, nesciebat ferias quotidianus feriendi labor & dolor, quem sic dispensabat per diuersas corporis partes, vt dum vnius plagis detumescendi & coalescendi dabantur vices, transiretur ad alteram, ab hac verò postridie reditus fieret ad priorem vix dum coalitam; porro hæc verberum alterna sed cruda vicissitudo tantò diriùs cruciabat, quantò acrior sensus inerat partibus pridie læsis.

Pro peccatoribus.

Ingeniū, ex vicissitudine acuēdi dolorem.

IV. Assueuerant domestici (: quamquam inscia Virgine) ex ædium parte secretissima per singulas noctes audire hos disciplinarum ictus, at semel vltra solitum cohorruerunt, dum Rosa nullo iam læsarum aut illæsarum partium discrimine vehementiùs ac diutiùs in se totam desæuiebat plagarum streipitu latè sonoro. Occasionem dederat popularis quædam in Limana Ciuitate turbatio leuibus (: vt assolet) orta principijs. Vir Apostolicus, ac Seraphici Ordinis iubar eximium Venerabilis P.F. Franciscus Solanus in vita & post mortem constanti fama Sanctitatis ac prodigiorum gloria clarus, pro concione obscuriùs fortè nonnulla protulerat, quæ Limensium vulgus prauè intellecta detorserat in sensum prorsus alienum. Hinc subitus pauor totam peruasit Vrbem quasi ex publico P. Solani vaticinio terræ hiatu proximè absorbendam, quod tamen ille nec dixerat, nec somniarat. Rosa periculi admonita quo tum Sancti Viri celebre nomen tum marcentis Limæ nutabat tranquillitas, mœsta indoluit, noctemque illam horrisonis flagris in sua carne depurpurauit, vt proprij sanguinis hostimento sopiret communem populi sui turbationem quæ cordatis periculosior quocumque terræ motu videbatur.

Asperitas verberum grauior ex singulari occasione.

Franciscus Solanus Vir Apostolicus.

V. Magister F. Ioannes de Lorenzana Confessarius Virginis

ginis cum hunc disciplinarum rigorem imbecillitati corporis paulò æquiùs censuisset attemperandum, Rosa maximis ab eo precibus extorsit, quo saltim liceret sibi intra certum dierum spatium verbera quinquies mille sibi infligere, qui piè creditur esse numerus ictuum quos in sua crudeli flagellatione Christus excepit. Hac permissione obtẽta æquè solicita erat Rosa, vt eum numerum non transiliret, quàm vt impleret. Siquidem ne transiliret, nouam à Confessario permissionem toties exorabat, quoties aut aliqua proximorum necessitas, aut causa publica videbatur peculiarem ab ea succursum exigere. Vt autem impleret, obseruabat attentissimè quot diebus subinde ex infirmitate decumbens ab vsu quotidianæ disciplinæ fuisset impedita, subductoque diligenti calculo vbi conualuisset, ita in proximam dierum periodum diuidebat omissorum ictuum portiones, vt compensatione facta permissum numerum 5000. exactè adæquaret, nec segniùs numerum præsenti dierum periodo tunc respondentem vnà absolueret.

Confessarius Rosæ permittit certam ictuum mensurã.

Ad numerum verberum Christi flagellati.

VI. Pari obedientia suo Confessario adquieuit, quando nimiam ferreæ catenæ atrocitatem in aliud ex filis contortum at nodosum asperumque flagellum præcepit commutari, vt sui Ordinis communiori vsui humiliùs sese conformaret. Proinde Rosa ferreum hunc scapularum vomerem sanctiùsne posuerit an sumpserit, in medio relinquo.

Flagrum ei ferreũ mutatur in funiculos.

VII. Porrò quàm auidè in pœnitentiæ exercitia propenderit Rosæ genius, iam inde fermè ab infantia serijs præludijs abundè ostenderat. Quadriennis erat, cùm tenellos humeros (: quibus flagellandis tunc adhuc deerant rudi puellæ funiculi:) incepit vexare nunc crudorum laterum ponderibus, nunc grauis trunci onere, velut ex tunc conata baiulare Crucem post Christum sub infamis ligni molestia laborantem. Mariana ancilla domestica horum arcanorum sola aliquamdiù conscia, sola Virgini à secretis erat; hanc itaque nunc in remotiorem horti angulum nunc in solarium domus seuocatam flexis humi geniculis precabatur, vt (: quod suismet ipsa manibus tenella nondum poterat) humerulos suos vi laterum ibi sparsorum oneraret; sub ea mole, grauique obtritu durabat paruula in oratione prolixa & laboriosa; tandem innuebat ancillæ, sine strepitu pondus auferret, ne fortè superueniens Mater furtiuæ deuotionis turbaret scenam, aditumque similia iterandi præcluderet.

Tenella conatur baiulare Crucem.

VIII. Alijs

Varijs oneribus scapulas vexat.

VIII. Alijs vicibus sub eodem silentio rogabat sibi grauari scapulam informi trabe, collectisque exiguis viribus conabatur obnixa sufferre durissimam sarcinam dum preculas suas bene longas absolueret. Æstuabat impar oneri, gemebat, obluctabatur, donec interdum victa premeretur vsque ad solum. Rudimenta hæc erant seuerioris militiæ; quam ætas maturior vt promittebat animo sic corpori minabatur.

Caluariæ solitaria Processio.

IX Nondum quartumdecimum annum egressa fuerat, cum notari cœpit inter alia pœnitentiæ opera, quod noctu perambulabat hortum nudipes imposita sibi oblonga Cruce, quam dum liuidis gestabat humeris, semetipsam crebris genuflexionibus terræ allidebat, amarissimam Caluariæ viam æquis tum passibus tum suspirijs dimetiens; nec vlla malignantis auræ intemperies, non horrida obscuritas, non frigora, non turbines ventorum insuaues erant Virgini vndequaq; suo corpusculo quidquid incommodorum poterat accersenti.

Ferrea catena lumbos adstringit.

X. Inhibitum ei fuerat (: vti supra attigimus) ne ampliùs ferream catenam in vsum flagelli adhiberet. Ipsa rem sic interpretata est, non vt omnino sibi catena parceret, sed tantùm non cæderet. Itaque hanc lumbis suis triplicato circumductu fortissimè adstrinxit, extremis commissuræ ansulis seram immisit, clauiculam abdidit vbi recuperare nec ipsa posset. Occultissimum hoc erat tormenti genus, quodque vel diù vel fortè semper latuisset vniuersos, nam Rosa vel ipsam operum suorum Secretariam Marianam huius insciam voluit, sed noluit Deus; vnde sic demum patuit: Nocte concubia Rosam in strato acutissimus coxendicum dolor inuaserat; sentiebat afflicta totum à catena malum esse, velut quæ per extritam pellem hinc inde carni neruisque profunda incumbebat, vnde renes & latera ferri algor in atrocissimi doloris consensum attraxerat. Angebatur Rosa, quòd se sola nec rumpere noxiam catenam, nec sine claue seram diffibulare poterat. Crescebat interim sub indissolubili vinculo atrox Ischiadis cruciatus qui demum inuitæ Rosæ post longos gemitus etiam miserandos eiulatus extorsit. Euigilans Mariana prosilijt, ægram subleuatura accessit, obsequium quodcumque in rem foret obtulit, simulque de morbo ac morbi causa perplexè interrogauit. Hic misera Virgo secretum suum prodere debuit, vt ab ancilla consilium modumque exquireret, quo soluatur ca-

Deprehēditur arcani tormenti nimius rigor.

tena

tena priusquàm experrecta Mater in auxilium vtrique accurrat. Tentarunt ambæ quid possent, alternabat vices lucta & consultatio, sed neutri cedebat tenacis seræ firma contumacia. Meminerat ancilla, eiusmodi seras valida contusione nonnumquam aperiri, dum igitur abit quæsitura saxum, anxia Rosa Matrem aut vocari aut sponte mox affore timens ad orationem confugit, quæ instar clauis & Cœlum, & seram penetrauit. Mira res, cum saxo rediens Mariana audit sonoro crepitu seram sponte dissilientem, laxatur sensim catena, diducitur, abstrahitur tota, sed passim auulsione opus fuit, quam cutis & cruor sequebatur. Hoc agone defuncta Rosa quietem repetijt vt eamdem ancilla repeteret, ac manè facto velut nil graue passa ad consuetos labores properauit.

Miraculo catena soluitur.

XI. Vix laceratæ cutis vulnera coierant, quando Rosa ad suam catenam redijt, pristinoque ferri tormento se rursus incinxit; donec tandem (: incertum quibus indicijs) resciuit Confessarius, qui continuò præcepit Virgini, catenam vt erat sine mora sibi transmitteret. Paruit illa, catenam denuo carni adnatam à lumbis reuulsit, pannoque diligenter vnà cum sera obuolutam Sacristæ F. Blasio Martinez tradidit rectà ad Confessarium deferendam. Sacrista ex pondere suspicatus aureos inesse torques aut pretiosa monilia, digressus à Virgine explicuit inuolucrum, ac dissimillimum auro thesaurum reperit, catenam recenti imbutam sanguine, quam frustillatim adhærescens caro & pellicula varijs locis conspicuè satis interpunxerat. Huius aliquot ansulæ seu circuli post Rosæ obitum apud D. Mariam de Vsateguì aliquàmdiu asseruati mirabilem at omnibus peregrinam spirarunt suaueolentiam, testes nimirũ pœnosi sudoris quem de Rosę corpusculo imbiberant.

Rursus induitur.

Iussa eam deponere, mox obedit.

Signa cruenta in catena.

Eius suaueolentia.

XII. Neque pulpæ brachiorum ab eiusmodi vinculis immunes erant, his enim Rosa ad cruciatum arcta quædam ligamina circumdederat, quæ perpetim torquebant complicatos musculos, at tum vel maximè vexabant lacertos quoties aut aliquid de terra leuandum, aut brachia sursum extendenda erant. In his nexibus clam dolorosis meditabunda vinctum in horto Gethsemani Sponsum comitabatur ad ædes Caiphæ, Annæ, & Pilati. Nec adeo has alligaturas quamquam strictissimas pellis obduxerat, quin videre eas potuerit Mariana, quando medebatur laceris Rosæ scapulis, nam sæpè postulabatur

Lacertos clam vinculis torquet.

Notantur ab ancilla.

batur hoc genus officij, eò quòd iugiter in Rosæ dorso patebant scissuræ, quibus ex interuallo iussa Mariana inspergebat ignotos pulueres, ne saniem conciperent; chartaque bibula obducebat repetitis postridie tunsionibus renouandas. Porro dum brachia & lumbos vincula neruique arctabant, manipulatim vrticæ ac minutuli sentes morsu creberrimo vexabant pectus, axillas, latera, ne qua pars vacaret à cruciatu, dum forte cilicium adhuc deerat præ inopia. Sic nempe Rosa in sentibus configurabat se lilio inter spinas.

Supplementa cilicij.

XIII. Verùm vbi pro ingenti munere ditatam se vidit breui cilicio; quasi purpuram, byssum, trabeamue nacta, sibi suæque tremulæ carni gratulabatur de nouo pœnitentiæ baltheo, rigoris paludamento. Initio quidem illud tametsi asperum, minùs tamen quàm Virgo optauerat, latum sinuosumq; videbatur, vtpotè quod vix duorum palmorum mensuram excedebat. Sed paulò post aliud successit ex religiosæ personæ liberali dono, quod Rosam vndequaque contentam reddidit. Manicatum hoc erat, atque à collo & humeris infra genua propendebat; hispidum, ex crassioribus equorum setis prædensè contextum vix non loricæ grauitatem æquabat. Ponderosa hæc asperitas vt suapte grossitie ferè implicabilis ita duritie implacabilis cuiuis robustiori pœnitentiæ alumno sufficere potuisset ad summam austeritatem, nec tamen Rosæ sat fuit, nam infixis, vndique breuissimis acubus hirsutam interulam diligentiùs in se armauit. Herinaceum credidisses, non Rosam, Virgini tamen hæc rudissima Gausapina non tam cilicium quàm abolla videbatur, eaque per complures annos est vsa, donec ob frequentem sanguinis vomitum alieno coacta fuit imperio noxiam hanc exuere cataphractam.

Demum cilicio donata exultat.

Forma ac materia cilicij.

Acubus augetur asperitas.

Deponitur iussu Confessarij.

XIV. Aliam tamen ipsa adinuenit castigandi corpusculi rationem quam priori clam substitueret, minori forsan valetudinis damno at non leuiori molestia. Saccum villis crassissimis grauem sibimet in formam indusij aptauerat, & ne posset deprehendi pilosa ruditas, extremis manicis carbasina integumenta obduxerat. Sub hoc pondere æstuabat, rigebat, lassabatur extenuata viribus Rosa, incessu nonnisi difficillimo gradum promouebat, & siue consederat, siue genua humi fixerat, ægrè se attollebat in pedes, pœna erat quicumque motus, languebant artus velut sub sarcina, sibique videbatur plum-

Succedit in vicem saccus asperrimus ac ponderosus.

plumbeo magis quàm cannabaceo stromate subuculata. Infimæ dumtaxat pedum supererant plantæ, quas neque cilicium nec disciplinæ verbera attingebant; nihilominùs reperit solicita carnis suæ domitrix, quo & illis propriam dispensaret cruciatuum portionem. Igitur quoties domi coquendis panibus accendebatur clibanus, prensabat occasionem Rosa; nudatisque plantis calcabat immota summum fornacis orificium vbi vis ardoris vehementior erumpebat. Meditabatur illic sensu acerrimo dira gehennæ incendia, quæ sibi deberi plùs quàm seriò autumabat. Sic demum à planta pedis vsque ad verticem capitis nil ei residuum fuit quo voluntarios cruciatus exciperet.

Plantis pedũ tormina quærit à clibano.

XV. His blandimentis Rosa demulcebat tenue illud corpusculum cui aliàs à crebris infirmitatibus sat pœnarum erat, vt infra suo loco videbitur, neque animus illi deerat tentandi etiam his maiora, ni prudentes Confessarij vetuissent; qui identidem interposito moderaminis præcepto discretam virium rationem habendam occlamitabant. Sanè quàm corpori suo Rosa amica non fuerit, supremum hoc paradigma esto, quòd Virgo cautissima nec delicias Spiritus vsque ad corporis solatium exundare sinebat. Perpaucis Dei amicis id curæ fuisse legitur, de vnico Gregorio Lopez Mexicano id Rosa legerat, statimque sibi imitandum sumpsit. Igitur vsque ad hanc subtilissimam diuisionem carnis & Spiritus elegerat cõformari Sponso crucifixo quatenus ille nec gloriam animæ in suum adhuc mortale corpus, nec gaudia partis superioris in inferiorem deriuari permisit ne passionem impediret. Sentiebat & Rosa ex mirifico cœlestium sapore ac prægustu suum dulcescere Spiritum, inebriari mentem, saginari animum, sed interim cauebat & (: quoad potuit) obstabat, ne in talium epularum quantulamcumq; communionem aut sympathiam admitteretur miserum corpus, quod soli passioni & cruciatui destinarat: & si eam Rex introducebat in cellaria sua, ipsa suum corpus iubebat foris stare. Existimo rarum hoc diuortium sublimioribus Rosæ operibus posse accenseri.

Rigorem temperãt Confessarij.

Rosa corpusculo suo omne solatium negat.

CAPVT VIII.

Rosa capiti aculeatam coronam circumdat, imprimit, infigit.

Quæ SS. ambitio.

I. DEcebat charam B. Catarinæ Senensis discipulam in Schola patientiæ ad Magistræ suæ prototypon laureari. Mira hæc Sanctorum est ambitio, qua malunt Christi spineam quàm auream coronam in huius vitæ exilio circumferre. At Rosis præcipuè nec tutum nec decorum est, spineo carere sepimento. Verùm ad rem.

II. In ipso adolescentiæ ac pueritiæ confinio Rosæ corculum acerbissimè compunxerat deuota ac tenerrima compassio ex auidissimo obtutu piæ imaginis quæ muto præconio clamitabat *Ecce homo*. Hærebat in illo plexili senticeto quod Christi verticem cruentè insederat, pudebat sub spinoso Capite se membrum videri delicatum. Itaque primam sibi tunc coronam (: de secunda agetur paulò inferiùs :) ex ductili stanno complicuit, quæ seu funium seu virgularum mutuo implexu contortarum spiram effigiabat. Huic per certa interualla nonnullos indiderat clauiculos introrsum præacutos, eoque diademate clam sibi caput non sine vulnere obcingebat sub vittis victima coronata.

Prima Rosæ corona aculeata.

III. Annos complusculos durauit & indurauit pia Virgo sub hoc oneroso capitis spineto, verùm id nonnisi puerile fuit tyrocinium robustioris tormenti quod ex secunda corona aculeis nonaginta & nouem armata imminebat. Hanc posteriorem decimo circiter ante obitū anno, hoc est paulò post quàm Dominicani Ordinis togam sumpserat, sibi imposuit, nec nisi cum vita deposuit; Nimirum vt cœperat attentiùs contemplari spineam sui Redemptoris coronam in caput S. Catarinæ Senensis mirabiliter translatam, minimè sibi quiescendum duxit, nisi eamdem pariter in suum inde verticem æmulatione qua posset religiosiori accerseret, nec sibi videbatur totum Seraphicæ Magistræ induisse habitum, nisi & spineam illius induisset coronam.

Secunda, longèque sæuior.

Ad exemplar S. Catarinæ Senensis.

IV. Nouo

IV. Nouo igitur ardore, ac patiendi desiderio lamellam argenteam sibi flexit in circulum, huic ab intus ex eodem metallo tres infixit aculeorum ordines, ita vt quælibet series triginta & tres contineret aculeos, videlicet pro numero annorum Christi quos mortalis pro mortalibus expleuit in terra. Certè nil excogitari potuisset aut pro capitis (: vt appellãt Medici:) *pia Matre* magis pium, aut *duræ Matri* durius, nisi hãc duritiem ipsa pietas suggessisset. Porro ne capilli, qui post rescissionem breuiores succreuerant, profundiori obstarent aculeorum impressioni, ad viuam vsque cutem nouacula crinem omnem submouerat, aliquid tamen inculti cincinni relictum in fronte quo corona interdiu obtegeretur, vt Matrem lateret. Quamquam permodici huius capillamenti in sincipite residui alius quoque vsus fuerit, ad noua dolorum incrementa. Verùm de hoc in seq. capitulo, vbi ad Rosæ vigilias transibit succincta narratio.

Aculei XCIX tribus ordinibus distincti.

Capillos submouet vt profundiùs saucient.

V. Dentatum hoc sertum quàm dirè momorderit, quàm cruciabiliter omni ex parte pupugerit velatum sacræ puellæ caput, cui torquendo vnica sat fuisset acicula, ex eo fas est cõijcere, quòd spinæ non simul omnes, sed aliæ post alias binæ, ternæ, pluresue successione molestissima nudatam inuadebãt cutem, proque occasione ac varietate motuum singulæ obliquabantur in singulis vulnerum angustijs. Compertum est, sub hoc densissimo pũgentis metalli vepreto ipsam loquelam Virgini fuisse dolorificam, quid si tussi concutiebatur pectus; si sternutatione exonerabatur miserum caput, aut alia fortiùs excreandi importuna necessitas vultum orisque habitum violentiùs commouebat?

Sensus pũctionum dolorificus.

VI. Verùm hæc Rosæ ludicra videbantur & artis digna succursu, quo sæuirent inclementiùs. Itaque vbi Coronæ seu bracteæ extrema coibant, decussatim tænias innexuit, quarum attractu non solùm cohibebat cuspidatum hunc circulum, ne aut loco exerraret, aut sponte laxaretur, verùm etiam quoties lubebat dolorem intendere, tæniarum capita strictiùs adducendo ipsi tormento suo vim faciebat: præcipuè verò sextis ferijs placebat Virgini hoc pœnarum epimetron in memoriam Sponsi sentibus coronati. Maluisset pro conformiori similitudine gestare coronam ex veris spinis agrestibus, eaque de re seriò tractauerat cum Confessario, at is dissuasit, quòd

Atrox tormẽti auctarium.

Cur non ex spinis agrestibus.

vereretur facile sub putri aculeo grauem in Rosæ capite purulentiam posse succrescere. Adquieuit & ipsa, considerans eiusmodi coronam nec sub velo sat commodè celari posse, punctis sine ordine prominentibus, nimiumque suo conatui decedere, si non omnia vsque ad vnum acumina introrsum vergerent. Idcirco lamella vtendum fuit, eaque argentea, quòd & solidiùs adiaceret vulnerandæ cuti, & infixas spinulas tenaciùs retineret. Nec fefellit euentus, nam post Virginis obitum Aurifaber, cui iniunctum erat aliquot bracteolæ spinas euellere, (forsitan vt deuotis personis eas flagitantibus in donum vsumue cederent) adhibitis forcipibus adeo singulas inuenit firmas, vt extrahi nulla potuerit, quamquam ad ferri tractum huc-illuc inflecterentur. Vt intelligas tam suas Rosæ patienti non cessisse spinas, quàm his non cessit illa.

Lamella quàm tenax infixarũ cuspidum.

Variatur coronæ situs, vt vbique vulneret.

VII. Nec tamen contenta hoc quotidiano cruciatu modum reperit quo noua in dies vulnera aperiret; nam coronam manè circumdatura capiti numquam eodem figebat loco quo pridie steterat, sed mutato paulisper situ in aliam aliamque partem transponebat redimiculum, vt alterna variatione immitiùs pungeret, atque in intacto dolorem renouaret. Porro qualibet sexta feria hoc addebat in cumulum, vt vsque ad auricularum cartilagines imumque occiput coronam demitteret, quò tempora (: vbi caro mollior, sensusque delicatior) prædensa stimulorum obsidio & molestiùs incingeret, & profundiùs sauciaret. Idem Sabbatho repetebat, compassura Virgini Matri, cuius animam in morte Filij doloris gladius peruaserat.

Præcipuè sextis ferijs, & Sabbathis.

Cautela Virginis in serto occultando.

VIII. Diu familiares, domesticos, ipsamque Matrem latuit hoc tam cruenti pectinis vepretum, quis enim sub vitta ac velo cautissimæ Virginis aut notasset aut quæsiuisset tam ferale supplicium? ipse Confessarius, qui Rosæ arcanum hoc pœnitentiæ genus permiserat (: nam citra illius nutum Virgo morigera nihil aggrediebatur vel minimum) obiter dumtaxat aculeati gestaminis conscius neque coronam viderat, neque vel tenui suspicione attigerat peregrinas inuentiones, quibus hanc Rosa in se consueuerat atrociùs irritare.

Sed casu fortuito proditur quod diu latuerat.

IX. Sed tandem Numinis prouidentia rem diutiùs occultari non siuit, effecitque vt tantæ virtutis exemplum in plurium opportunam notitiam promanaret. Casus erat: germanum

num Rosæ fratrem ob puerile delictum Pater quærebat ad virgidemiam, interiecit se blandisculè Rosa Patris iram propitiatura: is verò dum Filiam sibi obstantem impetuosè dimouet, fortuito manus errore impegit leuiter in caput Virginis ea parte qua tecta corona sæuiebat: mox improuisum ictum tres sanguinis riui secuti frontem innocentis Filiæ decursim purpurarunt, manifesto satis indicio qualis herinaceus sub candido eius tegmine clam nidularetur. Hìc Rosa magis se proditam quàm percussam dolens dupliciter erubuit, conata tamen dissimulare quod erat, cautè in secretius cubiculum se subduxit, coronam festina seposuit, cruorem quasi ludibunda abstersit, impositisque panniculis qui sauciæ plagæ stillicidium imbiberent, caput solitis velamentis confestim operuit. Verùm hac solerti fuga trepidam Matrem nec fefellit nec effugit; cum Mariana ancilla è vestigio Filiam secuta de vulnere interrogat, causam cur leui ex tactu sanguis eruperit sciscitatur, denique excusante Rosa & ne quidquam deprecante suspicacior vittam solui, caput nudari imperat, quod vt vidit in orbem vndique immaniter dispunctum, facile coniecit, vnde hæc signa tam cruento inessent zodiaco. Verùm tamen siluit, haud ignara Filiam si spinetum suum prodere aut abijcere cogeretur, facile alia & quidem longè truculentiora mox adinuenturam, quibus verticem pergeret diuexare. Itaque tunc velut inscia mysterij calente vino caput filiæ leniter abluit, quantùm læsis partibus sat fore ad medelam aut credebat aut credere simulabat, aliud interim aduersùs ipsam coronam remedium excogitatura.

Deprehēditur à Matre.

Dissimulat hæc, vt certiùs reprehēdat.

X. Nec mora: delata fuit rei series ad eum qui certiùs coronæ vsum Virgini prohiberet, nempe ad vnum ex Patribus spiritualibus quorum ductui Rosa obtemperabat. Is erat R. P. Ioãnes de Villalobos Rector Limensis Collegij Societatis Iesu, Vir sanctimonia ac religione celeberrimus, & animarum per tutiora compendia perfectionis deducendarũ auriga peritissimus. Huic vt innotuit quod gestum erat, extemplò mandauit Rosæ, quidquid illud esset quo caput suum hactenus spinosè discruciauerat, sibi adferret. Attulit illa coronam suam, ne quidem tantillo sibi indulto spatio quo notas sanguinis inter cuspidum acumina satis abstergeret; Allatam prudens ac pius Pater non sine horrore & commiseratione intuitus rigi-

Ioannes de Villalobos, Virginis Confessarius.

Miratur allatæ sibi coronæ truculentiam.

diorem

diorem esse censuit, quàm quæ illi sexui ætatisque teneritudini conueniret.

XI. Proinde rationibus adortus est Virginem, vt omnino seuerissimum crudelis instrumenti vsum dissuaderet. Illa aduertens ratione non imperio secum agi, suas vicissim rationes humiliter opposuit; demum in hoc vtrimque conuentum est, quòd poscenti sua redderetur corona sed mitigata. Sicque prouidus ac discretus Pater arrepta lima hinc-inde prominentiores coronæ aculeos hebetauit, obtudit, defricuit, si non satis attamen nec parum hoc temperamento se putans assecutũ. At Rosa pluris faciens coronam quàm Regnum gaudebat hãc se recuperasse saluo spinarum numero, ac saltim non nisi modicè ea castigatione exarmatam. Igitur respexit denuo ad pristina dolorum supplementa, iamque pœnoso tæniarum attractui etiam hoc addebat, vt interdum illiso pugno coronam tunderet quò altiùs in caput penetraret; neque enim diligens lima sic detriuerat aculeos, vt suo non fungerentur cruentandi officio. Patuit hoc vice quadam, cum Rosa fortuito in terram lapsu caput leuiter ad vicinum pluteum impegit, vbi confestim ob coronam vertici validiùs impactam copiosus sanguis defluxit in humerum.

Redditur Virgini spinetum, sed modicè obtusum.

Nouo ingenio tormentum acuitur.

XII. De Christi serto spineo canit Ecclesia: *felix spina, cuius aculei vires frangunt regis tartarei.* Rosa nostra idipsum experiri meruit & in suo: nam quotiescumq; hostis tartareus appropinquabat Virgini suggesturus fœda ac sordida, alijs ad eum procul abigendum catapultis opus non fuit, quàm quòd vigil Rosa ter digito pulsaret suam coronam in SS. Triadis reuerentiam. Tympanum erat, cuius leui tactu perculsus Dæmon fuga turpissima declinabat certamen.

Fugat assaltũ Dæmonis, tactu coronæ.

XIII. Suauius, ac fortè mirabilius est, quod de huius coronæ virtute post obitum Virginis compertum est. Quidam religiosissimus Dei seruus paulò post elatæ Rosæ exequias domum Gundisalui Quæstoris adierat, eo dumtaxat animo vt instrumenta quibus Rosa Virgineam carnem viuens domuerat, deuotè contrectaret. Oblata ei cum anulo fuit corona spinis horrida, vixque his manus applicuerat, cum repente æstuare cœpit inusitato quodam Diuini amoris incendio, colliquescere in intimo fundo spiritus, dulcescere gustu admirabili supernarum deliciarum, tamquam ex illismet spinis Paradisi vuas,

Post Rosæ obitum ex attactu coronæ nobile prodigiũ.

ex

ex tribulis ficus collegiſſet in animæ palatum. Verùm de hoc prodigio commodior redibit tractatio infra Cap. XI. cum de pronubo Roſæ anulo agendum erit: hìc ſufficiat innuiſſe, quàm ſeriò ac feſtiuè Cœlum ipſum huic coronæ applauſerit, quando in honorem tam rigidæ compunctionis vnctionem diſtillauit tam ſuauem ac pretioſam.

XIV. Non pigeat hìc denuo reflectere oculos in ſpiniferum S. Catarinæ Senenſis prototypon, quod Roſa noſtra ſpinis coronata ſic imitari viſa eſt vt plenè idipſum non tam expreſſerit quàm in ſe tranſtulerit. Paucis accipe huius rei notabile argumentum quod in Roſæ funere obſeruatum eſt. Dum defunctæ cadauer proſtabat in feretro, diſpoſuerat cœleſtis illa (: cui nihil fortuitum) Prouidentia, vt deeſſet florida corolla quæ de more caput virgineum circumdaret; inſtabat hora funeris ad ſepulturam efferendi, at videbantur fugiſſe terreni flores velut indigni qui Roſam coronarent iam cœleſtem. Ergo in confuſa illa trepidaque hinc vrgentium inde cunctantium perplexitate recurrendum denique fuit (: non ſine inſtinctu Numinis) ad coronatam S. Catarinæ Senenſis imaginem, quam Roſa dum viueret ornare conſueuerat; huius itaque ſertum proprium omnibuſque publicè notum tantiſper transfertur in Diſcipulam, ſub hoc Roſa effertur Gundiſalui domo ad tumulum, vt quæ viua Seraphicam Magiſtram ad viuum expreſſerat geſtamine ſenticoſo, eamdem & mortua repræſentaret euidentiùs ſub communi vtrique corona. Probarunt factum quicumque myſterium agnouerant, certi non ab humano ſtudio ſed neceſſitatis fortunato potiùs quàm fortuito conſilio hoc ſingulare virtutis teſtimonium Virgini obtigiſſe.

Floridum Catarinæ Senenſis fertum coronat Roſam in feretro.

Æterno Prouiſori nil fortuitum.

XV. Huc demum & illud videtur pertinere, quòd dum mortualis pompa ſic Roſam coronabat in terris, oſtento non abſimili Beatorum curia eãdem coronauit in Cœlis, vt vtrimque deprehendatur ſucceſſiſſe in ipſammet S. Catarinę Senenſis coronam. Res ita innotuit; mox à felici Roſæ tranſitu perſona quædam eximiæ ſanctitatis ac nominis in viſione imaginaria conſpexit inter Angelorum myriades glorioſam SS. Virginum cateruam rectà gradientem ad thronum Sanctiſſimæ Trinitatis; in medio agminis fulgebat Roſa palmam manu præferens, niueoque candicans amictu, ſed nondum vt reliquæ

Spineæ corollæ præmium in cælis.

quæ

Rosa coronatur à Deipara, vti olim S. Cat. Senensis.

quæ coronata; siquidem ad Diuini illius Throni crepidinem stabat Virgo Deipara, coruscam in dextera coronam tenens, qua Rosam suis ipsa manibus inauguratura solemnem hanc Virginum processionem exspectabat. Nimirum simillimo ritu olim S. Catarina Senensis excepta fuerat in Cœlis, cum reliquit terras, vt sic inter Magistram ac Discipulam à spinea vsque ad auream coronam nulla superesset difformitas. Felices spinæ, quibus de tali manu tale successit in Cœlis diadema.

CAPVT IX.

Rosæ lectulus, ceruical, nocturnæ Vigiliæ.

Rosæ lectulus veriùs equuleus.

I. TAnta ei corporis macerandi cura fuit, vt nec pauculas nocturnæ quietis horas tormento vacuas esse permiserit: hinc strati sui voluit eam esse duritiem quæ somnum abigeret magis quàm vocaret: quin & eò tandem processit ars atque industria, vt qui dormituræ lectulus idem & equuleus esset. Ita nimirum nec indulgebatur quidquā afflicto corpori, & demebatur somno quod orationi accederet. Suboluit tempestiuè attentæ Matri quò Filia tenderet, nam pene ab infantia vtrumque & duriùs cubandi & austeritatem dissimulandi studium notarat in puella, vnde aliquamdiù hanc secum eodem in lectulo accubare iussit per noctem, vt arte artem deluderet. Paruit Rosa, sed eo ingenio quo nihilominùs obedientiæ ac pœnitentiæ merita in illomet lecto materno dexterrimè coniungeret: vix enim obrepserat Matri sopor, cum Virgo culcitræ partem cui incubuerat sensim remouebat, donec substratæ tabulæ corpusculum exciperent, capiti verò lignum aut prope absconditus later ceruicali subducto succederet. Idem S. Catarinæ Senensi cum Lapa Matre certamen, idem strategema fuit.

Matris in Filiæ austeritates vigilātia.

Pacifcitur cum Filia de lecti duritie.

II. Læta successu Rosa pergebat securior non tantùm nudare sibi tabulas quibus indormisceret, sed & rudius saxum circumspicere quod ceruici supponeret; verùm post longas ambages tandem interrupit Filiæ solertiam expergefacta Mater,

Mater, ac velut deprehenſo immani facinore puellam increpuit, adiecto callidæ obſtinationis conuicio, ſi ſic ei conſtitutum erat Matrem fallere, iret porrò, ſibiq; deinceps ſuopte arbitrio lectum quem vellet contabularet, dum tamen capiti ſaltim humanius ceruical concederet, ipſiſq; tabulis vnicum ſimplicis ſtraguli induceret operimentum.

III. Ad hanc vocem tripudiabat Roſæ animus, maternam permiſſionem tametſi iurgio ac bile acidam pro dulci blandimento arripuit, conditionem auida manu acceptauit, Matriq; pro tam liberali indulgentia gratias egit tenerrimas. Exinde mox conquiſitis & in ſui cubiculi capaci angulo compaginatis tabulis rude ſtragulum iniecit, bina inſuper puluinaria in ſpeciem impoſuit, paruoq; labore grabatum vti genitrix permiſerat abſoluit. Verùm quoties nox appetebat, remotis puluillis ſuccedebat truncus vndiq; impolitus, ac lapilli in hunc vſum interdiu ſub lecto abſconditi diſponebantur ſub ſtragulo, vt ea inæqualitate offenderetur corpus, cui prædura tabularum planities in delicijs fore timebatur. Quantùm hæ ſcruporum ſub ſtragulo extantium diſſitæ cotes iacentem Roſam diſpunxerint, facilis coniectura eſt, ſanè in ipſis ſolidis aſſeribus conſpicuè apparuerunt impaſtinata lapillorum veſtigia, ipſæ tabulæ ſcrobiculatim hinc inde extritę proteſtabantur ſatis, quàm molliter his incubuerit macilenta Roſa.

Roſa nouum ſibi grabatum apparat.

Lapillos inſternit.

IV. Ceterùm lapilli ſparſim ac mobiliter diſpoſiti facile cedebant moli, quoties in aliud latus vertendum erat corpuſculum. Igitur addenda videbantur tum duriora tum ſtabiliora in equulei ſupplementum. Nempe tria ligna tortuoſa, indolata, nodoſa tabulis impoſuit, ac inter commiſſuras tenuioribus paxillis firmauit ſub ſtragulo ne cederent. Attamen per diem hoſce truncos exemptiles ſeorſim occultabat ſub thoro, ne Mater aut ex inæqualitate ſtraguli hos deprehenderet, aut palam expoſitos traheret in legitimæ ſuſpicionis argumentum. Vnica demum Mariana ancilla ſecreti conſcia fuit, quam validis obteſtationibus adegit Roſa ne proderet, & ſi cubiculum euerrendum eſſet, hæc ligna ſuo loco vel immota relinqueret, vel actutum reponeret. Diu placuit feruenti Roſæ crudelis hæc ſupinæ torſionis cataſta, placuiſſetq; diutiùs ſi fuiſſet atrocior, hoc eſt ſi acutiùs & omni ex parte ſæuijſſet, nam inter lignorum vacua ſpatia nil erat quod incubuam ſatis cruciaret.

Auget alio ſupplemento ſtrati duritiem.

Nouos adinuenit cruentãdi corpufculi modos.

V. Subijt ergo noua ac poſtrema lectuli diriſſimè aſperandi cogitatio. Tabulis arctè commiſſis ligna omnino ſeptem inſtrauit iuſtis interuallis, quæ ne laxarentur, bubulis loris aptè diſtrinxit. Porrò ſingulas diſtantium lignorum intercapedines præacutis tegularum fragmentis, coctilium patinarum fruſtulis, teſtarumq; fractarum triquetris ſic impleuit, vt ſingulorum pars mucronata obuerteretur corpori, ac ea quidem confertiſſima denſitate qua nutare aut cedere nulla poſſet, cum infernè ſat prohiberent ſubiecti aſſeres ne qua excideret, coſtaſq; obſiderent ligna ne laxaretur phalanx. Quis credet videri deniq; potuiſſe dignum huiuſcemodi pratum in quo Roſa quieſceret? Nec defuit ſtrato tam nobili dignum ceruical, ſed de hoc infra. Eidem coaptatæ lodices, at cilicinæ, ſetoſæ, inſtarq; ſubcerniculi aut cribri, vt ſimul & ipſæ pungerent, & teſtarum puncturas non impedirent ſed obiter abſconderent.

Dormitura fellis hauſtum præſumit.

VI. Inſuper ad huius lectuli caput occultè ampullam felle plenam appenderat, nec ante ad ſomnum ſeſe componebat, quàm iſthoc ſorbillo amaricaſſet fauces, in memoriam Sponſi felle ac myrrha potati. Aliquando faſſa eſt Roſa, in lectuli ſui aditu hoc felleum libamen ſibi non adeo cum ſumeret quàm ſi citiùs euigilabat, fuiſſe moleſtiſſimum, tunc enim ſentiebat palatum vſq; ad tunſillas & epiglottidem aruiſſe penitus, linguam præ ſiccitate vix non immobilem, gutturis bronchos vndiq; accenſos, ita quòd ſiccatis faucibus ſupplicium eſſet ipſa reſpiratio. Proinde nil mirum ſi (: quod poſtea innotuit) Roſam ceterà intrepidam ſæpiùs horror pauorq; medullitus peruaſerit ad vnius ſui tam immitis lectuli cogitatum, tremebat, æſtuabat, ſudabat miſera priùſquam vel ſpondam attingeret, memor quales ipſam expectarent ibidem plumæ, quot minaces criſtæ arrigerentur illic in ſuam lanienam, quo ſibi cruciatu diſtabeſcendum quoties in alterum latus reuoluendum eſſet laſſum corpuſculum; deniq; ſciebat inde ſe neutiquam ſurrecturam abſq, omnium membrorum gelido ſtupore, ac velut ex oſſifragio coxis, humeris, cruribus, brachijs miſerrimè diuaricatis; vnde cuidam Matronæ poſt annos complures familiariter interroganti, quomodò lectum adeo horribilem & arduum potuerit vel nocte vnica tolerare, reſpondit cum lepore (: vt ſolebat) & gratia,

Ipſa dormienti reſpiratio tormentũ eſt.

Fatetur immanis lectuli dirum ſupplicium.

talem

talem se ex eo accubitu dolorem capere, quantus vtique sufficere posset in satisfactionem pro quauis amicissima persona Deo offerendam.

VII. Contigit subinde, Rosam velut iusto pauori pene imparem diutiùs hærere in ancipiti, lectumne tot pœnarum fertilem inscenderet; Verùm dubitanti & prope exanimi subuenit Christus visibili blandaque specie se Virgini obijciens, ipsamque placidissimè his verbis compellans: *memento Filia, longè duriorem, angustiorem, horribiliorem fuisse lectulum Caluariæ, in quo mortis somnum pro te cepi. Nosti quid fellis ibidem propter tui amorem exhauserim, scis quæ illic non testeæ sed ferreæ cuspides mihi manus pedesque terebrarint, donec ipsam mihi extunderent dilectam animam. Hæc recole, hæc poenali strato tuo in trutina oppone, & videbitur tibi sub charitatis dictamine lectulus noster floridus.* Mirum, quàm altè Virginis animum hæc verba penetrarint, quantùm ei roboris constantiæque affuderint, ne ab horrido illo patientiæ exercitio resiliret; Sanè per ipsos decem & sex annos in huius agonis acerbissimo tormento inuicta perseuerauit, & (: quod mireris ampliùs) conscia demum atque inuita sed tamen conniuente Matre.

Christus pauetem animat ad tolerantiam.

VIII. Conata quidem hæc fuit semel iterumque Filiam à tantæ austeritatis excessu diuertere, & lectum immanem frustatim dissipare, sed immisso diuinitus conscientiæ stimulo nec manum ausa est adhibere nec imperium. Maluit itaque per Confessarios tentare successum, verùm & hi velut in magnæ perplexitatis negotio videbantur trepidare, nec certi quidpiã resoluebant; idque perspicuum satis indicium erat, Deo sic placitum esse, in asperrimi lecti tolerantia electam Rosam dilecto suo Sponso concrucifigi.

Mater horridum Filiæ stratum dissipare non audet.

IX. Dicendum nunc de ceruicali. Tentabat Rosa gradatim abiectis mollioribus ad exemplum S. Catarinæ Senensis eò pertingere vt inscia Matre demum informe saxum capiti dormitura supponeret, vnde initio grossioris panni incommodum volumen in ceruical adhibuit, deinde paulatim crudum laterem, denique petram polygonam & vndique scabram; Verùm hanc Mater vt animaduertit sustulit, filiæque puluinar obtrusit lana vacuum, sed cum iussu vt illud farciret. Tacuit Rosa, puluinar suscepit, infarsit, sed non lana vti credebat Mater: vim segmentorum collegit quæ de fabri lignarij dola-

Durum ceruical. Durius. Durissimum. A Matre corripitur.

bra excidunt, his puluinum impleuit, impleto indormiuit; Nec tamen diu latuit Matrem solertia, fartum corripuit, lignea inde retrimenta proijci, lanam substitui, lanam ingeri disertè & cum clamore præcepit. Obediuit Rosa sed non vltra literam, ceruicali infarsit lanam at non solam, quia inter lanam extimumque pannum vbi facies decumbentis excipiẽda erat, tortiles iunços clam occuluit quos veteris sportæ fragmentò in hunc vsum detraxerat. His Rosæ dormientis vultus immodicè dispungebatur, adeo quòd Mater in genis ac fronte Filiæ persæpe notarit extemporanea hæc stigmata, nec tamen originem diuinare poterat iam secura de lana quæ ceruical impleſſet; donec fortuito casu manum ceruicali incuriosè imponens contrectauit hostem in latebra, iuncos deprehendit, extraxit.

Lana ceruical implere iussa, commissit iuncos.

X. Vidisses hìc denuò Lapam Matrem Filiæ Catarinæ probra, conuicia, criminationes aceruantem; vix temperatum à verbere. Sic Rosa quòd dura sibi quæreret, durissima sufferre debuit. Exinde Mater in virtute sanctæ obedientiæ præcepit Filiæ, rursum vacuaret suum ceruical, lanamque reponeret, at lanam solam. Iterum obedit Rosa, sed vltra literam, nempe duplicauit lanam, arreptoque bacillo tantam eius copiam non tam ingessit quàm impressit ceruicali, vt hoc suberis tandem duritiem exæquarit. Sic videbatur sibi redijsse ad ligneum illud puluinar, quod pridem sibi Mater subtraxerat. Fuerat is truncus ex arbore quam illic *Pacay* vocant indigenę, excauatus in medio vt caput Virginis collumque exciperet. Huic per edictum maternum proscripto successerat nodosorum stipitum fascis in extremitate funibus collectus. Verùm & hunc Mater abegerat. Tandem vt in postremum hoc merè laneum ceruical incidit, vlterioris inops consilij sic Filiam affata est: Sanè paruisti Rosa mea, paruisti, siquidem hìc modò nil nisi lanam reperio. Satis est, imò plus quàm satis, nam tibi & lanam in lanienam sciuisti conuertere; quid vltra imperem? ne Matris præceptum flocci - fieret, hos floccos condensasti in solidæ petræ duritiem. Age vt vis, nec si tibi mortem consciueris, te ampliùs interpellabo.

Grauiùs obiurgatur.

Ipsâmet lanam in duritiem adigit.

Variè mutata Rosæ ceruicalia.

Dolet se victã Mater.

XI. Demum aduenit Matri tempus optatissimum, quo sibi de PP. Confessariorum permissu licuit pœnosum Rosæ lectulum manibus auidissimis dissipare, Qui conscientiæ Vir-

ginis

ginis præerant, tribus circiter ante illius obitum annis considerauerant, ipsam viribus nimiùm attenuari, corpusculum tot flagris, ieiunijs, morbis exhaustum arduo tàm asperi lecti supplicio non ampliùs par fore, & si fomenta illi persuaderi nequeant saltim tormenta debili aut subtrahenda esse aut moderanda. Itaque Rosæ lectulum ærumnis trium lustrorum grauem cupidæ matri dedunt in direptionem ac prædam. Quo animo id acceperit Filia pœnitentiæ quàm Vitę studiosior, non facile dixerim: at alacris Mater velut signo ad assultum dato sæuissimam illam catastam non aliter ac hostilem arcem inuasit, truncos, ligna, tigna disiecit, luxauit asseres, & non sine præcipiti manuum offendiculo testacea fragmenta sublegit, sparsit, tandemque in vicinum Vrbi fluuium ne ad vsum rediret abiecit, priùs tamen eorum numerum inire voluit, reperitque acuminata frustula parùm abesse à trecentis.

Tandem Confessarij Rosæ hunc lectum abrogant.

Disijcitur à Matre, numeratis priùs testulis.

XII. Ergo aliter post hæc Rosæ iacendum, & dormiendum fuit, vix tamen blandiùs aut commodiùs, nam tabulas suas asseresque repetijt, his sine culcitra paleaue simplex ac detritum peripetasma instrauit, sicque vocato somno exanguia membra deinceps composuit ad soporem. Attamen & pauper hic thalamus ei videbatur sapere delicias, vnde postremis vitæ annis quos in Gundisalui Quæstoris domo exegit, in humili sella collecto corpusculo sedentaria noctes suas trãsegit, capite paulisper reclinato ad columnam lecticæ in qua Gundisalui minorennes filiolæ acquiescebant. Ità breuissimum somnum Rosa libabat magis quàm capiebat, præsertim hyberno tempore, quo plerùmque ex nocturnis frigoribus sic tremebat, rigebat, stupebat, vt surgens pedibus consistere vix posset. Interdum nimio algore excitata roris-marini ramusculis ad ellychnium accensis obiter hoc fumo tantillum fugitiui caloris quo se foueret, nitebatur concipere. Nouercali corporis odio nec vigil insidere vsquàm puluino voluit, sed vel stans peragebat labores suos quousque poterat, vel cum necessariò sedẽdum erat, duro palo vtebatur pro sellula.

Cogitur Filia cubare mitiùs.

Sellam capit pro lectulo.

Noctium algorem suffert.

XIII. Interim prioris sui lectuli memor & cupida, assiduè tundebat Confessariorum aures, querebatur se vitam suam otiosè perdere dum à pristinis pœnitentiæ exercitijs inuita cogebatur feriari, omni se patientiæ merito vacuam ex tanta Patrum indulgentia remanere, S. Patri suo Dominico indies

occan-

occantari titulum *Rosa patientiæ*, se verò adempta sibi patientia nec Rosam esse nec tanti Patris Filiam, denique sinerent eam quæ nil boni ageret saltim mala pati, corpusque affligere. Tantum effecit, quòd vnus ex Confessarijs indulsit Virgini, vt per totam illius & proximi anni (: qui Rosæ postremus fuit) quadragesimam ex pristini rigoris forma denuo sibi lectulum instrueret è lignis, testis, tegulis constipatum. Fecit confestim Rosa vt sibi permissum erat, summæque curæ summum adiunxit secretum, adeo vt neque post suum obitum (: nam tunc primùm res innotuit) secundus iste pœnarum lectulus vsquam potuerit inueniri. Credibile est, ipsammet statim vt cum Quadragesima expirarat vtendi facultas, vltro soluisse catastam, dispersisse testarum fragmina, proiecisse paxillos & ligna, ne quid innotesceret, quamquam diligens perquisitio vtrobique tum materna tum Quæstoris in domo non defuerit.

Rursus permittitur indormire pristino equuleo.

XIV. Sed nec Rosam morti iam vicinam deseruerat hoc penè coæuum durissimè cubandi desiderium. Semianimis in suo illo extremi doloris extremo lectulo dolebat altero illo se carere lectulo extremè dolorifico: at quis tam crudelẽ equuleum apparasset innocentulæ iam-iam morituræ? Saltim optabat ex illo cui incumbebat humaniori strato humi deponi, ac nudo in pauimento mori. Verùm vt neque hoc se impetraturam à domesticis intellexit, adstantem germanum fratrem vltimis affata verbis rogauit, ceruicalia vt submoueret; his in partem retractis gaudebat moribunda, quòd se lecticæ tabulis sentiret occipite humerisque acclinem, mirificèque contenta quòd crucifixo Sponso qualitercumque commoreretur in duro ligno, felicem spiritum paulò post in manus Creatoris placidissimè exhalauit. Nec defuerunt, qui in morientis pallido vultu notarint ipsissimam Christi in Cruce exspirantis effigiem, quod alio loco, & tempore in S. Catarina Senensi itidem lecto decubua fuerat obseruatum.

Moriens duriorem lectum requirit.

Animam agẽs, vultu similatur Christo in Cruce morienti.

XV. Porrò quisque ex tanta vsualis strati duritie haud difficulter intelliget, quantùm Rosa vigilijs dederit, cui ipsemet lectus soporem adimebat. Fassa est aliquando Seraphica Catarina B. Raymundo Confessori suo, cum nullo hostium æquè vt cum somno operosiùs sibi fuisse confligendum, quem eo tandem reduxit, vt horis omnino duabus contentus esset.

Rosæ in somnum eadẽ quæ S. Cat. Senensi pugna.

Ro-

Rosam Catarinæ Discipulam idem certamen exercuit, eadem victoria cohonestauit, nam & ipsa somnum suum intra duarum horarum angustias coercuit, & aliquando etiam minus spatij indulsit importuno exactori. Vnde sic diurnum nocturnumque tempus distribuit, vt ex vtroque duodecim horas vniuersim orationi seponeret, alias decem impenderet labori manuum, quo Parentes sustentabat, reliquas corporis necessitatibus & breui quieti deputaret.

Sopori duas dũtaxat horas concedit.

XVI. Hanc vigilandi facilitatem iuuere longæ inediæ, cilicij lectique carduetum, frigidæ omnisque potus diutina abstinentia, profunda meditatio & applicatæ mentis ad superna tenax defixio. Nec tamen suas artes partesue omisit versutus hostis, quin virginem tunc maximè quando ad nocturnam orationem surrexerat, molestissimè niteretur reuocare ad somnum. Rosæ permagno stetere hæc prœlia, nam siue genibus humi fixis inchoabat preces, videbatur inesse plumbum grauatis palpebris, siue erecta stabat, capiti vertigo ponderosissima obtinniebat languidam somnolentiæ cantilenam, siue pansis brachijs procubuisset in terram, adgliscebat soporiferi torporis suaue blandimentum.

Tentatur vi somnolentiæ.

XVII. Pudebat Rosam aduersario succumbere tam ignauo, pugnabat etiam cadendo, illidebat ceruicem parieti, tundebat sibi latera, si quo modo extunderet irrepentem lethargum; vincebat tandem at non sine agone, triumphabat, sed in Cruce: nimirum prostabat in Virginis cubiculo par humanæ staturæ Crux lignea, è cuius brachijs vtrimque prominebant claui fortes ac solidi, vt sufficerent corpori sustinendo. His igitur ambas manus applicabat in somnum pugnatura, ab horum tenaci complexu pendulum librabat corpusculum, dum Deiparæ Virginis officium absolueret, his cuneolis findebat impetum somni, erudiebatur ad excubias, crucifigebat hostem, nec nisi victrix obrigidos lacertorum tendines retrahebat à charis victoriæ manubrijs, sic palmam obtinebat sed palmis callosis.

Omnia agit vt somnum vincat.

Somnum quasi crucifigit.

XVIII. Inuenit & alium pugnandi modum. In cellulæ pariete oblongum fixerat clauum paulò altiorem, quiq; Rosæ verticem palmi ferè interstitio superaret; Huic aduersùs somni insidias modicum id capillitij quod obtegendæ coronæ in fronte residuum superfuerat, implectebat strictissimè, eoque

Pendula è capillis soporẽ cruciatu domat.

tor-

tormento accersebat vigiliam, recitabat preculas, somnolentiam strangulabat. Ne tamen sic pendula paucis capillis totam corpusculi molem committeret, vtcumq; summis pedum digitis insistens tangebat terram, sed ægrè satis, ac per alternas sucessiones nutante lubrico fulcimento. Colligito lector ex tàm atroci remedio, quàm fuerit iuuenculæ importuna somni vexatio: in lecto muricibus ac tribulis, foris autem clauis pugnandum fuit, & Rosæ seu dormire vellet, seu vigilare tormenta subeunda erant.

CAPVT X.

Rosæ domestica solitudo, fuga publici cellula perangusta.

I. VT olim sanctam Catarinam Senensem adhuc pusillam solitudinis amor vsq; ad speluncæ quæstionem abripuit, sic Rosam vel à prima infantia docuit solitarios angulos domi quærere, Mundiq; commercia deuitare. Conueniebant ad eam è vicinis domibus paruulæ, at lusitandi gratia, quod illius ætatis primum est studium: afferebant singulæ suas pupas, quibus vestiendis, comendis, ornandis fœmellarum pueritia communissimo sexus genio addicitur. Has innocenti æmulatione ostentabant silenti Rosæ, hortantes vt & suam promeret aut formaret. Negabat illa se pupam vel habere, vel etiam contrectare velle, quòd audisset, Malignum aliquando per pupam (: fortasse idolum fuerit:) garritum edidisse. Mox puparum lusu coæqualibus relicto abdebat se in secretum angulum, quasi arcanis cogitationibus quietiùs vacatura: illic interdum deprehensa à fratre ac interrogata, quidni mallet puerulis festiuè nugantibus colludere quàm in puluerulento, ac pulicibus referto angulo desidere, verbis supra ætatem sensatis respondit: *Sinito hìc me delitescere solàm cum Deo, nam illic inter pupas an pariter adsit Deus quis nouit?*

Infans Rosa pupas respuit supicãs idola esse.

Graue responsũ ab infãte.

II. Cum annis crescebat latendi studium, vnde in horto vmbrosas platanos muro proximas conspicata locum elegit, vbi

vbi auxiliante Ferdinando fratre oratoriolum ab omni domesticorum prospectu semotum efformaret. Illic plexili ramorum, palmitum, virgultorum circumductu modicum inclusit spatium, ac supernè frondosis arcubus affabrè concamerauit. Intus humile altariolum muro applicuit, Crucem ex densiori charta flosculis plumisq; versicolorem imposuit, & quidquid Sacrarum Imaginum conquirere poterat in hanc suam Basilicam solicitè comportabat.

Oratorium sibi construit semotum à turba.

III. Videbatur huic angello Rosula vniuersas suas inclusisse delicias, adeo totos in eo hærebat dies solitaria, illuc velut ad orandi, meditandiq; secessnm à prandio, à lectulo, à cæna properabat, ibi domesticis se subducebat tumultibus, iocis, fabulis, vni sibi Cœloq; vacans, extra hunc Paradisum nusquam ei benè esse poterat, adeo vt domi abiret in prouerbium: *Hortum adeas si Rosulam quæris*. Verùm quia isthoc solatio non nisi interdiu licebat frui, paulò grandior facta impetrauit à Matre aliud intra ædes cubiculum, in quo seorsim à ceteris prolibus solitaria pernoctaret. Tempestiua hæc fuere in tenella indole præludia, vt quid maturior esset molitura, ex his præambulis conijceretur.

Rosa est, hortum amat non triuia.

IV. Paulatim eò statura & ætas Rosam prouexerat, vt idonea esset honorario comitatu stipare Matrem foras egressuram, maximè cum inuisendæ erant digniores Matronæ. At Filiæ sua vnicè eremum amanti molestissimum erat tàm videre, quàm videri in publico; Vnde nunc prece, nunc lachrymis ambiebat Matrem obsecrando ne secum se abduceret. Stupebat ista, nondum assequens vnde idipsum quod reliquæ iuuenculæ vltra modum exambire solent, vni Rosæ tam exosum esset. Itaq; inuitam aliquoties adegit imperium, certa edicto sine replica obedituram. Semel cùm à Matre inuitaretur ad secum obeunda foris vrbanarum salutationum officia, Virgo iuxta domesticum furnum transiens saxum à clibani orificio studiosè sibi attraxit in pedem, eoq; vulnere & contusione obtinuit, vt non fictè claudicans residere domi sineretur. Et veriùs & venustiùs hoc vulnere pedis rubuit Rosa nostra Peruana, quàm quod de Rosis Cyprijs fabulata est antiquitas, nimirũ has non ante rubuisse, quà ex Cypriæ Deæ sauciato calcaneo fortuitus eas cruor aspersisset.

Refugit videri in publico, etiam cum Matre.

Pede sauciat ne domo educatur ad Matronas

V. Porrò & aliud Virgo excogitauit strategema, vt solitu-

dinis amans redimeret vexam prodeundi in publicum. Quoties à Matre præsensit se inuitandam ad visitationis obsequia, clam indico pipere quod mordacissimum est cilia palpebrasq; sibi obliniebat, quo quidem affrictu mox ardebant oculi, rubebant, stillabant, velut si acris è capite defluxio eos suffudisset. Ità dum Mater egressura vocabat Filiam in comitatum, sufficiebat ostendisse fluidos noxioq; pruritu tumentes oculos, tamquam perferendæ apertæ luci tunc minimè pares. Vnde miserata parens ne affectis luminibus liberior foris noceret aer, indulgebat Filiæ optatissimam solitudinis ac latibuli facultatem. Durum sanè effugium: at Rosæ præ ipsa pupilla oculi charior erat sua anachoresis, longoq; tempore ipsi valuit hæc solertia, donec tandem suspecta frequentia rem prodidit genitrici, quod ità accidit.

Oculos accendit piperis affrictu vt domi relinquatur.

VI. Condicto mutuo Domina Ludouica Vargas Caruajal cum Maria de Oliua statuerant, assumptis vtrimq; filiabus vehi ad celebrem Diuæ Virginis stationem cui à *Monte Serrato* nomen est; Venit præfixa dies, & rheda cum D. Ludouica eiusq; Filia Isabella Alexia substitit ante fores. Præparata Mater aduocat Rosam, at hæc prodit turgentibus rursum oculis, palpebrisq; subtristi rubore inflammatis, vt facilè constaret, visum ea defluxione accensum & nimio dolore nictitantem auræ solisq; pericula neutiquam laturum; Hìc demum in se reflexa mater, postquàm se Ludouicæ comiter excusarat, pensitare cœpit attentiùs, quid sibi velit, quòd Rosæ oculos tunc potissimùm obsideret importuna ista defluxio, quandocumque honestarum Matronarum visitatio aut domi excipienda aut foris exequenda instabat. Hinc in Filiæ vultum curiosiùs intenta vidit non fingi quod apparebat, nam & ruboris incendium, & doloris acrimoniam crebra stillicidia tacitè affirmabant. Denique materna licentia propiùs os naresque applicuit, odorem sensit, exsertaque lingua mordacitatem sæuissimi collyrij lambendo deprehendit.

Deprehēdit Mater hoc effugij strategema.

VII. Quis enarret scommata, clamores, dicteria, quæ tunc in Filiam detonuit Mater? quorsum (inquit) hæ fraudes? cui bono tam ineptæ præstigiæ? si libuit Matris oculos deludere, at ludere cum proprijs oculis quale nefas, quantum periculum! tam citò oblita es, nuperrimè Ferdinandi Perez mancipium simillimo abusu allij & piperis omnino visum

Exardescit in cōuitia Mater.

vsumque

vſumque oculorum perdidiſſe? breuiter ac modeſtè reſpondit Virgo: *Satius foret ò Mater, & me cæcam eſſe, quàm vana & ſecularia affatim videre*, Icta reſponſo genitrix permiſit Filiæ quantùm vellet latere domi, tantùm ne ampliùs ſibi oculos periculoſo hoc defrictu obpiperaret. Tam carò conſtitit Roſæ optati receſſus tarda licentia, quam illo pretio perpaucæ ſibi emptam (: pleræque ademptam) vellent.

Dignum ſanè Reſponſum Sponſæ Chriſti.

VIII. Vſque adeo Roſæ placebat deſertum, diſplicebat publicum, vt non ſolùm priuata palatia, communiaque Vrbis ſpectacula mordicus deuitarit, verùm & generales celebrium Proceſſionum circuitus, ac populoſas ſupplicationes curioſè ſpectare defugerit. Fatebatur, ſibi permoleſtum ac graue eſſe inter fœminarum colloquia cernere pompoſas veſtes, pallia faſciaſque pretioſas, intereſſe otioſis fabulis, diſtineri reciprocis tot inanium vrbanitatum ritibus; præcipuè tamen dolebat, ſe neque in domeſtico ſui receſſus aſylo tutam à viſitationibus liberamque eſſe. Iam deſierat Matrem ad eiuſcemodi officia foras comitari, ſed ne ipſa domi viſitaretur, effugere cupiebat nec poterat. Manſuetudo, comitas, modeſtia Virginis trahebat notas fœminas, vt ſpecie honoris dum accedebant ad Matrem, poſtularent videre & Filiam, quam ſuauis odor virtutis, honeſtas indolis, admiratio ſanctitatis quàmplurimis etiam illuſtribus commendarat inuitam. Neq; his facile acceſſus poterat denegari quantùmcumque ſe Roſa abſconderet, deplorans iacturam pretioſi temporis. Et quàmuis ſermo nonniſi de Deo eſſet, proteſtabatur, vtilius ſibi ac iucundius ſemper fore, cum Deo quàm de Deo loqui.

Verior ei hic fuit oculorum dolor.

Odit crebras viſitationes.

Prudens Virginis apophtegma.

IX. Igitur aſpirante Numine ſublimiorem ſpeculata eſt viam qua ſeſe ab ijs impedimentis viriliter explicaret: parentes verecundè ſupplex orauit, permitti ſibi in extremo horti angulo locum ſolitarium pro architectanda cellula, quam cupiebat vnicæ dumtaxat ſtaturæ ſuæ capacem, cum exigua feneſtrella quæ lumen exciperet, oſtioli clauem ſola (: ſi vellet) Mater teneret: ibi ſe labori manuum, orandi meditandique ſtudio, & collectioni ſpiritus abſque vllo minimi temporis diſpendio vtiliſſimè vacaturam. Addebat rationes ſolidas ac ponderoſas quas Cœlum ac zelus diuini obſequij dictarant. Verùm negabat Mater ſe permiſſuram Filiæ, quòd tali ſepulchro viuam ſe abderet.

Cellulæ ſecretioris deſiderium.

Obſtat inexorabilis Mater.

Virgo appellat ad cœlestem Curiam.

X. Post cassas preces, & obstinatas repulsas Virgo de more confugit ad Cœlitum auxilia, Deum in primis Deique Matrem assiduè inuocans, vt maternum sibi consensum potenti afflatu elicerent: nec dubitabat exaudiri, verùmtamen altiùs mota in certitudinis experimētum cœlitus arrham quasi pignoratitiam exspectauit, & obtinuit, quæ talis fuit: habebat in paupere thesauro coronam precariam ex corallijs, hanc prompsit, vt in sacello SS. Rosarij imaginem Diuæ Virginis speciosus hic torques ornaret. Ergo notum Religiosum adijt, coronam porrexit collo Imaginis quantocyus immittendam. Neglexit ille, quòd scala sibi deesset qua ad sublimem in Ara imaginem pertingeret. Postridie ad sacellum Virgo redijt missam auditura, cumque notasset suam Imagini coronam deesse, magnis precibus maiorem (: quem vocant) Sacristanum exorauit, vt tandem ipse coronam Imaginis collo circūdaret, sua interesse plurimùm, vt id fiat, velle se pretioso hoc vinculo suauiter captiuare Matrem-Virginem, vt ita Filiolus vadem seu fideiussorem se interponat. Postrema hæc verba ænigma erant, quod tunc quidem Sacristanus non satis assequebatur, fecit tamen quod Rosa petijt, scalaque applicita coronam haud sine labore circumdedit collo Imaginis, ac scalam remouit.

Exauditur, & pignori stabilitur securitas.

Differtur miraculū, vt euidentius patescat.

XI. Adfuit demum statuta dies, qua Rosa obtentæ gratiæ Fideiussorem intuitura festinauit ad Ecclesiam S. Dominici: & ecce SS. Rosarij sacellum ingressa vidit coronam suam, à collo Diuę Virginis solutam pendere palam de manu paruuli Iesu. Idem viderunt quotquot promiscuè aderant in Sacello, at mysterium ignorabant, quòd supponerent, coronam per ipsummet Sacristam è collo Deiparæ in digitos filioli fuisse translatam. Sacrista prodigij admonitus venit, vidit, adstupuit, certus nec se nec suorum vllum attigisse coronam à die, qua collo Diuæ Virginis circūducta fuerat. Sola Rosa conscia miraculi, signique tacita interpres exultabat arcano iubilo, sat intelligēs quò ista spectarent; nempe Regina SS. Rosarij supplici Rosæ gratiam, quam optabat sposponderat, Filius tandem fide-iubebat pro Matre, sicque corallinum illud sponsionis vinculum ab exsoluta Matre in se transtulerat.

Deipara Filium vadimonio illigat.

Rosa spōsionem agnoscit, & iubilat.

XII. Rosa ex hoc mirabili ostento iam sui voti secura ac penè compos, grauem ac honorificam adornauit legationem

ad

ad Matrem, hanc obierunt Magister & Cathedraticus P. Fr. Ioannes de Lorenzana, Gundisaluus de la Massa Quæstor Regius, & Quæstoris Vxor Maria de Vsatiguì. Festus erat dies Beatissimæ Virginis in Templo purificatæ, quando internuncia hæc trias Mariæ de Oliua gratulando magis quàm flagitando exposuit Rosæ suæ constans desiderium fabricandi sibi cellulam angustam ac solitariam, in qua sine Confessarij permissu nullius admitteret conspectum aut alloquium. Mater, quæ in illam vsque horam ad eiusmodi voces apenninis cautibus durior fuerat, statim vt cera liquefacta cessit, nec vel momentum temporis aut deliberationi aut dilationi in re tam ardua deposcens. Nimirum sic exsoluit promissa Fide-iussor Deus, qui non minùs parentis cor quàm coralium Filiæ gestabat in manu sua.

Matrem denuo per intercessores aggreditur.

Emollitur Matris obstinatio.

XIII. Porrò obtenta hac permissione, quàm putas festiuo dulcique gaudio diem illum transegit Rosa? videbatur in se quadrare id, quod canebatur de iusto Sene: *Responsum accepit Simeon.* Audebat cum eodem cantillare iucundum hoc celeusma: *Nunc dimittis*, velut quæ portum suorum desideriorum iam penè attigisset, fruitura deinceps secretis amplexibus infantis sponsuli, qui ducit in solitudinem, locuturus ad Cor. Denique sentiebat Rosa se compellari primò illius diei Responsorio: *Adorna thalamum tuum Sion*. Certè non nisi thalamum pollicebatur cellula, quam sibi designabat Rosa, longamque putabat exspectare diei sequentis diluculum, quo opus inchoaret. Nec mora, postridiè adornauit thalamum, comportauit in hortum tabulas, intraque pauculos dies perfectum stetit solitariæ deuotionis breue, arctum, humile Sacrariũ.

Rosæ victoria Purificationis festo festiuissimè consonat.

XIV. Tuguriolum erat quinque pedes longum, quatuor pedes latum, dixisses arcam potiùs aut cistam grandiusculam, nisi modica ad latus fenestella esse domunculam clamitasset. Vnus ex Confessarijs Virginis obiter habitaculi augustiam perstrinxit, cui Rosa lepidè replicuit, tantum inesse spatij, quantum sibi Sponsoque cœlesti abundè sufficeret. Nempe vt dicebam, thalamus erat, quem Virgo Filia Sion adornarat. Nacta hanc Eremum felix Rosa hoc sategit, ne quis illic temporis punctus sibi efflueret sine fructu, hìc totos hærebat dies addita maiori noctis parte, hìc aptissimè per varia pietatis exercitia dispensabat horas, hìc liberrimo contemplationis vsu ascen-

Cellulæ mensura & forma.

Argutè respondet pro Cellulæ angustia.

aſcenſiones in corde ſuo diſponebat, propemodum ignara in corpore an extra corpus degeret.

Roſa ceu Stella in breui ſuo epicyclo.

XV. Huc poſtquàm ſe recluſerat, cuidam probatæ Sanctitatis Matronæ in raptu viſa eſt ſub ſpecie ac figura lucidiſſimæ Stellæ, cuius radios & quaquauersùs ſcintillantem claritudinem opaca parietum anguſtia cohibere nequaquam poterat. *Lima* alio nomine dicta *Ciuitas Regum* debuit & ſuam habere *Stellam*, ad arcta Saluatoris cunabula tacitè inuitantem. Obiter hìc attigerim, quod in Roſa dum vixit plurimi obſeruarunt, mirificè oblectatam fuiſſe aſpectu ſereni Cœli, adeo vt puella omnis Aſtrologiæ penitùs ignara magnam interdum noctis partem immota ſoli ſiderum ſpectaculo dulciter inhæreret: nimirum noua *Regum Stella* amabat Sphæram ſuam, eò anhelabat, hanc vnicè deperibat ſiderea indoles, nec facilè à cœleſtium flammularum nocturno obtutu auelli poterat mẽs Cœlo nata; fatebatur, Cœli ſiderumque diuturna contemplatione ſe inſtaurari ac refici, quin & alijs ſuadebat, clarum ſereni firmamenti aſpectum inter potiora quæ ſpiritum eleuant allectamenta poſſe numerari. Vſq; adeo non aberrauit religioſa Matrona, quæ Roſam ſtellis amicam in Stellæ figura agnouit, cui tunc pro firmamento exiguum cellæ latibulum erat.

Filia lucis amica Syderum.

De aſtrorum obtutu nobile documẽtum Roſæ.

Templorum aditũ ſolitudo abſtulit at ſine damno.

XVI. Qui Virginis in templa & res ſacras ardentem affectum nouerant, mirabantur ipſam iugiter ſuo Recluſoriolo ſic adhæreſcere, vt ferialibus diebus vix aliquando Eccleſiam adiret, proinde à nonnemine interrogata fuit, quomodo cor eius pientiſſimum ſufferre poſſet, quòd non ſaltim ad interueniendum Miſſæ Sacrificio tantiſper omni manè tuguriolum ſuum relinqueret mox repetendum? audi candidiſſimæ ſimplicitatis reſponſum & obſtupeſce. Subiecit Roſa: neutiquam id ſuo Recluſorio imputandum, ſed quia Mater (: quacum ſola iuſſerant Confeſſarij primis annis Eccleſiam adire) domeſticis impediebatur curis, ne omni die ad Miſſam exiret: ſibi tamen diuina bonitate proſpectum eſſe, vt in Cellula reſidens non vnicam ſed compluſculas quotidie Miſſas videret audiretque. Quæſitum de modo, & compertum, id supernè datum fuiſſe Virgini, quòd ſpiritu (: non ſecus ac ſi corporaliter præſens adfuiſſet) intererat quotidie Miſſis ſingulis, quotquot in vicino S. Spiritus xenodochio legebantur; nec ſolùm iſtis, ſed & ijs quæ procul celebrabantur in diſſita S Auguſtini Eccleſia,

E Cellula Miſſas lõgè diſſitas ceu præſẽtes ſpectat.

quæ

quæ non minùs quatuor aut quinq; platearum anfractu ſeu interiectu diſtabat à Roſæ domicilio. Recluſæ Virginis arctiſſimæ ſolitudini magnum id,prodigioſumq; fuiſſe ſolatium nemo ibit inficias.

XVII. Horrendas Ægypti plagas auxere olim *ciniphes*, ſiue vt habet Exodus, *Muſca grauiſſima*; & fortè muſcarum nulla grauior aculeato culice. Immunis tamen ab eo tormento ſola fuit *Geſſen*, quam electus DEI populus ſeorſim incolebat. Simillimum Roſæ iam ſolitariæ priuilegium fuit. Pigeret in re minima ſpectare miraculum, niſi Deus vt in maximis magnus eſt, ita in minimis maximus interdum vellet prædicari. Itaque rem paucis accipe. Locus vbi anachoreticum Virginis tuguriolum conſtiterat, pro ſoli humiditate & arbuſcularum frequentia infinitam grãdiorum culicum plebem aut gignebat aut trahebat in amicum ſui generis vmbraculum. Hi ſub Zona torrida vt corpulentiores ita ſpiculo ferociores ſcaturiunt, noſtriſq; Europæis incomparabiles, niſi quòd eodem quo iſti ingenio cruorem ſitiant, eadẽ tenui proboſcide tubicinem agenes & militem. Hi more ſuo interdiu Solis radios, ad veſperam ſerenæ noctis algores declinaturi denſis agminibus immigrabant anguſto Virginis habitaculo, nec tamen eorũ vel vnicus Roſam attingere vmquam auſus eſt. Accidit, quòd vel Mater, vel permittente Confeſſario nonnullæ religioſiores perſonæ Roſam in arcta Cellula de Diuinis collocuturæ inuiſerent; has verò, mox vbi ad feneſtellam aut ianuam conſediſſent, quaſi per emiſſas legiones hoſtiliter inuadebat exercitus culicum, circumſonabat importunæ multitudinis tubus ac tuba, ſequebantur in aſſidentium vultibus tubercula, manus abſcondi ſatis non poterant, vndique conferti examinis ſpiculum hauriendo incautorum ſanguini moleſtiſſimè imminebat, ſola immunis & immota ſedebat Roſa. Mirabantur omnes, nunc ſuas nunc Virginis manus ac faciẽ intuiti, ſciſcitabantur ſub ipſo dolorifico pruritu, quæ tanta Virgini eſſet inter eiuſcemodi carnifices patientia, imò quod amuletum, quo tam intacta dies integros noctesque his cruentis hoſpitibus innoxiè cohabitaret? Subriſit leniter Virgo, ſimpliciterque faſſa eſt, ex quo illuc intrauerat, ſe pepigiſſe cum ijs beſtiolis ne ipſam turbarent in ſuis exercitijs, ſe viciſſim nulli ipſorum aut nocituram manu, aut commune tectum negaturã.

Pſal. 104. v. 31. Cap. 8. v. 24.

Culex Ægypti plagas.

Maior ſub Zona torrida quã in Europa.

Roſis apes non culices inſident.

Ceteros cruentãt, ſoli Roſæ parcunt.

Pactum Virginis pro ſua immunitate.

Exin-

Exinde (: aiebat:) constans inter nos absque hostilitate pax & amicitia, fruimur vtrimque contubernio sat tranquillo.

Culices in Dei laudibus Rosæ Succētores.

XVIII. Mirabilius est quod subiungebat etiam in pangendis Dei laudibus hosce culices sibi obtigisse velut Succentores pro ipsorum modulo; nam primo diluculo quo laxabat ostioli ac fenestellæ valuulas, sic eos quotquot ibidem pernoctarant obiter compellabat: *eya amici, ad laudes omnipotentis Dei*; confestim hi velut signo dato erumpebant in gyros, miscebāt arguta murmura, vicissitudine tam ordinata flexibusque aptissimis in se reuoluta, vt penè credidisses choros esse aut choreas quibus ratio dux præsideret; hoc perfuncti officio euolabant ad pastum. Similiter vbi ad Solis occubitum repetebant hospitalem domũculam, rursum iubebat Rosa, vt priùsquam se quieti darent, communem secum laudarent Creatorem. Mox illi accepto imperio sonoris modulis implebant cellulam, donec iussu Virginis repentè ac simul conticesceret volatilis harmonia, tamquam sub vna lege nocturni silentij. Nimirum innocenti Rosæ hæc cellula Paradisus erat, in quo felix Innocentiæ status quondam in bruta animantia tali pollebat imperio.

Eidē parent, seu canendũ, seu noctu silendum.

Prodigiosum Virginis in culices imperiũ.

XIX. Soror Catarina de S. Maria tertij Ordinis S. P. Dominici, ac D. Eleonoræ de Castro annosa contubernalis Rosam in sua eremo visitabat, sed culicum insolentiam non ferens vnum sanguine iam præturgidum oppressit. Rosa miranti similis, quid agis (: inquit) charissima Soror, meos hospites mihi trucidas? Replicuit Catarina: non hospites sed hostes; etenim vide quàm iste meo sanguine plenus erat. Ad hæc Rosa: quid verò magni est, tantillum animalculum tuo pauisse sanguine, cuius conditor suomet nos cruore toties saginat? tantùm igitur ne perrexeris meos interimere culices, & vicissim tibi spondeo, quòd æquè deinceps tecum, vti hactenus mecum pacem colent. Promisit, nec vllus ibidem culex Catarinam ampliùs aut fodicauit aut suxit. Idem Matri, Quæstori Gundisaluo, huius consorti, alijsque accidisse constat. Sic ergo hũc suæ Rosæ prælectæ solitarium incolatum Deus honorare dignatus erat priuilegio (: tametsi in se minimo) planè admirabili, quod quia ibidem Rosa communicare potuit alijs, mirabilius est, dummodo recolamus thaumaturgam Moysis virgam non minorem fuisse in immittendis Ægy-

Ægypto *culicibus* quàm in accersendis *tonitruis*.

Exod. 9. v. 23.

XX. Paulò aliter id experta est Soror Francisca de Montoya itidem S. P. Dominici alumna Tertiaria. Hæc inter sacra cum Rosa colloquia viso tot muscarum famelico assultu nonnihil extimuit. Quod vbi aduertit Rosa, ne (: inquit) metuas Soror, ad SS. Trinitatis honorem soli tres hodie culices te pungent, deinceps vt ego immunis eris. Contigit, prout Virgo prædixerat, Franciscam ter culex adrosit, exinde illo die semperq; in posterum libera ab his fuit præsente Rosa. Quòd hoc miræ immunitatis priuilegium secessus ille solitarius è Cœlo possederit, bene est, quòd verò id ibidem alijs Rosa cōmunicare potuerit, singulare fuit.

Securam ab ijs pacem alijs itidem impertit.

XXI. Vltimo vitæ suę triennio in Gundisalui Quæstoris domo paris ferè solitudinis desertum sibi Virgo diffinierat, totosque cum noctibus dies vel in domestico Oratorio latebat abdita, vel in vltimo ædium cubiculo arctis sese cancellis iugiter cohibebat, omnia præstruens ómnia interponens, vt inutiles visitationes deuitaret. Nonnumquam de Confessariorum ipsiusque Gundisalui permissu maternam adibat domum, vt pristinæ cellulæ suaui eremo per aliquot dies frueretur, ac sæpè coram intimis grauissimè questa est, iugi se dolore affici, quòd sexus ac seculi cōditio sibi nō permitteret in asperrimos montes procul secedere, ibique cauam rupem inquirere vbi remota ab omni humano commercio vitam degeret: Laudabat assiduè priscorum eremicolarum felicissima tempora, suspirabat ad omnem Nitriæ ac Thebaidis mentionem, & vt verbulo absoluam, migrarant in Rosam ignita S. Catarinæ Senensis desideria quibus olim antra deserti haud perfunctoriè depoposcerat.

Solitudini vbique studet, vt alloquia euitet.

Dolet se sexu impediri, ne Deserta loca quærat.

CAPVT XI.

Rosæ mira cum Christo desponsatio, pronuba Augustissima Imperatrice Angelorum.

S. Catarinæ Senensis alta desponsatio.

I. EX Historia Vitæ B. Catarinæ Senensis Rosa didicerat, Virginem Seraphicam adhuc mortalem Christo Sponso fuisse mirabiliter subarrhatam. Currebat & ipsa per huius Sponsæ vestigia *in odorem Sponsi*, sed inter *adolescentulas* vt sibi videbatur, neque enim illa animi sui profunda demissio permittebat, quòd vsque ad singularem Sponsæ dignitatem tantæque celsitudinis titulum auderet vltrò aspirare. Et tamen in Rosæ thesauris eminebant virginea puritas & abyssalis Humilitas quæ propriam his nuptijs dispositionem parant, dotemq; constituunt, quo fit, quòd raris eiusmodi hymeneis peculiari iure præsideat Augustissima Angelorum Imperatrix, vtpotè supremæ tum Puritatis tum Humilitatis priuilegiò *Virgo singularis*, quæque vt in ceteris ita celebriùs in his duobus nec primam similem visa est nec habere sequentem.

Talium nuptiarũ pronuba sola Dei parens.

II. *Humilitatem* Rosæ iam Cap. V. vtcumque tractauimus; *Puritas* hìc tractanda foret ante cœlestes nuptias, verùm de hac nobis ad compendium sufficiat concors depositio Confessariorum, quotquot generalem Virginis exomologesim exceperunt; hi fuere XI. nimirum VI. ex Ordine Prædicatorum V. ex Societate Iesu, singulique seorsim velut vno ore ac sub fide iuramenti testati sunt, Virgineum Rosæ candorem ea semper nituisse puritate, vt neque veniali macula vllius lasciuiæ vmquam fuerit attaminata, nec in tota ipsius vita vel semel ei obrepserit fœda aliqua cogitatio. Nempe hyblæam Rosam non tangit scarabæus.

Rosam Puritas & Humilitas aptãt ijsdem nuptijs.

Omni impuritatis sensu caruit quoad vixit.

III. Itaque tam rarum pudicitiæ donum, tam humilis ac pura Virginitas à primo ætatulæ suæ quinquennio iam Christo sacra-

sacrata per votũ flos simul & dos erat futuro Sponsi Nazareni connubio, sed Rosa quantùm amabat *Lilium inter Spinas*, tam abiectè sentiebat de seipsa, vnde prodigijs opus fuit, quibus à longè præpararetur ad mysterium, erigeretur ad consensum. Primum (: ex ijs quæ innotuerunt) hoc fuit: quando bicolor ille Papilio, de quo supra Cap IV supernè aduolans insedit Rosæ, notatum est quòd aliquamdiu per sinistrum Virginis latus reptando oberrabat donec rectà è regione cordis constitisset; illic videbatur morosiùs occupari, nam instar apis fauo construẽdo intentæ vertebatur in breues gyros quasi penicillo quidpiam delineans. Expleto opere disparuit, & ecce cordis effigiem plenè ac scitissimè formatam in veste Rosæ, quam à Papilione ibi depictam relictamque conspicuè obseruarunt puellæ quotquot in eodem conclaui laborabant: at hæ ignorabant arcanum symbolum cordis virgineo cordi inaratum, sola Rosa sentiebat (: sed obscuriùs adhuc) clamantem eminus Sponsum: *præbe mihi cor tuum*. Coniectabat se à variegato Papilione non solùm vocari ad concolorem Senensis Catarinæ habitum, verùm etiam insigniri eodem emblemate cordis quod olim cum Sponsa Senensi Sponsus æternus permutarat: Nihilominùs remotiora hæc erant, quàm vt tanti Thalami spem certam inuergerent, & tamen (: vt postea claruit) eminus ista felici Sponsalitio præludebant.

Præparatur ad tãti Sponsi thalamũ.

Cordis in ea effigiẽ pingit mysticus Papilio.

Mutua cordium permutatio præsignata.

IV. Paulò apertiùs alterum, quod sequitur. Post assumptam tertij Ordinis candidam vestem nocte quadam in somnis ostensa fuit Rosæ pulcherrima ac decentissima Viri species: penè suggerebat animus cœlitem quemdam esse, imò ipsummet speciosum forma præ filijs hominum, nisi quòd habitus latomum fingebat, seu marmorum cædendorum nobilem artificem. Et reuera is erat, sed tunc festiuus & amans venerat, tamquam Virginem illic Sponsam sibi quæsiturus: Rosa, cui nec per somnium vlla vmquam placuerat nuptiarum cogitatio, sentiebat intus, vno isto coniugio nihil felicius in tota sibi vita posse obtingere. Gratiæ sympathia hæc erat, quæ Rosam docebat amare *Secreta quæ non nouerat*. Annuit ergo oblato fœderi castissima turtur, ac data vtrimque maritali fide gratiosus ille Sponsus tamquam necessarium iter peracturus discessit; priùs tamen nouæ suæ Consorti aliquot ibidem marmora certo numero incidenda, formanda, polienda commisit dum pe-

Cœlestis latomi visio mysteriosa.

Nuptura Christo parentes relinquat.

regrè rediret. Quòd verò coniugum sit relinquere Patrem, & Matrem, vt sint duo in carne vna, monuit Rosam suam Neonymphus, alendorum parentum curam posthac ipsa deponeret, aliundè se illis prouisurum ne quo egeant.

Redit Diuinus latomus ac Sponsam erudit.

V. Visus deinde ab itinere rediјsse Sponsus, at Rosa quæ interim opus suum lapidarium ex toto nondum absoluerat, pudore suffusa, multis excusare se conabatur, quòd necessitatibus parentum impedita, quòd rudis adhuc illius artis quæ tam inusitata esset fœmineis manibus lino dumtaxat ac lanæ assuetis. Hìc Sponsus subridens, ne credideris (: inquit) Dilecta mea, solam te in fœminis esse, quam duris hisce laboribus occuparim: statimque proximi conclauis ostio latissimè diducto ostendit Rosæ lapidariam officinam peramplam ac spatiosam, quam solæ implebant Virgines arduo labori gnauiter intentæ; his pro acu malleus & scalprum, pro lana durissimi lapides & saxa erant, his tundendis, æquandis, & ad normam affabrè conquadrandis instabant totæ, secabant, excauabant, læuigabant, defricabant, & vt ferramenta citiùs durior lapis admitteret, hunc affatim emolliebant crebro suarum lachrymarum stillicidio. Quodque sat mirabile videbatur, inter hos impolitos saxorum cumulos & puluerulentas operas vestis erat singulis virginibus non plebeia ex more opificij, sed pretiosa, fulgida, solemnis, quæ nuptiale conuiuium, aut publicam theatri pompam saperet, magis quàm sudoriferam officinam.

Christi Sponsæ exercētur arduis.

Mira piarum lachrymarū vis.

VI. Mirabatur Virgo Virgines operi tam insueto implicitas, at significabatur virtus occupata in arduis; circumspiciebat singularum artificum marmora iam elaborata, absoluta, seposita, quorum nulli ad perfectionem exactissimam quidquam deerat. Tandem Rosa nictu fortuito in se reflexa vidit eodem quo reliquæ ibi Virgines splendidissimo amictu se pariter circumdatam inclaruisse, & quæ illactenus suo dumtaxat habitu Dominicano simpliciter canduerat, repente se deprehendit in cyclade gemmis & auro distincta, vt ad easdem illic operas se quoque nosset auctoratam. Quot quantaque mysteria ex vnica hac visione didicerit Rosa, particulatim apparebit in sequentibus, hìc ad solius cum lapicida depacti sponsalitij euentum festinat historia.

Rosa nuptiali amictu se illis consertam videt.

VII. Iamque post eiusmodi præambula supererat vltimum,

quo

quo demum hic Sponsus manifestè ac palam se insinuaret vigili Rosæ, & exuto latomi schemate Virginem ad connubialem thalamum apertiùs inuitaret. Ità accidit, & quidem hoc ordine: Dominica Palmarum annuo ritu peracta benedictione distribuebant Ramos Sacristę per chorum & Ecclesiam dum adornatur solemnis Processio: interea cum alijs Sororibus tertiarijs exspectabat ibidem & Rosa palmam suam, geniculata in Rosariano Diuæ Virginis sacello. At siue incuria, & errore properantis Sacristæ, siue (: quod potiùs crediderim) singulari Numinis consilio accidit, quòd hac vice Rosa sine ramo fuit, omnino quidem præter morem, nam annis superioribus in palmarum distributione (: vtpotè Filia Ordinis) præterita numquam fuerat. Hac igitur nouitate confusa Virgo, vt assolent teneriores conscientiæ, extimuit ne aliquo forsan obliquo animi motu indignam se reddidisset illius ramiferæ Processionis consortio.

Felix occasio ex Ramis palmarũ.

Rosa sine palma ad palmam altiorem euehitur.

VIII. Circuiuit tamen cum reliquo fideli populo, at mœsta & verecunda, peractoque circuitu rectà Sacellum Rosarianum (: suum portum) repetijt, ibi ad pedes Deiparæ Virginis cor suũ effudit per vndantes lachrymas, seipsam reprehendens si fortè palmam benedictam aut nimis ambitiosè concupierat, aut per inertiam non quæsierat. Deinde in vultum Augustissimæ Deiparentis intenta, vt vidit hunc sibi serenum & solito dulciùs adblandientem, resumpsit animum, iamque complacebat sibi in eo quo fuerat contristata, & absit (: inquit) quòd à mortali manu palmam accipiam, tu Domina, tu *Palma exaltata in Cades* me ramo ditabis immarcescibili. Ad hæc verba mox vidit Cœli Reginam vultu exporrecto & hilari conuerti in paruulum quem vlnis gestabat Filium, ac inde velut à fausto oraculo suauiùs respicere in Rosam; hæc ignoto perculsa gaudio vertit oculos in paruulum, ipsumque similiter arridentem sibi conspexit. Inter hos duos mellifluos vultus æstu reciproco oberrabat Rosa, festinabat ab vno ad alterum, deliciabatur in alterno spectaculo, & quò sæpius ad alterutram redibat faciem inueniebat dulciorem.

Mulcetur aspectu Deiparæ ad spem sublimiorem.

Mox & a Diuino Puerulo.

IX. Pluries in eadem S. Imagine (: vt infra narrabitur) demulserat huiuscemodi suauis annictus orantem Rosam, at numquam eo quo tunc dulcedinis excessu, ea familiaritatis aura ac gratia, illo reconditi fauoris singularissimo fulgetro; ita quòd sentiebat iam in animæ suæ fundo, magnum aliquid secũ agi,

Verè magnum aliquid agebatur.

agi, nec suum procul abesse lapicidam. Affectus erant, quibus nondum inuenit nomina inops mortalium ruditas.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!

X. Quid multa? erupit tandem puerulus *Iesus* in hoc canticum dramatis: *Rosa cordis mei! tu mihi Sponsa esto*. Penetrarunt medullas Rosæ hæc verba, & velut ictu improuiso exanimis in se recidit, breuique lucta confusorum affectuum simul & dehiscebat tremula in abyssum sui nihili, & natabat sublimis tumore lætitiæ, nec tamen succumbens tantæ dignationis miraculo animus inueniebat quid responderet, ni succurrissent verba Humilitatis purissimæ: *Ecce ancilla Domini*. *Ecce* (: inquit) *ancillam, ecce mancipium tuum ò Rex Maiestatis æternæ; tua sum, tuam me profiteor, tua ero*. Plura parabat dicere, sed continuò reuoluebatur in eamdem paræmiam sobria liquescentis animulæ ebrietas; & infans amor quod eloqui non poterat, balbutire gestiebat. Certè non errauit, *quicumque ille fuit puerum qui pinxit amorem*.

Spondet Humilitas, vbi despondetur Puritas.

Flammeũ ab ore Virginis Matris.

XI. Sed quæ olim in Cana Galileæ nuptijs interlocuta fuerat Virgo Mater hìc minimè tacuit, eò vel maximè, quòd sola ipsa huius Sponsalitij paranympha aderat, sola Rosam promouerat, Filiumque pronuba exorarat. Itaque & ipsa nouellam Sponsam affata, *Vide* (: inquit) *ò Rosa eximium fauorem quo te Filius meus dignatus est*. Epithalamium id fuit, quod non Dauidis plectro, sed ore proprio Sponsi Mater accinuit. Laborabat sub gaudiorum mole, nec se capiebat Rosa, experta verissimè dici: *Sit licet ignis amor, non leue pondus habet*: Æstuabat, arctabatur iam palmæ oblita Virgo, pro qua successerat *Lilium conuallium* tam speciosum, tam pretiosum. Denique iucundissimum ipsi erat, quòd eodem die ac loco & palmam & Rosam amiserat, vtpotè post hoc connubium non ampliùs *sua*.

Lilij Rosæque cõiugium.

XI. Subsecuta deinde opulentissimi Sponsi nuptialia antidora: nam vt in examine (: de quo infra Cap. XIV.) fateri compulsa fuit, de intimis Gratiæ thesauris rara quædam Seraphici amoris incendia descenderunt in Rosam, secumque traxere longo ordine diuitias inæstimabiles variorum charismatum, quibus animam Sponsæ ditabat, illustrabat, ornabat profusa tam nobilis Sponsi magnificentia: pignora erant, & monilia, datæque fidei pretiosi arrhabones humanis verbis inexplicabiles, vnde & Virgo de his à suo examinatore pressiùs inter-

Paraphernalia nuptijs consentanea.

interrogata, nec negare ausa, simplicissimè per solam voca-bulorum inopiam se excusauit.

XII. Porrò vt iugiter tanti beneficij Mnemosynon versa-retur ante oculos, domum reuersa cœpit extemplò cogitare de conflando connubiali anulo, quem cordis digito in nup-tiarum suarum gratam memoriã gestaret perpetim ac palàm; aduocatoque in consilium vnico germano Fratre paucis desi-derium suum explicuit, mysterium celauit. Ille arrepto cir-cino iustam anuli formam delineauit in charta, debitæque proportionis addidit palam figura circuli, cui Virgo paruulum *Iesum* optarat insculpi. Supererat vt de lemmate quod anuli conuexo inscriberetur per gyrum, conuenirent. Hìc Rosa Fratrem intuita exspectabat quid ille decerneret. Is nil mo-ratus, veluti si arcanis Rosæ nuptijs arbiter interfuisset, hæc eademmet verba circumscripsit anulo: *Rosa cordis mei, tu mi-hi Sponsa esto*. Obmutuit, stupuitque repentino gaudio Rosa, vt vidit nõ deliberatione sed impetu raptim incidisse Fratrem in symbolum, quod vnica ac propria totius negotij erat perio-cha, in lemma quod Christus ipse dictarat & ore proprio gra-tiosè expresserat; sciebat, illud humanitus non potuisse aut Fratri suo aut vlli mortalium innotescere, altioris id instinctùs fuisse dictamen, proinde nouo iubilo subsultans in dulcissimo prodigio ludentem Sponsi manum tacitè adorabat.

Pronubus conflatur anulus.

Lemma inscriptũ anulo.

XIII. Anulum deinde ex hoc iam chariorem eiusdem ma-ioris hebdomadæ feria V. in Ecclesiam detulit, magnisque precibus à P. Sacrista impetrauit eidem locum in arcula quæ illo triduo SS. Eucharistiæ repositorium est & sepulti Redem-ptoris monimentum. Illic volebat suum hoc amoris pignus tantisper cum Sponsõ mortuo tumulari, vt cum eodem resur-gente pariter rediret ad lucem, sic protestabatur amabili Spõ-so, se nec illo defuncto solutam esse à lege Viri, cum quo & mortis thalamum cupiebat sortiri communem. Denique so-lemni die Paschatis hic anulus ex triduano Dominici sepul-chri contubernio iam sacratior gratiorque ad Rosam redijt, & coram illamet Diuæ Virginis Imagine Rosariana vbi contrac-tum fuerat S. Connubij fœdus, cordialem Rosæ digitum in-clusit, non sine nouo prodigio, nam ceremonia tam secreta fuit, quòd nec proximè Virgini adgeniculans Mater quidquã vel minimum aduerterit, quamquam ad omnia Filiæ intentis-sima.

Anulus Reposito-rio Eu-charistico acclusus per tri-duum.

Prodit rursus in Paschate.

XIV. Post

Post Virginis obitum claret dulci prodigio.

XIV. Post Virginis obitum vnà cum reliqua ipsius permodica supellectile anulus remansit penes Vxorem Gundisalui Quæstoris, istudque memorabile accidit anno 1618. mense Februario in dicti Quæstoris ædibus. Vir ille sanctitatis fama conspicuus (: de quo supra in fine Cap. VIII.) dum Rosæ defunctæ coronam spineam deuotionis ergo contrectarat, diutiùs hæsit in anulo, quem vt sibi à D. Maria de Vsategui porrectus fuerat, modicæ chartæ inuolutum stringebat intra pugnum. Et en, quidquid sentire ex attactu coronæ cœperat, longè validiùs sensit ab anulo, supernos attractus præpotentes, dulces, delicatos, lumina inusitata, excelsa, pretiosa; ardores Spiritùs vsque ad animæ liquefactionem efficaces, blandos, subtiles. Videbantur analecta esse nuptialis conuiuij quo Rosa cum Sponso fruebatur in Cœlis. Paulò post hic seruus Dei velut internis stimulis impar erupit in voces: *Benedictus Deus, qui tam mirabilis est in Rosa sua. Laudetur SS. Trinitas cui in excelso Gloriæ fastigio inter præcipuos Paradisi Ciues assistit Rosa. Rosa dilecta! Rosa praelecta! Rosa candidissimi Agni Sponsa! magna es, sublimis es, gloriosa, præfulgida, incomparabilis es in Triumphali Sanctorum agmine.* Permulta similia ructabat idemtidem corde pleno, affectu suauissimo, at corpore prorsus immobili, nam intimus ille iubilus vt linguam & os sedentis laxauerat, ità reliqua membra ligarat, adeò quòd nec valebat de sella surgere, nec brachia aut crura stupore obrigida mouere.

Virum deuotissimum attactu suo mirabiliter inflãmat.

Eumdem ligat ac immobilẽ defigit.

XV. Dextra manus quæ anulum implicuerat, sedis costæ laterali innitebatur, at fixè, velut acclauata. Sinistram cordi apposuerat contra immodicam palpitationem exundantis lætitiæ, sed & illa insolubiliter videbatur adglutinata: conabatur semel iterumue fortunatus homo se excutere de sedili, disiungere tibias, aut brachia saltim attrahere, nec quidquam horum poterat. Interim pergebat lingua, quæ sola mobilis erat, prosequebatur nunc Dei nunc Rosæ encomia, dum simul persona tota cum nimia interni sui gaudij vehementia luctabatur. Quæstoris vxor decoro spectaculo iam diu oblectata maritum aduocat quasi ad perfunctoriæ salutationis debitum officium, nam hospes qui consederat illis in ædibus notissimus & charus erat. Accedens Quæstor Gundisaluus hominemque comiter salutans vidit hunc minimè assurgere, mox vidit

Lucta hominis suauiter vincti.

vidit nec poſſe. Hic reſalutandi pariter & excuſandi formulas tentabat proloqui, ſed fruſtra, relabebatur enim in eadem Dei & Roſæ præconia, inde querula ſuſpiriorum dulcedine accuſabat violentiam gaudiorum quæ felicis Roſæ anulus ingerebat: ò (: inquit) *amores! ò quæ flammulæ! qui feruores! quàm torrent ſuauiter, quàm repunt tenerè per medullas! ò ignes, ò deliciæ, ò animæ æſtuantis vincula tenaciſſima, nexus periucundi, amplexus ineluctabiles!* Gundiſaluus commiſerantis & gratulantis affectui medius rogabat, num placeret anulum (: vnde hæc lætitiæ tormenta erant) manu-mittere, vt illo ſedilis & gaudij ſe carcere expediret? tacuit homo, demum annuit, ſed explicare manum implexoſque exſerere digitos nequaquam potuit.

Succurrit Gundiſaluus.

XVI. Auxilium offerebat Quæſtor: admiſit. Mirum dictu; brachium Viri Gundiſaluus obſtipum reperit ac inflexibile, dexteram algido ſudore madidam vt in mortuis ſolet, digitos circa anulum ita contortos, implexos, nodoſèque incuruos, vt vi ac mora opus fuerit qua ſenſim explicarentur. Hinc itum ad ſiniſtram, quæ vt pectori auelleretur, pari anhelitu laborandum fuit. Sic depoſito anulo ceſſarunt gaudia ceſſerunt vincula, ſurrexit liber è ſella qui paulò ante tenebatur in captiuitate lætitiæ nuptialis. Videbatur anulo reſtituto ſimul exuiſſe manicas & pedicas, quamquam fateretur, longè meliùs ſibi fuiſſe in illo deliciarum compede, quàm in miſerantis Amici præpropera ſolutione. Denique fidem ſilentij obſecrauit & abijt. Quòdſi in aliena manu tanta potuit nuptialis Roſæ anulus, ipſæmet nuptiæ quid non potuerint in Sponſæ anima? Perſeuerat vſque hodie in Limenſi B. Roſæ Monaſterio pia conſuetudo, qua ſingulæ Deo dicatæ Virgines in huius ſponſalitij anulique memoriam geſtant digito anularem bracteolam hoc inſcriptam lemmate: *Roſa cordis mei, tu mihi Sponſa eſto.*

Vix demũ eluctatur adiutus.

Suauior libertate captiuitas.

CAPVT XII.

Rosa perpeti orationis studio miram assequitur cum Deo vnionem.

I. SI, *qui adhæret Domino vnus Spiritus est* cum eo, 1. Cor. 6. fas erit inde conijcere, quàm sublimem vnionis Diuinę gradum Rosa attigerit, quæ orationis familiaritate iugiter soli Deo inhærebat. Adhuc infantem interna vnctio Spiritus orare docuerat, feruorem indiderat, quem plerùmque nec ipsa nocturna somnia distrahere ad alia obiecta potuere. Hinc sæpissimè per noctem audita est dormiens numeratò totidemque verbis reddere precatiunculas quibus per diem prolixiùs inuigilarat. Crescebat cum ætate religio, cum statura corporis eleuatio mentis in Deum, nam & pueriles ipsius annos exercebat seria meditandi frequentia, subitisque & præcocibus incrementis excelsa contemplationis peritia eò maturuit ac pertigit, vt circa duodecimum ætatis annum deprehensa fuerit iam conscendisse illum Orationis gradum, quem *Vnitiuum* mystica Theologia appellat. Sic cōpertum in examine de quo infra Cap. xiv.

Orandi vsum vix somnus interrupit.

Duodennis gradū orationis Vnitiuum attigisse deprehēditur.

II. Porrò duplici assueuerat orandi modo: prior isque præcipuus erat, quando exoccupato simul tum corpore tum animo quietissimè se totam collegerat ad loquendū cum Deo; alter, quando inter labores manuum externasque occupationes mentem immobiliter figebat in Deum. Priori (: vt supra attigimus) cuiusuis diei naturalis horas non minus. 12. seposuerat. Posterior ei continuus erat, & quantum nostræ mortalitatis via permittit, nulli interruptioni obnoxius, nisi dum ad horam patiebatur visiones de quibus Cap. seq.

Duplex orandi modus.

III. Rarum hoc & singulariter admirandum in Virgine donum fuit omnipotentis dexteræ, quòd siue dormiret Rosa siue vigilaret, numquam, & nusquam mentis suæ oculo elabebatur cœlestis Sponsi præsentia; dum nebat, texebat, suebat, dum sericos acu pingebat flores, dum alijs colloquebatur, dum comedebat, legebat, ambulabat, in templo, in horto, domi,

foris,

foris, in platea, in cellula, vbique obuersabatur interno obtutui cominus (: at velut in speculo) amabilis illa Maiestas cui seruiunt Angeli, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Et, quod omnem tum rationem tum admirationem supergreditur, occupabat Diuina hæc pręsentia interiores Rosæ potentias sine notabili abstractione à sensibus, ita quòd dum Deo loquebatur intus, absque impedimento simul alia quæque necessaria cum domesticis tractaret foris, respondebat ad interrogata seriatim, appositè, ordinatè, conuersabatur expeditè, disponebat agenda, agebat disposita, facilitate, attentione, promptitudine qua solent qui vnicè negotijs exterioribus intendunt.

Animo & cogitatu iugiter affixa Deo.

Externis occupationibus non distrahitur à Dei præsentia.

IV. Nempè in S. Catarina Senensi simillimum gratiæ paradigma præcesserat, quando streperis culinæ officijs damnata construxit in intimo animæ recessu felicissimum illud imperturbabilis quietis conclaue quò nulla exteriorum tumultuum importunitas penetrabat. Sic Rosa tota foris & tota intus, dum exteriùs satagebat circa frequens ministerium, simul in secretissimo cordis thalamo deliciabatur cum Sponso. Hinc pluries in ipsa obseruarunt Quęstoris filiolæ, quòd cum inter suendum Rosa filum & acum trahebat sursum, vnà cum brachio videbatur & animus eleuari in exstasim, breuique morula in sublimi suspēsa manus redibat ad opus, nec aberrabat acus à puncto quem reliquerat.

Catarinæ Senensis & Rosæ synergon.

V. Aliud æquè mirabile huic dono accessit in cumulum, quòd inter orandum non facilè mouebatur obiectis quæ ad ipsam minùs pertinebant, tamquam si ad hæc sola obtorpuissent Rosæ externi sensus. Hinc sæpè in ea notarunt religiosæ fœminæ, quòd sicubi in populosissimo Templo angulum occuparat è regione maioris Aræ attentiùs precatura, sedebat per horas immota, defixis in Aram oculis, nec prætereuntes videbat, nec ad repentinos circa se strepitus deflectebat obtutum; imò si quid videbatur rectà incurrere in pupillas non attrahebat nictu cilia, non claudebat palpebras, non declinabat vultum; vt putasses cœcam esse, quando vel maximè aquila erat acie irretorta suum admirans solem.

Patentibus oculis cœcutit ad secularia, & aliena.

VI. Hinc & illa Virginei sui corpusculi rupea immobilitas dum in Templo, & in Sacello Rosarij, in domestico Oratorio fundendis precibus vacabat: nam quo loco situq; ad oran-

Trunco immobilior per durat in oratione.

dum initio se composuerat, eodem post horas, post diem integrum, post solidum cum die binoctium reperiebatur omnino inuariata. Sic Gundisalui vxor quandoque pomeridiana hora quarta inuenit Rosam eodem geniculatam angulo quem in puncto meridiei ad meditationis exercitium occuparat. Sic in Ecclesijs, vbi aut 40. horarum supplicationi, aut aliàs SS. Eucharistiæ Sacramentum prostabat adorandum, Rosa quem summo manè insederat loco velut impetrita durabat in vesperam sine refectione, sine motu. Sic in Quæstoris domestico Oratorio, cum sese occludebat Rosa à manè feriæ V. vsque ad Sabbathum (: nonnumquam & vsque in Dominicam) primò rogabat D. Mariam de Vsateguì, ne toto illo temporis interstitio euocaretur, quidquid demum occurreret, si vel ipsa Rosæ Mater veniret Filiæ locutura: causam rogata candidè respondit, se toto illo temporis spatio immobilem de pauimento surgere in pedes non posse, ne quidem ad Oratorij ianuam aperiendam si quis fortè pulsaret ad limen.

In tertiũ vsq; diem vno affixa angulo orat.

VII. Tres dietim horas selegerat, quas sigillatim manè, meridie, vespere solis gratijs Deo reddendis insumebat. In his affectu tenerrimo recolebat singula Dei in se beneficia, mirabatur eius erga se dignationem, adorabat munificam prodigamque tot donorum, gratiarum, charismatum liberalitatem; & sanè habebat quotidie noua quæ ex pugillaribus attentissimę gratitudinis recitaret.

Tres horę dietim gratijs Deo agẽdis sepositæ.

VIII. Familiare quoque sibi effecit quoddam orandi genus altissimum, luminosum, ignitum, quo nominatim gloriosa Dei attributa mente peruoluens, singulis proprium latriæ cultum exhibebat. Verùm-tamen vt in his alieno potiùs quàm suo fideret ingenio, pium doctumque è Societate Iesu Theologum adijt, Diuinorum epithetorum sinceram è Sacris Paginis nomenclaturam sibi in epitomen colligi flagitauit. Obsecundauit ille, collegitque pluscula, sed Virgini pro affectus magnitudine videbantur pauca, fascem cupierat non fasciculum; itaque à P Magistro F. Ioanne de Lorenzana grandius supplementum obtinuit, donec summa numeri ad CL. pertingeret. Hæc ordine aptissimo in XV. decades secreuit, vnicuiq; decadi versum subiecit: *Gloria Patri &c. Sicut erat &c.* Porrò affirmabat hanc orandi formulam terrori esse dæmonibus; vtiq; numquam id affirmatura nisi experimento suo com-

Singula Dei attributa seriatim adorat.

Illa digerit in 15. Decades.

Dæmonẽ torquet iste orandi modus.

pro-

probasset. Denique in his Dei attributis penè tota mouebatur sui cordis systole atque diastole, tantùmque in ijs profecerat, vt modestè aliquando fassa sit, etiam inter nendum ad singulas acus puncturas nouo se Deum encomio compellare.

Nens pũctim laudat Deũ.

IX Insuper notatum fuit, adeò Virginem orationi adhæsisse, vt familiares sermones quibus erga alios vtebatur, simul vim orationis plerùmque continerent, quodque interrogantibus responsum dabat simul idioma erat mentis in Deum eleuatæ; exempli gratia, si cum alijs fœminis hortum intranti operosiùs laudabatur viridarij amœnitas, respondebat comiter: *Venustus ac pulcher est hortus, Deus illi flores adaugeat*. Verùm ipsa præcipuè indigitabat hortum animæ, cui à Deo precabatur florida augmenta virtutum: sicque ingeniosè vni paræmiæ duplicem sensum includens altero satisfaciebat alloquenti, altero Deum alloquebatur ipsa. Obseruatum id crebrò, inque diuersissimis materijs, quarum vix vlla effugiebat hanc spiritualem & sanctam æquiuocandi solertiam, ne quid Rosæ ori excideret quod non esset oratio.

Modus simul Deũ simul homines alloquendi.

X. Accidit quòd die quadam ab Ecclesia domum rediens, vt sensit malè sibi esse, pulmentum sibi ex aqua tritoque pane obiter parare constituerat, vtque focum accenderet, ardentem aliundè titionem fuerat mutuata. Dum reuertitur, audit è pergula canoram auiculam. Substitit Rosa non dedignata volucrem auscultare tantisper, vtpotè Dei laudes (: vt sibi imaginabatur) modulo suo cantillantem. Pergebat auicula modulari, variabat lepidæ vocis argutias, duplicabat gargarysmos: at Rosa subito pudore in se reducta obiurgauit seipsam; *quid?* (: inquiens) rudis ista bestiola meum suumque Creatorem laudat pastus sui oblita, & ego parando mihi cibo occupabor? quantulum est quod huic donauit animalculo naturæ Autor, & en totis præcordijs totis viribus ei rependit laudis tributum, ego verò de pastu cogito, nec solicitor quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi! Hinc conuersa ad titionem quem manu gerebat, vndequaque extinctum vidit, mirata se tanto tempore illic substitisse, dum totus paulatim extingui titio potuerit: credebat, se nec dimidium horæ quadrantem in auiculæ musica hæsisse attentam, & forsan horæ integræ effluxerant. Proinde in se denuo retracta, cœpit & ipsa laudare Deum, eo feruore qui sensim Rosam abripuit in exstasim, nec ab

Auscultat auiculæ Deũ laudanti.

Se reprehendit ob cibi curã.

Auctis donis augentur rationes donorum.

Mortalis cantus nõ sic fefellisset horas.

ea vſque ad veſperam ſeſe explicuit, cum manè tribus circiter ante meridiem horis auiculæ melodiam cœpiſſet auſcultare.

Orandi ſtudium omnibus nititur perſuadere.

XI. Paradoxum foret, ſi Roſa quod alijs tanto conatu ſuadebat, ſibimet ipſi non æquè ſeriò perſuaſiſſet. Quidquid hortabatur proximos, quidquid inculcabat, vnum orationis ſtudium erat. Ad huius exercitium Scholamque inter alios Ferdinandum germanum ſuum fratrem nitebatur allicere, promittens laborem exiguum, fructum eximium atque inæſtimabilem fore. Ille de fructu nil dubitans laborem difficultatemque maiorem credidit quàm Soror aut prædicabat aut credi vellet; quidquid de ſaluberrimi exercitij facilitate iactabat Virgo, meras ipſe hyperboles fœmineæque ſimplicitatis fabulas interpretabatur: nec tamen deſtitit Roſa docere fratrem, qua methodo ac ratione inter medias ſeculi occupationes animum teneret in oratione defixum.

Lectio librorum ſpiritualium.

XII. Pari ſolicitudine pios libros, quotquot de Oratione peritiùs tractare nouerat, & legebat ipſa & legendos alijs facunda efficacitate conſulebat. In his eminebant Ludouici Granatenſis erudita Opera de Oratione ac meditatione, quibus aſſiduè euoluendis reuoluendiſque Roſa hebdomadam diuiſerat, varijſque colorum ſignaculis quid ſibi quoquo die legendum, diſtinxerat. Nec minore cura PP. Confeſſarios quotquot adire poterat, monebat, rogabat, obſecrabat, vt ſuos pœnitentes omni ſuadela & arte inducerent ad mentalis orationis ſubeunda gymnaſmata, aduerterent magnam hanc eſſe pharmacopeiam omni aduersùs peccata antidoto inſtructiſſimam, orationis vſu purgari ſpiritum, alligari animarum vulnera, hac aperiri cellam Sponſi vnguentariam, omniſque ceromatis apothecam.

Mentalis oratio quā vtilis.

Hortatur Concionatores vt meditandi vſum omnibus inculcent.

XIII. Nec Roſa his contenta, ipſos quoque Diuini Verbi præcones frequentiſſimè compellabat, ſuos auditores ad orationis exercitamenta inflammarent, vſum piarum meditationum populariter inueherent, diſciplinæ huius vtilitatem, ſuauitatē, præſtantiam omni argumentorum vi, totoque facundiæ ſuæ conniſu priuatim ac publicè commendarent.

Roſa addictiſſima Mariano Roſario.

XIV. Peculiariter afficiebat Roſam Parthenici Roſarij deuota recitatio, at ſub eo ritu ac norma, qua illam primitus ex inſtructione Deiparæ tradiderat mundo S. P. Dominicus, hoc eſt cum innexa decadatim conſideratione myſteriorum noſtræ Redemptionis. Amabat hanc precandi formulam, quòd in ea coal-

coaluissent mentalis simul & vocalis oratio, singulæque huius partes & affectus, petitio, vox laudis, gratiarum actio &c. Hinc Rosa velut armillam brachio circumligarat paruum ex minutissimis orbiculis Rosariolum, cuius granula occultè trahebat ad singulas salutationes Angelicas, etiam vbi alloquijs & conuersationi se reperiebat implicitam. Profuit sanè permultis hoc exemplum Rosæque ardens hortatio, vt frequentandis Dei laudibus familiariùs adsuescerent.

Id instar armillæ circũfert ad vsum.

XV. Quinimo hic orandi affectus in Rosa tantæ energiæ fuit, vt vel ipsas insensibiles plantas, stupida ligna, mutosque stipites ad laudem, reuerentiam, adorationem Deo exhibendam mirabiliter inclinarit. Rem adfero inauditam. Matutino crepusculo Rosa de more ad cellulam suam anachoreticã reditura, simul vt horti ianuam pandebat, eminus conspectas arbores, virgulta, herbulas omnes inuitabat vt secum benedicerent Creatori: *Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino.* Et ecce, moueri subitò in Euphoniam & concentum ramusculos, collidi frondibus frondes, plaudere omni ex parte streperos foliorum susurros, motitari humiliorum plantularum capita; ipsa legumina, flores, frutices, corymbos agitatione varia quodãmodo animari in placidam hymnidici murmuris harmoniam. Neque id satis: ipsa simul arbusta flectebant ramos in terram velut osculatura solum in Conditoris sui reuerentiam.

Planras, virgulta, arbores inuitat ad Dei laudes.

Collaudãt Deũ modulo suo.

XVI. Accidit, quòd mane quodam probatæ fidei personæ se Rosæ hortum adeunti comitem adiunxerat; vix intrarant, cum ad solitum Rosæ inuitatorium vidit certatim incuruari arbores, adeo quòd summitatum cacumina terram attingebãt lentèque verrebant solum, velut profundæ adorationis solemnissimo ritu. Obstupuit Socia, præsertim, quòd videret id Rosæ peregrinum aut nouum non esse, nam aliundè quoque innotuit huius prodigij conspicua frequentia, vt illud Virgo nec celare conata sit, nec negare potuerit, subiungebat tamen: vide, num amari dignus sit ille admirabilis mundi artifex! vide an laudari, coli, adorari mereatur à nobis illa æterna Maiestas, cui terrenum hoc germen, rudes trunci, cuncta vegetabilia modo quo possunt laudis canticum adsusurrant, pronæ venerationis tributum pendunt?

Grande prodigiũ flexarum arborum.

XVII. Aliud suppar, & finio. Anno qui Rosæ vltimus fuit,

per

Diuinas laudes cũ auicula alternat.

per totam Quadragesimam Sole occiduo aduolabat propè aduersùs Rosæ cubiculum auis paruula sed mirè vocalis ac sonora, ibique vicinæ arboris frondem occupabat, quasi dato signo eruptura in cantum. Rosa conspecto hoc suo vespertino choraule sese & ipsa parabat ad laudes Deo modulandas. Exin quasi tessera data inuitabat auiculam metro quod hũc in vsum composuerat, ferè hoc sensu:

Laxa fibras philomela, dulce prome canticum,
Pangat hymnum vox anhela, collaudemus Dominum:
Tuum lauda Creatorem: meum ego Saluatorem.
Deum vtriusque nostrum collaudabo. Pande rostrum,
Pande guttur cantillando: *Alternantes concrepando*
Melos demus vocibus.

Confestim auicula tractu vocis lenissimo inchoabat argutulam cantilenam, ac sensim vocalior assurgebat in epiphonema, multisque flexibus sinuosam absoluens Oden, Virgini cedebat vicem. Tacenti auiculæ succedebat Rosa, ac voce qua præstabat tinnula suauissimaque prosequebatur Diuinas laudes ingenio ad miraculum fœcundo ac prompto: Mox conticescente Rosa ex abrupto carmen suum resumebat auicula, duplicabat intercisionum minutias, tremulis arteriolis volubiles confundebat accentus, deprimebat, eleuabat, torquebat facillimas lubricæ voculæ argutias, & repente velut ad pausæ signum interquiescebat. Subintrabat continuò æmula vox Rosæ, instaurabat iubilum, magnificabat ineffabiles perfectiones altissimi Numinis, attollebatur vrgente spiritu, languescebat facundis suspirijs, demum prærupto suo silentio antiphonascum suum reuocabat ad cantum. Ita in Dei laudibus alternabat Rosa, & auicula, idque non perfunctoriè, sed integro labentis horæ spatio, tanta lege ac ordine, vt canente auicula ne quidem mutiret Rosa, & vicissim Rosa modulante auicula attentissima nec pipiret; tandem in puncto horæ sextę pomeridianæ quasi perfuncta officio auolabat, postridie ad idem reditura.

Iucũdum miraculũ.

Canori certaminis Virginei epiphonema.

XVIII. At Virgo piorum rythmorum extempore ferax Odæi proscænium claudebat hoc ferè epilogo.

Vt

Vt amem te ò Rex, me cuncta stringunt iura,
Cum tu Creator sis, & ego Creatura.
Deinde ad adstantes socias lepidè conuersa subdebat:
Auicula me deserit, fugit succentor meus,
At semper mecum permanens sit benedictus Deus.

Latinè hæc satis efferri non possunt, quæ in Hispano Rosæ idiomate proprijs numeris venustiùs illigabantur. Sat esto, quòd Rosæ ea Orationis vis fuerit, qua volucres cœli, qua terræ germina sibi attraxit in alternam adorandi societatem.

CAPVT XIII.

Rosa desolatorijs visionibus exercetur, ac horrendas alterius vitæ pœnas degustat.

I. QVOD auro fornax, id iustis & electis tribulatio: præcipuè vbi obuiandum periculo ne magnitudo reuelationum extollat. Hæc Paulo hæc Rosæ fornax diuinitus obtigit, sed diuerso igne. Illum stimulus carnis subiecit colaphis, hanc carbones desolatorij coxerunt in internæ derelictionis pœnali sartagine. Vterque præ angustia clamauit in cœlum, vtrique responsum cœlitus: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

Amara, sed vtilis medicina, SS. desolatio.

II. Ad rem. Vsque ad gradum perpetis cum Deo vnionis Virgo ascenderat, simulque cœpit in dies singulos atrocissima pati mentalium obtenebrationum interualla, quæ non obiter sed solidis plerùmque horis eò deprimebant miseram, vt sæpè nescierit in gehenna esset, an in Purgatorij diro carcere, vel quibus in ergastulis retrusa caligaret. In ictu oculi se inueniebat illic, vbi nulla suauissimi Numinis memoria, nullus Diuinæ præsentiæ gustus, nullum cuiuscumque solatij aderat vestigium, vmbra, mentio. Desertum erat obscuritatis, languoris, hebetudinis; regio mortis, nox deliquij, antrum vltimæ calamitatis; in eo quàm longinquus Virgini Deus, tam pro-

Caligo ex eclypsi supernę dulcedinis.

cul ipsa sibi. Iacebat sub tenebrarum immani pondere gemens Rosa, nec ad obiecta supernaturalia, imò neque ad naturalia sese valebat attollere.

Luctus & lucta animulæ desolatæ.

III. Conabatur intellectus vel minimas Deitatis arripere strictùras, sed omne lumen diffugerat; cupiebat voluntas amare, sed congelata obtorpuerat, laborabat memoria è multis aliquam saltim præteritorum fauorum imaginem menti adducere, nec poterat. In pœnarum cumulum recordabatur velut in nebula, aliquando se nouisse Deum & dilexisse, at sentiebat se nunc eumdem nec nosse nec diligere, vtpotè quem velut peregrinum, absentem, alienum, extraneum, vixque de fama notum eminus, raptim, tenuiter adnictabat. Hoc verò omnium molestissimum erat, tam procul exulare à Dilecti notitia. Tentabat deinde, saltim per vestigia illum quærere in creaturis, sed nec illa nec istæ apparebant sub lineamento quo solita analogia repræsentarent Creatorem. Interea terror & angor strenuè obibant partes suas. Vociferabatur cor afflictum, *Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Sed in vacuo animę exinanitæ respondebat nemo, nec echo quidem. Redibat ad luctam conatuum, sed consopitus erat omnis affectuum calor, obtusa omnis ratio, omnem vndique pietatis sensum profundissimus obsederat lethargus. Quid ageret sub his tormentis Virgo tam diuulsa in se, quàm auulsa à Dilecto?

In cruce derelictio acerbior morte.

IV. Verùm præcipua dolorum pars erat, quòd hi faciem præferebant quasi æternùm duraturi, nec finem vllum promittebat vasta miseria; nusquam patebat huius labyrinthi exitus, videbatur quasi muro adamantino obstructum effugium: vnde perplexa Rosa non reperiebat quo ab infernali *poena damni* hanc suam infelicitatem secerneret. Conabatur inde venari tristissimum solatium, quòd putabat sub his cruciatibus se sensim interituram, neque enim videbantur tales, qui sine totali destructione fragilis creaturæ subsistere diu possent: at tunc ei importunè occurrebat animæ suæ immortalitas quam nulla pœnarum vis interimere, nullus infernus extinguere sufficeret. Interdum prope erat, vt inconditos clamores ederet imploratura auxilium, at reprimebat cassos impetus, memor neminem posse calamitati tam inexplicabili succurrere, sibique deesse verba idonea quibus eam proximis vel tenuiter adumbraret; sed neque in orbe toto reperiri Doctorem adeo

Graue doloris auctariũ, vbi latet exitus.

Vanum à spe moriendi remedium.

diser-

disertum, profundum & eruditum, qui huius pœnæ grauitatem aut speculatione assequi, aut animo complecti posset.

V. Per ipsos quindecim continuos annos quotidie minimùm semel in hanc desolationis caliginem demergebatur pauens ac tremens Rosa, nec minus hora integra (: quandoque diutiùs) palpitabat sub hoc agone; tantùmque abfuit quòd vlla hos terrores mitigarit assuetudo, vt penè adauxerit: nam vbi postridie Virgo relabebatur in idem chaos, denuo sub eadem luridæ æternitatis larua recurrebant horridi pauores, nec mœrori suggerebat ligata memoria, quòd inde pridie emersisset. Vnde iterum anima eius in malis tabescebat, iterum exanimem abyssi operiebant, & Rosa tota iam spinea imò spina rigebat in ima voragine tribulationum.

Ingens ex annosa diuturnitate molestia.

VI. Attamen quibusdam diebus velut per rimulam irrepebat afflictæ lentum tantillæ spei crepusculum, quo vtcumque suspicaretur hoc animi supplicium fine non cariturum, sicque videbatur Purgatorij magis quàm inferni ærumnam sustinere. Nihilominùs & tunc sæuissimè vrebat Sponsi morosa absentia, affligebat durissimi exilij cruda relegatio, contristabat amarissimæ viduitatis longum diuortium, & quod reliquam superabat molestiam, tunc quoque conabatur & nosse, & amare, sed neutrum poterat; cæcutiebat mens confusa, oberrabat, palpabat, impingebat orbata lumine, quærebat, pulsabat, gemebat spiritus contribulatus nec audiebatur, exaruerat cordis fundus, distabuerat vigor, nulloque vitali motu, nullius affectus sapore Diuinis afficiebatur.

Succurrũt parcissimè tenues strictur æ superni luminis.

VII. Denique tantus fuit istarum figurarum horror, tanta horroris acerbitas, quòd Rosa tametsi ad quiduis sufferendum à teneris impauida vnicum hunc amaritudinis calicem à se transferri enixè petierit tamquam suis viribus omnino superiorem ac simpliciter intolerabilem; vnde rogabat Sponsum, dignaretur potiùs ipsam deducere per vias ordinarias suorũ electorum, nec vltra permitteret sic amantem dehiscere ad ima profundi, vbi non est substantia. Et reuera, vt durum sit animam separari à corpore, durius reuelli à semetipsa, durissimum fuit reuelli à Dilecto post experimentum vnionis ac suauissimorum amplexuum, siquidem Augustino teste quod corpori est anima hoc amanti animæ Deus, illique minor est pœna ab animando quàm ab amando desistere aut repelli. Nihilominùs

Petit trãsferri amarissimum calicem.

Resignat se in Dei voluntatem.

nùs Rosa vt agnouit sic placitum esse ante Deum, virili planè que heroico spiritu amplexa tormentum, *non mea* (: inquit) *voluntas fiat sed tua*. Sicque constanter ad securæ diei similem equuleum sese præparabat, numquam secura in quam horam is pauidam exspectaret.

Frustra leuamen quærit apud Confessarios.

VIII. Tam abstrusa, monstrifica, ignota erat harum desolationum figura & natura, vt vix demum reperti fuerint Theologi perspicaces & gnari, qui de illarum crasi quidpiam certi præsumerent diffinire. Initio Rosa diuersos adibat Confessarios, si quid fortè remedij, leuaminis, aut saltim consilij dare nossent: at illi nec satis assequebantur quid Virgo dicere conaretur, nec peregrina tot ænigmatum inuolucra cogitatu sat capaci adæquabant. Vnus respondebat, aut deliria esse, aut insomnia. Alius rem ad lemures & spectra imperitè reijciebat. Non defuit qui nugas, aut sanè dæmonum præstigias & vana terriculamenta suspicaretur. Æquiores fumantis melancholię seu atræ bilis esse paroxysmos interpretabantur, quòdque cerebrum inedia ac vigilijs attenuatum nimis pateret horridis luridorum phantasmatum incursibus, ex adustione vitiatis plenis, aut fœculenti sanguinis corruptione.

Variant horũ trepida iudicia.

Difficultatem remedij sibi imputat afflicta Rosa.

IX. At Rosa, quòd certò sciret hanc calamitatem non esse à corpore, tristabatur grauiùs, neminem se inuenire qui vel morbum intelligeret, vel in tantæ perplexitatis charybdi cynosuram aliquam ostenderet. Ingemiscebat deinde ruditati suæ, quòd præ inopia sterilis (: vt putabat) ingenioli ac loquendi inscitia non poterat afflictionem suam idoneis vocabulis explicare. Sic ergo incurabilitatis suæ culpam imputabat totam sibi. Vnum supererat exile solatium, quòd Mater sicut auxiliari non poterat, ita hos Filiæ terribiles agones penitùs ignorabat, turbanda aliàs & turbatura si resciuisset.

Matris importunitas crucem aggrauat.

X. Verùm & hoc Virgini tandem nouæ vexationis auctariũ fuit: nam vt aliquoties in vultu Filiæ notarat parens, eam statis horis interdiu expallescere, angi, palpitare, ac mortuali sudore propemodum congelari; importunè quod repentinæ ægritudinis id genus esset, curque dissimularet rogabat, & quò minùs Filia quid pateretur eloqui poterat, eò vehementiùs miseram vrgebat mater, instabat, adiurabat, quasi internum tormentum alio tormento inuestigatura. Excusabat puella, seipsam non satis habere compertum quid in anima sua pateretur, sed Mater

sonti-

sonticum morbum suspicata (: præsertim quòd eadem nonnullorum Confessariorum erat seu crisis seu imperita credulitas) Medicum aduocat, eiusque curæ inutili suam tot vndique tribulis vexatam Rosam commendat.

Nouo Medicinæ tormento Rosa incassum subijcitur.

XI. Protestabatur innocens Virgo, incassum huiusmodi sumptus, labores, tempus disperdi, malum suum nequaquam in corpore sed intus in spiritu sæuire ac dominari; sed audita non fuit. Proinde videns frustra se repugnare, nec fidem suis dictis haberi, tacuit ac medicinæ se subiecit quam sciebat nil profuturam. Nempe hoc vnum adhuc defuerat tantæ suæ calamitatis fastigio, quòd insuper cogebatur velut malè sana ad nauseam catapotia, pharmaca, phlebotomias admittere.

Ingerũtur corpori medicamina nil animo profutura.

XII. Nitebatur subinde Rosa, vbi de hac suæ desolationis fornace fidentiùs loquendum erat, adinuenire similitudines quibus vtcumque rem adumbraret, sed mox fatebatur se actum agere. De igne hoc nostro elementali aiebat ridendam esse comparationem, quia is nonnisi *poenam sensus* quam vocant infligere aptus est; Videbatur aliquid huius attigisse Augustinus, quando inuenit se longè à Deo *in regione dissimilitudinis*: aliquid item in se percepisse Rex citharœdus psal. 54. quod appellauit *pusillanimitatem spiritus, & tempestatem*; vel quod Paulus emphaticè vocat *anathema à Christo*. Sed plura sentiebat in se Rosa, quàm verba ista exprimerent, aiebat terrores illos horridasque imagines talem sibi inferre dolorem, qui millies & millies sufficeret cor, vitam, animam eripere, nec se illi sustinendo parem vmquam fuisse, nisi quatenus prodigiosè manu Omnipotentis conseruabatur in vita.

Nullus dolor huic sat similis.

Penetrat vsque ad diuisionē animæ & spiritus.

XIII. Fuit qui putarit Virginem deduci à Deo per scrupeas vias S. Antonij Eremitæ, quem inferni monstra formis terrificis agitarunt. Verùm is conflictus erat non afflictio, aut fuga roboris. Creditur S. Catarinam Senensem aliquando idem quod Rosa passam esse; de B. Henrico Susone id velut compertum tradit historia. Visa est ad huius doloris aliquam similitudinem aut proportionem assurgere ille quem à mordacissimis scrupulis patitur mens delicata, cum Cœlum sibi vectibus clausum, Deum hostiliter auersum, infernum rictu immani patulum suspicatur anima sibimet ad modicum derelicta.

Monomachia Sancti Antonij cum monstris inferni.

Scrupulosorum agones.

XIV. Denique viuaciùs hunc Rosæ cruciabilem horrorem effigiabat Christi in supremo Iudicio vultus asperatus, rugosus,

ſus, ipſiſque dæmonibus terribilis, dum cogitatur velut iam-iam dicturus horrendum illud: *Ite maledicti.* Has rugas, hoc tonitru, hunc pauorem videbatur ſibi experiri mœſtiſſima Roſa dum laborabat ſub hora ſui deliquij, adeo quòd poſt varias at numquam ſat æquas comparationes effari aliud non potuerit quàm: *dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.*

Vox Supremi Iudicis terrifica reo.

XV. Bis Virgo compulſa fuit edicere alteram huius ſcenę partem, videlicet qualis ſibi ſoleret poſt huiuſmodi nubila illuceſcere Phœbus; fieri enim non poſſe quin Sponſus ille dulciſſimus poſt tam diram ac tenebricoſam eclipſim inſigniter recreet ac reficiat animam tot doloribus humiliatam. Ad hæc verba maluiſſet Roſa aut tacere, aut arte ac diſſimulatione ſermonem aliò deflectere, ſed vt vidit euadere ſe non poſſe, ingenuè candidèque faſſa eſt (: quantùm per congruorum vocabulorum penuriam potuit) magnalia Dei, quæ ſibi poſt triſtiſſimam ærumnam obtingebant, vt in momento ſe videbat repoſitam in vnione qua exciderat aut ſe excidiſſe putarat, vt repentè ſentiebat totam ſimul animã colluceſcere, & inflammari. Verùm de his opportuniùs in deſcriptione examinis Cap. ſeq. Libeat interim mirari luſum Æternæ Sapientiæ, quæ ad fructum vberiorem electas animas ſic *mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.*

Poſt turbinem ineffabilis animi ſerenitas.

Luſus Æternæ Sapientiæ.

CAPVT XIV.

Roſa Doctorum examen ſubit, vt probetur ſpiritus an ex Deo ſit.

I. ARcanum Gratiæ lumẽ quod ab infantia Roſam deduxit per vias rectas, ſimul reflexu admirabili certitudinem indiderat attractus verè Diuini minimèque fallacis, ita quòd de rectitudine ſemitæ per quam ibat, ambigere non poſſet, quàmuis hanc parùm tritam, veriſque & obſcuris veſtigijs vix notabilem comperiſſet. Nec tamen (: quantùmuis certa) videri volebat quod erat, vnde humillima Roſæ modeſtia graue, ſerium, perque interualla repetitum examen ſuæ vocationis ac ſpiritus recuſare non præſumpſit. Inter alios præcipui quos bona ſors huic ſubtiliſſimæ explorationi deſtinauit, fuere Doctor Ioannes de Caſtillo & P. Magiſter F. Ioannes de Lorenzana, cui in Roſam totum vſque ad extrema competebat imperium. Fuere & alij, at ſuccedanei, quique ex occaſione dumtaxat pœnitentiæ Sacramentalis interdum ſtudioſiùs intimas eius animæ latebras peruestigarunt. De primis duobus pauca hic præfari neceſſum eſt, vt ex horum ſanctitate & peritia vis, pondus, fides maturrimi examinis aptiùs innoteſcat.

Roſa deductionis ſuæ certiſſima.

Sui ſpiritus examen non reſpuit.

Qui examinatores.

II. Doctor Ioannes de Caſtillo profeſſione Medicus, ſtatu quidem Secularis, at exercitio, conuerſatione, ſpiritu planè religioſus, Limæ illis diebus inter ſelectos Dei ſeruos eximius habebatur. Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudijs ad ſummum apicem eruditus, inſuper in omnia Metaphyſices adyta ſummo ingenij acumine penetrarat; celebris ob id in Scholis, in exedris, in doctiſſimorum virorum congreſſibus, præſertim quòd mira perſpicuitate conceptus ſublimes & altiſſimos proprijs terminis noſſet explicare. Vita ipſius merum erat pietatis ſpeculum, ita quòd putaretur virtutes ſingulas in gradu heroico poſſidere. Myſticam Theologiam non nudis ſpeculationibus ſed viuis, & altiſſimis experimentis exactè didicerat, ſuiſque principijs, regulis, & capitibus methodicè digeſtam egregiè calle-

Ioannes de Caſtillo myſticę Theologiæ peritiſſimus.

callebat adeo quòd famosus ille nostri Seculi Mystagogus Didacus Aluarez de Paz Societatis Iesu in Peruano tunc Regno Prouincialis, dum suas de Oratione, Meditatione, & Contemplatione præclarissimas lucubrationes apparabat, hunc Virum in plurimis sibi duxerit consulendum, ipsumque Tomo 3. de contemplatione Lib. 5. circa punctum *an voluntas ferri possit in incognitum*, suppresso nomine (: siquidem adhuc in viuis erat) allegat, velut Orationis ac solidæ perfectionis Magistrum, tantùmque digito intento non demonstrat. Scripsit iubente Didaco Aluarezio Castillus iste nobilem Tractatum de ijs, quæ sibi inter contemplationum radios ac lumina occurrerunt. Vidit librum & obstupuit Myrẽsis Archiepiscopus talium rerum scientissimus, illumque transscribi fecit Romano Pontifici coram offerendum. Hæc de Doctore Castillo tunc superstite post alios iuridicè testatus est Petrus de Ortega Sotomayor ex Limensi Cathedratico primario, Canonico Magistrali, Archidiacono Metropolitano, & S. Officij consultore Episcopus Truxilli, dein Arequipæ, denique Cusci. Addebat, plura de hoc Viro ac grandiora se prolaturum in publicum, dummodo vltra illum superuiuere contingat. Nunc (: sed breuiùs) ad alterum.

Laudatus a P: Didaco de Paz Scriptore Soc. Iesu.

Librum edit de illustrationum supernarum experimentis.

Celebre de illo Viri magni testimonium.

III. P. Magister F. Ioannes de Lorenzana Ord. Præd. testante eodem Illustriss. Præsule eumdem cum D. Castillo, aut saltim non inferiorem obtinebat sanctimoniæ publicæq; opinionis gradum. Eminebant in ipso certabantque de primatu excelsa vitæ perfectio & Scholasticæ Theologiæ profunditas: concurrebant ardens contemplandi studium & actiua gubernandi dexteritas, vis perspicacis ingenij & alta iudicij maturitas, fuga seculi, & vsus negotiorum. Hinc successiuè tot siue Scholarum siue Cœnobiorum ac Prouinciarum in eum confluxerant Præfecturæ, nam Regiæ Vniuersitatis Limanæ matutinus erat Cathedraticus Theologiæ, quam primus inuexit Regno, & in Peruano S. Inquisitionis tribunali censor quem vocant *Qualificatorem*; item Conuentus Limensis Prior, deinde Prouinciæ S. Io. Baptistæ Vicarius Generalis, tandem Prouincialis & Visitator, æquè in rebus tum Ecclesiæ tum Reipublicæ versatissimus, omni hominum ordini, summis, medijs, infimis charus & admirandus, ad quem velut ad commune vrbis oraculum ardua quæque negotia certatim adferebantur ex cõsilijs Antistitum, ex Regio *Audientiæ* (: vt vocant) Senatu, ex Consi-

Ioannes de Lorenzana quis & qualis.

Claret tũ literis tũ Præfecturis.

Celebris ob Donũ Consilij.

Consistorijs, Iudicijs, Dicasterijs, ex interno extimoque foro, quia donum Consilij mirificè in tanto Viro eminere sentiebant omnes.

IV. Porrò quantus fuerit Lorenzana in ea quam iure *Scientiam Sanctorum* dixeris mystica Theosophia, quantus in sapore & experimento rerum cœlestium, quàm exercitatus in altissimæ contemplationis disciplina, quàm oculatus ac Lynceus in prudenti spirituum discretione, hoc vnum (si reliqua deessent) indicio sufficeret, quòd Diuina prouidentia singulariter ipsi spiritum Rosæ commiserit gubernandum.

Quantus in Theologia mystica.

V. Vnà hic commemorandi forent laude non multùm impari P. Didacus Martinez Societatis Iesu, Patres Magistri F. Alphonsus Velasquez, F. Ludouicus de Bilbao, & F. Ioannes Perez, at primorum duorum examen tot ac tanta complectitur, vt ex reliquis nil addi possit. Modò ad rem pressiùs.

Alij Virginis succedanei Examinatores.

VI. Assedere primo examini honestatis gratia Rosæ Mater & D. Maria de Vsategui. Coram his D. Castillus integro trium horarum spatio Virginem in domestico cellulæ horto velut indagine cinctam per varias quæstiones distinuit, animæque venis diligentissimè pertentatis omnia sana ac salua inuenit. Primò interrogata, à quanto tempore cœlestes stimulos & trãquillum orationis spiritum concepisset, respondit simplicissimè, temporis quidem se non meminisse, eò quòd à prima pueritia se repererit fundendis precatiunculis apprimè deditam, ac tota mente ad serios meditandi conatus erectam, vt nihil occurrere sibi dulcius potuerit, quàm Deo loqui, Deum cogitare, inhiare supernis. Non puduit fateri ista coram Matre, quæ quàm vera diceret, nimis conscia erat.

Trium horarũ examen accuratum.

Prima quæstio Doctoris.

Rosæ orandi studium penè coæuũ.

VII. Interrogata de successiuis in hoc studio profectibus, an pari semper applicatione animi, facilitate, collectione, ac imperturbatæ mentis serenitate orauerit? respondit, vsque ad duodecimum circiter ætatis annum se varia inter orandum temperie, difficultatum subinde vicissitudines percepisse at breues, & modicas, plerùmque animo libero & quietissimo perrexisse in Deum, at interdum quoque cum imbecillitate corpusculi, cum somnolentia, & distractionibus luctandum fuisse, verùm ab illo tempore in posterum expeditiùs se orare, eò quòd inter initia sentiret mirabiliter à Deo introrsum attrahi totam animam cum singulis potentijs, gustuque indicibili

Secunda quæstio.

Rosa duodennis orat sine distractionis periculo.

Diuino attractu mens eius tota in attentione figitur.

intellectum, voluntatem, memoriam Diuinæ pulchritudini sic intus affigi, vt nec sponte se phantasmatũ intercursu diuellere, nec occupationibus sensuum externorum distrahi possit à cõplexu & admiratione præsentis in anima dulcissimi Numinis.

VIII. Instabat Doctor, an non suæ Imaginatiuæ vim aliquam adhiberet, dum reliquæ internæ potentiæ sic inhęrebant sapori Dei, an & quo quantoue connixu, labore, fulcro in hac suspensione dulcissima se sustineret? negauit Rosa laborem, vim, connixum adesse à parte sua, vltro ad tractum quasi magneticum potentias sequi & suo centro obuerti cum suauitate, cuius vel vnica stilla infiniti Oceani amaritudinem corrigeret ac dulcoraret; Inde notabiliter in cor suum descendere calores & æstus periucundos, quos explicare non possit. Hinc radiare continuò in animæ suæ fundo præsentiam serenæ, amabilis, propitiæ Diuinitatis, hanc certò se illic deprehendere, nec alio oblectari se posse, quàm quòd experimentali hac certitudine sentiret intra se Deum.

Absque vllo Imaginatiuæ labore aut obnixu.

Sẽsus Dei in fundo animæ.

IX. Quæsiuit Doctor, num fortè de mystica theoria libros lectitaret, qui aut methodum artemq; huius introuersionis docuissent, aut saltim illius naturam, signa, proprietates effectus dissertando exponerent? Negauit inops Virgo talium librorũ sibi adesse copiam aut vsum, in his solam experientiã & praxim sibi fuisse pro codice, ideoq; se intima animi suisensa vti vellet apposite efferre non posse, ruditati suæ ne nomen quidem si quod proprium extaret huius intuitiuæ orationis, innotuisse.

Sine libris docetur interna Vnctione.

X. Tunc Castillus, vt erat in hac Schola versatissimus, aggressus est proprijs notionibus explicare Virgini secretam huius excelsæ illustrationis hieraticam, nempe asceticæ disciplinæ Magistris hoc genus contemplandi *orationem vnionis* dici, hìc intellectum formari specie non adquisita sed supernè infusa, neque conuerti ad corporea phantasmata sed imaginibus vacuum spiritualis formæ luminosa puritate imprægnari: hìc Deum immediato intimoque illapsu implere sacrarium fidelis animæ, hìc partem affectiuam increati Amoris decidua flamma igniri & candescere, atque in palato voluntatis felicem beatæ fruitionis prægustum inchoari. Plura addidit ex mysticæ Theologiæ aphorismis, de simplificatione cordis, de cynosura purificatæ intentionis, de nuditate affectuum, de indifferentia resignata, de arcanis introductionibus, de abysso luminis, de so-

Notio & vis orationis Vnitiuæ.

Placet prodestq; Rosęmysticus nomenclator.

de sopore omnis discursus in intuitu cœlestium, de fonte vitæ, de alijs, quæ Rosæ talium capaci & placuere supra modum, & profuere deinceps vt suis Confessarijs ex hoc vocabulario se nosset clariùs atque significantiùs explicare.

XI. Perrexit Doctor, & studiosè in viam purgatiuam resiliens quæsiuit, quàm diu, quibus industrijs, quanto sudore pugnandum sibi fuerit in prauas animi inclinationes, in vitiorum armata latibula, in morbos indomitarum effrœniumque passionum? Respondit, vix se meminisse talium certaminum, ab infantia se magno Dei fauore sensisse faciles & summè connaturales propensiones in virtutem absque vllo tumultu passionum, à prima Dei notitia repletam se fuisse timore & horrore peccati, & si quis motus indeliberatus aduersùs rationem nitebatur assurgere, repente ex apprehensione Diuinæ præsentiæ citra conflictum euanuisse.

Viā purgatiuam transilierat, à teneris illuminatiuā assecuta.

XII. Interrogata, quid solatij captaret ex creaturis, si contingeret animum contemplandi labore fessum nonnihil remittere, aut per eutrapeliam tantisper relaxare? Respondit, nulla re creata recreari se posse, in hoc solo & vnico omne suũ oblectamentum consistere quòd tanta cum certitudine sentiebat in anima sua præsentem Deum, quem si vel ad momentum è conspectu perderet, id sibi acerbius omni iactura, dirius omni gehenna videri. Petijt Doctor, quandoquidem in eum gradum nonnisi per tribulos & spineta ascenditur, num saltim aliundè persecutiones & ærumnas passa fuerit? annuit Virgo, sed ob reuerentiam Matris illic præsentis ad singula non descẽdit, contenta dixisse generatim, se à domesticis ob vitæ singularitatem varias molestias, insultus, vexationes tolerasse.

Tertium quæsitum Doctoris.

Totũ solatium à Deo, cor Virginis insidente.

Crux vnica scala ad apicẽ vnionis.

XIII. Verùm ab ijs opportuna digressione incidit in horrendas illas visiones, figuras, pauores, de quibus Cap. superiori actum est, magnisque precibus exorauit Doctorem, vt sibi illius desolationis ac supplicij naturam, originem, critiria, propriamque interpretationem doctè elucidaret. Non recusauit Castillus edicere quæ sentiebat: quando (: inquit) in illa obtenebratione videbaris tibi exitum finemque sperare posse, scito animarum in carcere Purgatorij lugentium dilationes pœnosissimas te delibasse; at quando nulla tibi affulgebat spes euadendi, & quidam æternitatis fumus peruadebat horroris caliginem, ipsissimus Inferni typus erat. His pœnis eruditur anima ad sui

Digressio ad internas Virginis desolationes.

notitiam, dum in lucis ac tenebrarum viciſſitudine diſcit experimento ſui nihili, quid à ſeipſa, quid à Deo habeat, quidque inter illa & iſta interſit. Huius antibari moleſtiſſimo pondere tenetur ſpiritus in ſuo æquilibrio, ne extollatur in donis Altiſſimi. Eclipſis hæc docet æſtimare Diuinæ familiaritatis præſtantiam & dignationem purè gratuitam, ſufflaminat Timoris donum. Hac fornace probatur aurum, niteſcit charitas, loricatur maſcula virtute robuſtus amor, aſſueſcens diligere non tam delicias Dei quàm Deum. Memini (: inquit) de nonnullis præcipuis ac Sanctiſſimis Dei amicis (: quorum nomina publicis Eccleſiæ tabulis adſcripta ſunt) eadem legiſſe quæ de te commemoras; neque defuere ex ijs qui rogarint Dominum, vt ab huius terroris atroci tormento ipſos demum immunes vellet, libenter ſe quoduis aliud pœnarum genus ſubituros. Denique huc reſpexiſſe Dauidem cum gemeret: *dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? anima mea ſicut paſſer ſolitarius in tecto; ad nihilum redactus ſum, & neſciui, &c.*

Virtus in hac ſpiritus infirmitate mirè perficitur.

Probatur ab exemplis.

Dauid in ſpiritus ariditate gemuit.

XIV. His curſim explicatis viciſſim rogauit Virginem Doctor, poſt illas inferni tenebras & horrores qualiter ſibi fuerit? Hìc Roſa exterrita, quaſi colubrum preſſiſſet pede reſiliuit, expalluit, obmutuit, probè conſcia ſi reſpondendum ſit, quanta & rerum copia & verborum inopia ſibi foret laborandum. Vrgebat interim Doctor, inſtabat bis, ter, at nihil elicuit. Tandem ſeueriùs attracto ſupercilio, aduertito (: inquit) ò Roſa hìc tergiuerſandi ac ſilendi locum non eſſe; tua res agitur; ſi quid diſſimulaueris ſi quid celaueris in examine, Dei beneficiū negaſti; ni totum quod exquiro dixeris, nec ego te nec tu me quantum ſat eſt intelliges; & figurarum quas partim explicui partim explicaturus ſum ænigmata ſenſumque integrè non aſſequeris.

Quarta interrogatio.

Trepidatio Roſæ in ſolatijs Diuinis edicendis.

XV. Paruit humilis Roſa, cui metus & pudor totum verecundo rubore vultum accenderat, veniamque præfata ſi quod paradoxum rudi, & incautæ excideret, ſic orſa eſt: dum in ima caliginoſę derelictionis voragine abſorptam me puto & lugeo, en repente in ipſo priſtinæ vnionis meridie velut in Sponſi brachijs me deprehendo, reſtituor quaſi numquam excidiſſem, ſentio auidos liberrimi amoris impetus, vt cum rapidi amnes diſruptis obicibus non fluendo ſed ruendo ſeſe euoluunt per cataractam; aſpirat mox gratiarum placidus Auſter

Conatur obedire ac dicere quæ verbis efferri nequeūt.

& fluunt

& fluunt aromata; immergitur anima Diuinæ bonitatis immenso pelago, & metamorphosi ineffabili à se desciscens transformatur in Dilectum, fitque vnum cum illo.

XVI. Iussa vlteriùs dicere, nouo pudore hæsit, rubuit, titubauit, attamen subiecit: inter hos fauores arctissimæ Vnionis se sibi videri immobiliter radicatam in Deo, securam in eius amicitia, confirmatam in gratia, sentire donum quoddam inexplicabile, fundamentale, solidum, quo reputabat se impeccabilem, vt ille qui fidenter aiebat: *quis nos separabit à charitate Christi? certus sum, quia neque mors &c.* Verùm tamen hìc protestabatur Virgo, numquam se vlli mortalium hoc dicere ausam, & ne nunc quidem id dicturam fuisse, nisi coegisset rigor præsentis examinis, & si fortè errasset in phrasi locutionis, quam necessitas omnia efferendi expresserat, censuram correctionis demissè flagitabat.

Rarum & singulare Donum; Vnionis firmatæ.

XVII. Laudauit simplicem obedientis Rosæ candorem Doctor, præcepitque ne trepidaret, nihil hactenus erratum esse, tantùm ad reliqua procederet. Processit Rosa dixitque voce humili ac intercisa: plerùmque post illas horrendas tenebras conspicuè sibi ostendi Humanitatem Christi nunc virili nunc infantili aut puerili facie blandam, formosam, affabilem; sæpius & Virginem Matrem decoram, amabilem, dulciterque familiarem. Interrogata de modo & qualitate visionis, imaginaria sit an intellectualis, diuturna an momentanea, facie ad faciem an obliquè per transparitiones? Respondit, propria illa differentium visionum nomina sibi quidem adhuc ignota esse, at gloriosam Christi humanitatem exhiberi sibi in transitu quodam vicino & claro, sicut cum fulgidum aliquod sidus morosо tractu procurrit in cœlo; nec totam illius videri staturam sed solo vultu, & pectore-tenus. Attamen maiestatem Deiparæ paulò diutiùs obtutui suo solitam indulgeri.

Cogitur narrare cœlicas Visiones.

Apparitio Christi sed transitoria.

Apparitio Deiparæ paulò diuturnior.

XVIII. Vnde subintulit Castillus imaginarias esse visiones, petijtque vlteriùs qua igitur forma apprehenderet Diuinitatis præsentiam? Laborabat hìc Rosa vt verba reperiret idonea, sed tandem per solos terminos remotionis, eminentiæ, & causalitatis vtcumque se explicuit, insinuans lumen esse absque figura, mensura, fine (: vnde patuit ex ea parte visionem purè intellectualem esse) incomprehensum & omnia comprehendens, subtile, stabile, mundissimum, summè multiplex summèque

Diuinitas lumen cuius centrũ vbique; periphería nullibi.

mèque vnum, summè distans & summè propinquum, intimū & ambiens, nobile, excelsum & nulli prorsus creaturæ vel tenuiter comparabile, quodque magis in vitalium quarumdam effluxionū mirandis & immediatis effectibus quàm in suamet substantia deprehendi possit ab anima. Sed quinam hi effectus? teneritudo (: inquit) robusti gaudij super omne gaudium imaginabile, cognatio filiationis Diuinæ, interior renouatio vetustatis in ipsa animæ essentia, impletio sinuum voluntatis, vita & alacritas omnium affectuum, firma, sancta, lepida, & demum vndequaque ineffabilis.

Increati luminis arcana profluuia.

Mirè afficiunt cum totā peruadunt animam.

XIX. Videbat sibi Doctor satisfactum in eo quod maximè scrutabatur, haud ignarus, in materia Vnionis quò plura dicuntur minus dici. Vnde ad faciliora effatu prudenter digrediens inquisiuit de exercitijs mortificationis ac pœnitentiæ. Rosa, quòd putaret in hoc genere se pauca & admodum vulgaria præstare, obiter de suis ieiunijs, cilicijs, disciplinis, & reliquis austeritatibus nonnulla edixit absente Matre, quòdque in his non suo sed Confessariorum arbitratu modum ac mensuram constituisset. Denique post multa vltro citroque de sui diffidentia, de ardore fidei, de securitate spei, de stimulis superni amoris ventilata & sagacissimè explorata conclusit Doctor sinceram ac tutam esse viam qua Virgo ambulabat, nullam hìc subesse vaferrimi dæmonis imposturam, tales affectus, effectus, lumina ab illusione aut principe tenebrarum nequaquam esse. Pluries deinde Virginem non tàm examinaturus quàm collaturus fidenter conuenit, noua semper inueniens quæ miraretur & approbaret.

Quinta interrogatio.

Examinatoris de Rosa iudicium.

XX. Idem Patri Magistro de Lorenzana sensus fuit, postquam crebriori & per partes interciso examine spiritum Virginis diligentissimè explorauit. Prolixum foret singula membratim persequi, vnum hoc superioribus addidisse sufficiat, quòd vbi Rosam in via illuminatiua probare cœpit, adstupuit responsis puellæ simplicis atque illiteratæ, cum de arcano SS. Trinitatis mysterio, de hypostatica Verbi vnione, de Sacramento Altaris, de gloria Beatorum, de libro vitæ ac prædestinationis, de natura Gratiæ, alijsque Fidei ac Theosophiæ secretis interrogata promebat axiomata tam profunda ac solida, conceptus tam acutos ac sublimes, sententias tam perspicuas, breues, fœcundas, ac ponderosas, verba tam propria, apposita,

Alter Examinator.

ROSÆ sublimis Theologia à Patre luminum.

sita, clara, succincta, vt alijs examinator non dubitarit fateri ingenuè, numquam se in tam luminosum & perspicax ingenium incidisse, laudabatque Patrem luminum, qui tanta sapientibus ac prudentibus abscondita, humilibus, paruulis, indoctis reuelabat.

XXI. Idem hoc deinceps admiratus est in methodo confitendi qua Rosa utebatur, ea sermonis tum perspicuitate tum proprietate ac circumspectione, vt sibi videretur Lorenzana non fœminam audire sed annosum vtriusque Theologiæ professorem, tanta erat verborum proportio, grauitas, ac mensura, sine parergo, sine circuitu, sine confusione ac superfluitate. Hinc fuit, quòd vocatus ad excipiendam Virginis confessionem, dicente Subsacrista, in templo ipsum expectari à *Rosula* seu *Rosella*, velut irreuerenter locutum increpuit, tibi (: inquit) Rosula videtur quæ coram Deo Rosa est ac grandis quidem? veniet dies, qua vniuersi intelligent, quàm sit eximiè alta, quàm magna & spectabilis hæc Rosa.

Sensa animi doctissimè explicat Cōfessori.

Non Rosula sed grandis Rosa.

XXII. Lorenzanæ suppar Magister & primarius Cathedraticus F. Ludouicus de Bilbao notauit eadem in Rosa dum eius confessiones excipiebat; nempe vario & ipse examine scrutabatur Virginis spiritum. Fassus est postea, multoties inter arcana illius fori alloquia se obmutuisse ad profunditatem & eruditionem solidorum discursuum, quibus Rosa promptè, facillimè, & ex ordine satisfaciebat quæstionibus præarduis & abstrusis, ac subitò se agnouisse spiritum altiorem qui in Virgine loquebatur. Sanè apud omnes (quotquot tunc Limæ viuebant) multorum opinione sanctimoniæ & perfectionis famæ celebres ea sensim inualuerat constantissima opinio, Rosam spiritu Dei agere & agi, Dono sapientiæ abundare, scientia cœlitus infusa gubernari. Hinc Limensis quædam Matrona Sanctitatis opinione tunc admodum celebris tanti Rosam faciebat, vt sicubi cum ea concurrisset, nonnisi flexis humi genibus exciperet repugnantem honorari; & si quà transeuntem obseruasset, gestiebat animo illicos oculosque affricare vbi Rosa vestigium fixerat; & si ad absentem litterulæ sibi formandæ erant, has nudo solo ingeniculata scribebat.

Ludouicus de Bilbao stupet in Virginis examine.

Rosa Sapientiæ ac Scientiæ Donis micat.

XXIII. Præcipuè verò Castillus & Lorenzana de Rosæ vijs perfectissimis aliquoties mutua collatione instituta concordes mirabantur hæc duo singularissima: primum, quòd breuissimo

com-

Duo præcipuè Examinatores mirantur in Rosa.

compendio & quasi transsultu gradum illuminatiuum mox & vnitiuum possederat; absque eo quòd gradum purgatiuum vix obiter attigisset, quia nimirum ab infantia benedictionibus dulcedinis præuentam ij semper comitati erant purissimi affectus, in quibus nil terrenum sorduerat operosiùs depurgandum. Alterum, quòd in illo horrendo solisque inexpertis parùm formidabili obtenebrationum tormento ea fuerit Rosæ fortitudo, animositas, constantia, vt fragilis virgo non solùm ferendo esset; verùm etiam præmissa spontanea resignatione quasi cum Deo certaret, tristiùsne ille affligere an illa affligi vellet, dummodò per omnia Diuino beneplacito victoria ac triumphus remaneret. Cordatissima est, planèque extrema hæc sui ab negatio, sed simul difficillima taliter amanti, cui felicius videtur non esse, quàm non amare. Immarcescibilem fateri oportet Rosam, quam eiuscemodi spineta non suffocant.

Grande animi robur in iuuencula.

CAPVT XV.

Rosa cum Christo, Deipara, & B. Catarina Senensi familiariter, iucundè, assiduè deliciatur.

Vbicùmq; legit Iesū, inardescit Rosa.

I. ANIMO cui amarescunt terrena, dulcescunt cœlestia seseque vltro insinuant. Hoc Rosæ obtigit, cui tota conuersatio in cœlis erat. Legebat quandoque interdiu libellos spirituales, & seligebat studiosè capitula præsenti affectui temporique magis accommodata; immorabatur tantisper lineolis vbicumque prædulce *Iesu* nomen occurrisset, nam è singulis horum characterum apicibus quasi igniculos & amorosos aculeos in corde sentiebat. Neque hoc satis: ipsemet paruus *Iesulus* digiti statura (vt videbatur) vix procerior sæpe apparebat amāti Rosæ in eadē pagellæ planitie: stabat pusillus ac nudus amor, mox inambulabat passu leuissimo, ac interim obtutu serenulo, tenero, suaui abblandiebatur Virgini, ingerebat se, vtpotè *Verbum* attenta Rosæ lectione dignissimū, in quo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei.

Legentis codici inambulat paruulus Iesus.

II. Familiarius est quod sequitur. Dum Rosa nendo occupabatur in telę consutura, en iterum Dilectum *Iesulum* nentis puluillo infantiliter & quietissimè insidentem, illic nutibus taciturnis loquebatur ad cor Dilectæ, huic arridebat, huic protendebat breues vlnas velut amplexum offerens, hanc ardentibus ocellis iugiter adurebat, omniq; gestu, motu, flexu protestabatur amorem. Quis porrò nutrici inter hæc solatia fuerit sensus lætitiæ, æstiment quibus vacat; plùs miror, tunc Rosæ oculos superfuisse, quibus filum, acum, telam videret. Et videbat tamen, quia sic mulcebāt hi fauores, vt ab exteriore opere attentionem nec totā auocarent, nec partem exdiuiderēt.

Nentis Rosæ puluillo conspicuus insidet.

III. Has cum *Iesulo* Sponso delicias Virgini frequentes obtigisse, imò fortasse quotidianas argumento est, quòd si ille tardabat interdum nec solito more adesset, Rosa querulis at submissis vocibus quasi secum perplexè sermocinans ita lamētabatur: *Hora est, & nondum approperat? duodecima sonuit & nondum adest? me infelicem, quæ illo nunc careo! felicem animam quæ penes se illum nunc distinet!* cumque Amor poesim doceat, Rosa pariter has querelas familiari metro illigarat, hoc ferè sensu:

Querimonia Rosæ tardante Sponso.

> Heu mihi! Dilectum quis detinet? Ecce, moratur:
> Hora duodecima est, nec tamen ille venit.
> Langueo, deficiunt oculi; præcordia frigent,
> Implexas alibi dum trahit ille moras.

IV. Accidit Rosam infirmari ex dolore gutturis, & en *totus ille Desiderabilis*, cuius *guttur suauissimum* prædicatur Cant. 5. apparet Virgini, inuitat ad ludum, vtrimque victoriæ fructus relinquitur victoris arbitrio. Confestim iacitur alea, fauet sors Virgini, lucratur, vincit; nec mora, fructum exigit, memor fortasse ex Canticis quod ait Sponsa: *Fructus eius dulcis gutturi meo*. Quid multa? dolores sui gutturis mitigari poscit infirma, & impetrat. Verùm Diuinus collusor quasi iacturam non ferens rediit, ludum instaurauit, iactuque feliciori victor euasit. Victoriæ præmium fuit Rosæ patientia, adauctis repente doloribus qui totam ei noctem fecere insomnem.

Ludus Sponsi & Rosæ.

Vincit Rosa, & quo lucro!

Vincitur Rosa, ceditque lucrum.

V. At Virgini placuit secum disquirere, primo an secundo lusu plus lucri fecisset, cum longè ardētiùs faueret Spōso quàm

Vt affecta post lusũ.

ſibimet, vnde tam victam eſſe quàm viciſſe par gaudium fuit miranti Æternam Sapientiam, quæ ludens in orbe terrarum protestatur delicias ſuas eſſe cum filijs hominum. Mater aduertens Filiæ decumbenti priſtinos redijſſe dolores, & quidem cum auctario, ſuſpicata periculum extimuit. Sed cordata Filia vt metum eximeret, blandè modeſtèque detexit ſecretum, nempe merum hunc Sponſi ludum eſſe; dumque verbis humillimis enarrat ſucceſſum, viſa eſt (: vt quondam Stephanus) vultu prorſus Angelico aliquamdiu radiare.

Radiat vultu Angelico.

V. Alia vice cum diutiùs ac ferè ad mediam vſque noctem in ſolitaria horti cellula ſubſtitiſſet Roſa, inuaſit fatigatam ſubitaneus languor ac virium defectio; ſperabat tranſitoriam fore debilitatem, ſed durabat vltra conſuetam periodum. Sentiebat ægra incerti mali certa incrementa, ſed ſera nox erat, qua nec Medicum aduocare nec domeſticorũ vllum ad opem importunè lubebat accerſere: agnoſcebat electuario vel ſorbitiuncula ſe indigere qua vtcumque ſtomacho ſuccurreret ac vires inſtauraret, at Sabbathũ erat ac manè proximo ad S. Synaxim acceſſura cauebat ieiunio, ſi fortè medietas noctis iam præterierat. Quoquò ſe verteret, præuidebat aut virium defectu, aut ſumptione cuiuſcumque fomenti impeditam iri ne poſtridie S. Communione frui liceret. Quid hìc remedij inter ſaxum & ſacrum? confugit Roſa familiari fiducia ad cœleſtem Sponſum *adiutorem in opportunitatibus*, huius pharmacopeiæ ſe commendat, medicinam corroboratiuam petit, impetrat, nec aliunde quàm ex illo pretioſo myrothecio vulnerati lateris vbi quondam S. Catarina Senenſis auidè ſuxerat. Hanc nectaream ſanguinis & aquæ mammillam non ori ſed cordi Virginis benignè applicuit, hìc illa debilitati ſuæ pharmacum, hìc vitalem ſuccum inuenit & traxit.

Syncope ex ſtomachi deliquio.

Roſa ad ſugẽdum Chriſti latus admiſſa vires recuperat.

VI Porrò viſionem neque caſſam aut inanem fuiſſe, nec purè imaginariam, probauit effectus, nam Roſa mox conualuit, redierunt corpuſculo vires, agilitas, robur quo poſtridie Templum adijt, panem Angelorum manducauit, ſatur, vegeta, ſana domum repetijt, vtique experta, quàm ſint Sponſi vbera meliora vino, quàm fragrantia vnguentis optimis. Magna profectò Roſæ dignitas, Matris ac Magiſtræ Senenſis fuiſſe non modò Filiam ac diſcipulam ſed & collactaneam. Verùm ad alia.

Ex tali lautitie quis non conualeſceret?

Roſa S. Catarinæ Senen. facta collactanea.

VII. In

VII. In domo cuiusdam illustris fœminæ Rosa de more post sancta colloquia veniam petijt secedendi tantisper ad orationem. Matrona honoris gratia secedenti comitem adiunxit septennem puellam è mancipio domi suæ natam. Hæc vbi Rosam meditationi implicatam reliquerat, clam sese proripuit ad matrem suam in vicino conclaui laborantem: inde post horæ spatium erepsit visura num Rosa ab oratione surrexisset. Et ecce vidit iuxta Virginem puerulum *Iesum* amictu polymito cærulei purpureique coloris decentissimè tunicatum, quem vt conspexit fulgida claritate circumdatum ac radijs vndique coruscantem, non ausa conuersationem irrumpere, substitit eminus, contenta permissione dulcissimi spectaculi, cuius arcana pro ætate nondum capiebat, nec ante quàm Rosa migrasset è viuis rem detexit.

Oranti Virgini puerulus Iesus colludit affabilis.

VIII. Idem in ædibus D. Isabellæ Mexia contigisse quæ vidit retulit Filia Isabellæ, nimirum procul inter secretiores ædiũ porticus ambulabat Rosa, & cum ipsa *Iesus* in statura octennis pueri sed amictus iam lumine sicut vestimento; spatiabantur ambo pariter consertis manibus, gressu gestuque tenerè amantium; miscebant secretissima inuicem colloquia, hærebant in mutuis vultibus tamquam rerum aliarum aut obliti aut incurij; sed paruuli incessus grauior erat quàm puerorum esse soleat, maiestas inerat, & quàcumque fixisset pedem subitaneo lumine resplendebat pauimentum.

Idem cũ sua Rosa familiaris deambulat.

IX. Zelus vt intensi amoris præco simul & explorator est, ita vel ipsummet Sponsum cœlestem curis solicitat, riualem non patitur, ne flosculum quidem. Rosa nomine florebat & opere, nam vt altaribus nulla anni parte deessent flores diligentissimè procurabat, discretis hunc in vsum areolis, quarum vni Basilicum (: plures Ozimum dicunt) implantarat. Hunc fortè colebat studiosiùs, quòd odore ac nomine Regius *Regi seculorum immortali & inuisibili* aptiùs cõueniret in tributum. Respondebat planta cultricis industriæ, & quò prodibat lætior magis lætificabat. Verùm vt breue est à floribus gaudium, Rosa mane quodam inuenit Basilicum suum non modò siccum ac marcidum, sed radicitus euulsum ac mortuum. Cadaueri adgemuit Rosa & abijt, sed occurrit eunti visibilis Christus blandèque affatus Virginem, quid doles? inquit, an non ego *Flos campi* melior tibi sum omni Basilico totoque floreto Paradisi?

Spõsi cœlestis zelus tenerrimus.

Rosa plãtulam affectuosiùs excolit.

Hãc Spõsus eradicat, vt solus ametur.

disti? & vt scias me tuum esse Basilicum, ego alterum illum his manibus eradicaui, fregi, proieci. Flos es, ac florem amas? ecce me. Didicit Rosa vel ad zelotypiam vsque amari se à Sponso, & pro tantæ gratiæ crebriori experimento facile exposuisset in prædam quidquid florum sibi residuum erat. Vtiq; plenam hæc fidem faciunt illi religiosissimæ cuiusdam mulieris extaticæ visioni, cui in raptu protestatus est Christus, se Rosam gestare in intimo sui Diuini cordis penetrali, cum sciret, vicissim in eius virgineo corculo se solum tranquillissimè habitare.

Mutuus cordium incolatus.

X. Porrò quàm affabili, serena, frequenti apparitione Rosam suam dignata fuerit Augustissima cœlorum Imperatrix, sat inde conijcere fas erit, quòd ab vndecimo suæ ætatis anno ad extremum vsque non defuerit vmquam Virgini hoc pretiosum assiduæ familiaritatis solatium. In Rosariano Beatissimæ Virginis Sacello Rosa planè domestica euaserat, illic totos hærebat dies, illic Ordinis sui habitum, illic *Iesulum* Sponsum nacta diuelli à loco non poterat. Ibi altaris ornandi curam, ibi totius nitoris œconomiam sibi deuotè assumpserat, ibi quotidianum sibi cum Deipara ex sedulo ministerio commercium erat ac mutua conuersatio.

Deipara Virgo Rosæ familiaris.

Sacellum Rosarij centrum ac deliciũ Rosæ.

XI. At vicissim Angelorum Regina famulam suam eo honore dignata est vt ferè officia Cubiculariæ ipsi exhibuerit, manè Virginem excitando à somno. Tanti fauoris occasio hæc fuit: Rosam à multo tempore continuis integrisque noctibus adeo destituerat necessarius somnus, vt valetudini suæ non parùm fuerit timendum si medelam respueret. Hinc opus fuit Confessariorum imperio, qui Virgini præcepere vespertinum lactucæ ac soporiferorum seminum vsum, deinde & temporis spatium quo dormiret, horam qua mane surgeret præscripserunt. Conabatur obedire infirma, sed præualente serotinarum vigiliarum assuetudine non obediebat somnus seu veniendum seu abeundum esset. Præsertim manè dum instabat surgendi hora, incipiebant sopotifera modicum operari, somnumque lentissimum vi attrahebant in cerebrum. Cruciabatur ingenti scrupulo Rosa, quòd exactè ad præscriptam horam euigilare non poterat vt summè cupiebat. Ergo luctam & afflictionem suam Deiparæ ceu veræ *Stellæ matutinæ* questa est vt subueniret. Subuenit illa, imò & venit: siquidem exinde, vbi immi-

Dei Mater officiosa erga Rosam.

nuisset

nuisset surgendi hora, en in puncto aderat conspicua Dei Mater, & voce melliflua compellabat sopitam Rosam: *Surge ad orationem Filia, surge, nam instat hora.* Sic placidè experrecta videbat cominus & (: vti fassa est) facie ad faciem illud gloriæ sidus gratiosum, illam frontem decora maiestate plenissimam, illum gloriæ & amœnitatis paradisum, agnoscebat vocem, venerabatur præsentiam tacitè secum disquirens: *Vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei veniat ad me?* ò gratum surgendi tintinnabulum!

Solita diluculo excitare dormientem.

XII. Semel euenit, quòd veniente Domina profundiùs dormiebat Rosa: primus hic somnus erat ac nonnisi paulò ante cœperat. Excitata Virgo respondit: surgo Domina, nunc surgo; conseditq; erecta in lectulo, sed prægrauante somni pondere, oculisque caligantibus recidit misera in ceruical. Accessit denuo Augustissima excitatrix, & (: quod ante non consueuerat) protensa niuea manu pulsauit latus dormientis, agitauit familiarissimo attractu resupinum corpusculum, iterumque ait: *Surge Filiola, ne pigriteris, rogasti me, & ecce ad solitas preces te voco; Surge inquam filiola mea, surge, iam hora sonuit.* Longè suauius erat Rosæ filiolam se vocari à tali Matre quàm Rosam. Cessit huius compellationis dulcedini somnus, at simul discessit suauissima excitatrix, nam vt Rosa diduxit graues palpebras, vt respexit, agnouit Deiparam sed à tergo, iam enim suspensis vestigijs abire cœperat, velut perfuncta amico officio. Heu tantilla soporis indulgentia quantam subinde iacturam infert! quàm doluit Rosa, pro illa vice Maternum sibi vultum ereptum fuisse dum cunctabatur! empyrei fauores delicati sunt, ni promptè strinxeris, elabuntur.

Fauor cœlestis cunctatione disparet.

XIII. Ex quo semel à Christo (: vt compertum postea) B. Catarina Senensis cœlitùs Rosæ missa ac data fuit Magistra, frequenter hæc charam Discipulam visibiliter conuenit in terris, præsertim dum occupabatur in perlegenda Seraphicæ Magistræ Regula, quam sibi è Cusco (: procurante Fr. Ioanne Miguel Ord. Prædicatorum Religioso laico) transmitti demum impetrarat. Mutua harum Virginum conuersatio tam amica & crebra fuit, vt sicut Moysi post longam cum Deo in Monte confabulationem remansere in vultu luminum vestigia, ita viderentur ex vultu B. Catarinæ in faciem Rosæ transijsse lumina, quæ hanc illi per aliqua oris lineamenta propemodum assimilarint.

S. Cat. Senensis Rosam inuisit creberrimè.

Oris sui aliqua ei lineamenta imprimit.

larint.

larint. Hinc apud Limenses suos Rosa vulgariter altera Catarina Senensis appellabatur, præcipuè ab obitu, quando in mortuali feretro Rosæ facies liberiùs videnda omnibus patuit. Ceterùm de miris delicijs, fauoribus, officijs quibus hæc Seraphica Magistra demulsit Rosam suam, crebrior & commodior infra redibit sermo locis proprijs.

CAPVT XVI.

Rosa familiari tutelaris Angeli consuetudine fruitur. Variè luctatur cum Dæmone, semper victrix.

Angeli cor Dei dicuntur a Bern.

I. SAnctos Angelos esse ipsissimũ cor Dei sensit Bernardus serm. 12. in Psal. *Qui habitat:* Vbi hæc verba *appones erga eum cor tuum.* Iob. 7. adaptat missioni Angelorum ad hominis custodiam. Rosa Angelum suum non modò custodem, sed congerronem habuit amicissimum, imò Pararium, symmistam, dinomilum, vt etiã hinc aduerteret, quàm dulciter Christus apposuerat erga eam cor suum. Inde Virgini cum suo Angelo tam domestica fiducia ac necessitudo, vt illo soleret vti veredario, quotiescumq; ad horam consuetam sponsus non comparebat. Metrico sui idiomatis rythmo tunc familiariùs affabatur Angelum, hoc ferè sensu:

Rosę cum tutelari suo Angelo frequẽs conuersatio.

Angelum mittit cũ mandatis ad Sponsum.

Vola Ephebe cœlice: dic nostro Creatori,
Me sine vita viuere, me præstolando mori.
Cur ille tardet, Rosa dum ardet
Velociter inquirito:
Roga, festinet: cœlos inclinet,
Ad me descendat, vultum ostendat,
Quia amore langueo.

II. Nocte quadam occlusis horti ianuis Rosa de more vigilabat in angusta sui Eremi cellula, sensitq; se viribus repente desti-

destitui, adeo vt grauem timeret syncopen, vnde in domum sese recipere ad Matrem constituit, collato priùs consilio cum Angelo suo tutelari: Mater (: quæ horti clauem iugiter tenebat secum) vt notauit in vultu filiæ signa instantis deliquij, sine mora promptis è marsupio duobus denarijs iussit ancillæ adire subitò vicinioris propolæ apothecam, emere saccharum, carbonem, & libum indicum quod *Chocolate* vocant indigenæ, iam & Europæis tam vsu quàm nomine sat notum, quippe in aqua calida resolutum cum triente sacchari stomacho simul & cordi potenter succurrit. Filia ne sui causa is sumptus fieret, obnixè rogauit Matrem affirmans, sibi non defuturam Chocolatam. Replicuit Mater, putasne in tota hac domo vel micam Chocolatæ reperiri? negauit Rosa, at subiecit, hanc breui adfore ex domo Quæstoris.

Chocolata indicū electuarium.

III. Infremuit parens, & aut nugaris (inquit) aut somnias, quis enim intempesta hac hora calentem Chocolatam ad te mittet? Vel vnde in Quæstoris domo procul hinc dissita innotuisse potuit, te subitanea debilitate languidam isto medicamine indigere? tu in horto occlusa vtique non habuisti quem illuc mitteres, neque ex hac domo vllus abijt qui tuam necessitatem Quæstori indicaret; igitur vade ancilla, iussa exequere. Denuo supplex obstitit Rosa, certò asseuerans Quæstoris mancipium iam iam cum præparato medicamento adfuturum. Ità fuit, nam Matre adhuc disceptante cum filia pulsatur ad fores, seruus erat Quæstoris, intromitti petijt, adferre se à Quæstoris consorte quod Rosæ traderet. Vas erat argenteum calenti Chocolata plenum. Obstupuit parens, at Rosa confestim seruum expediens heræ suæ renunciare iussit, opportunè beneficium venisse. Hìc Mater confusa multiplici prodigio sciscitari, quid Gundisalui vxorem mouerit vt tali profundæ noctis hora vernam ædibus emitteret, quisnam aut Virginis languorem illi Dominæ, aut certum aduentum emissi mancipij nunciasset Rosæ. Tandem supremo obedientiæ præcepto adegit filiam, ediceret, vnde sciuerit, tali hora è domo Quæstoris sibi adferri Chocolatam. Respondit subridens filia: ne mireris dulcissima Mater, nam sæpe huiusmodi officijs me dignatur Angelus meus tutelaris. Mox vbi in mea cellula cœpi deficere, misi Angelum, qui D Mariæ de Vsatiguì suggereret me illo quem vidisti succursu indigere. Perfecit ille, quod

Mater prædictis Filiæ incredula.

Impletur Filiæ prædictio.

Rosa coàcta fatetur Angeli obsequium.

man-

mandaueram, ac certa eram illum officio non defuturum. Hac fiducia cellulam reliqui, ad te huc veni, consedi, expectatura hìc seruum Quæstoris, & cum parente beneficium diuisura. Mirata est Mater præsentaneum & velox Angeli obsequium, at magis, vt vidit filiam non mirari, vtpotè his vsu ac frequentia dudum assuetam.

Miratur attonita Mater Filiam non mirari.

IV. Alia vice in eadem horti cellula vltra mediam noctem exspectabat, dum in ædes vocaretur pro more ad nocturnam quietem: solebat enim circa horam, quæ medium noctis antecedit, descendere Mater ad aperiendum horti ostium, vt filia inde abducta ad suum cubiculum sese reciperet. Verùm pro illa vice Mater, vel quòd crederet se filiam ab horto iam reduxisse, vel quòd alijs distracta minùs applicuisset animum, oblita fuerat hortum ad horam consuetam exituræ Virgini aperire. Dum ergo se vidit frustra exspectare, dum hæsitat quid agendum, prospiciens per fenestellam vidit cominus vmbram candidam, motu decoro agilem, aspectuque non iniucundam, quæ Virginem vt se versùs domum sequeretur inuitabat. Facilè ex internis critirijs quæ à sancta Catarina Senensi didicerat, agnouit Rosa latentem sub vmbra tutelarem Angelum, itaque cum illo se fidenter in viam coniecit. Peruenere ambo ad horti ianuam quæ ad vmbræ tactum mox sponte patuit sine claui. Denique vmbraticus ille ductor sequentem Rosam ante Genitricis cubiculum stitit & disparuit. Fortè hanc petebat vmbram qui ambiebat à Domino custodiri vt pupilla oculi, & sub vmbra alarum eius protegi, ne miremur lucis Angelos vmbræ speciem assumpsisse dum gerebant officium.

Rosæ iterum succurrit Angelus.

Horti ianua sponte reseratur.

Angelus vmbra alata & protegés.

V. Occasio Angelicæ custodiæ exigit, sequentē historiolam hìc subnecti, qua fortè patebit, non proprium dumtaxat, verùm & alienos tutelares Angelos sibi ad nutū habuisse obsequiosos. Religiosus quidam per ardua, & prolixa itinera Prælatum Ecclesiasticum associaturus necessitatem suam Virgini aperuit, precum suffragia pro auertendis periculis flagitauit. Promisit Rosa, vt erat ad subueniendum proximis mirè liberalis & prompta, hominemque proficiscentem Deo & custodi Angelo impensè commendauit. Perrexit ille securus promissi, quòd non ignoraret quid Rosa valeret apud Deum, & Angelos. Nec spei euentus defuit, nam è *Lima* vsque *Potosium* per varios casus per mille rerum discrimina iter habuit tutissimū. At exinde

Alius Angelus Rosam arcana edocet.

Viator Rosæ precibus aliquamdiu tutus.

sensit

sensit simul oratione Virginis, & Angelica tutela se repente destitui, nam Truxillum petens in eius conuallibus grauissima quæque passus est, & vix euasit incolumis. Limam redux amarè questus est de Virgine, tandem & coram Virgine, quòd in medio viæ ipsum destituisset orationum suarum præsidio. Non negauit Rosa id verum esse, tantùm interrogauit vnde id nosset: Respondit ille, se Lima Potosium vsque vallante Angelica custodia feliciter aut calcasse, aut declinasse obuia quæque pericula; Verùm Potosio Truxillum eunti aduersa fuisse omnia; ità vt aliud suspicari nequiuerit, quàm Rosam ab oratione promissa, & Angelum suum à tutela commissa interea destitisse. Subiecit Rosa: non vanè coniectasti; at scito illa tibi accidisse incommoda, quia non ille eras qui esse solebas. Deinde fidentiùs ad specialia descendens monuit hominem de arcanis ipsi soli notis, quæque à tanta distantia non nisi diuinitus aut Angelo internuncio Virgini potuerant innotuisse.

Demum incurrit pericula.

Et quare.

VI. Quantùm verò Angelicam hanc puellam amabant, ambiebant, mulcebant SS. Angeli, tantùmdem ei clam, palam, vi ac fraude nocere conabantur furiæ infernales. Torquebat Dæmonem illa hortensis cellula tot Cœli delicijs plena, dolebat superbus illic se non timeri ab imbelli iuuencula, imò ea solitudine vltro ad monomachiam se prouocari. Itaque Virginem per tenebras aggressus est tenebrio. Forma ingentis molossi erat, villosa, tetra, picea: lucem qua videretur dabant solæ rubentes flammæ quas naribus, oculis, auribus affatim protrudebat. Hac specie circuibat orantem Rosam latratu horrisono, rictu immani optimeque dentato, lingua fœdissimè exserta, odore sulphureo, simulque pendulas aures, caudam, villos arrigebat quasi impetum facturus; nec solùm terrere venerat, sed & nocere si posset, nam vt vidit ab immota se despici, rabido morsu pertentabat virgineum illud corpusculum; assultu, dente, vngue sæuiebat qua poterat, tandem ausu furibundo quam discerpere non poterat, raptabat per solum, trahebat, versabat ceu lacerum aliquod peripsema: donec impauida, sed temeritatis pertæsa Virgo exclamauit ad [S]ponsum, *ne tradas bestijs animas confitentes tibi*. Nec alio fu[i]t ad abigendum hunc Cerberum opus fuit; nam continuò e[lu]mbis, victus, fractus resilijt, fugit, euanuit, & Rosa prorsus [ill]æsam indemnemque se admirata corde tranquillo ad oratio[ne]m redijt.

Angelus tenebrarum hostis Rosæ.

In forma terrifici Canis aggreditur Virginē.

Orantem conatur dilaniare.

Fugatur paruo labore.

VII. Semel à domestico Gundisalui Quæstoris oratorio ad interius cubile se Virgo recipiebat; per viam adrepens ex insidijs cacodæmon quanta vi potuit improuisum ei colaphum impegit, maiori tamen sonitu quàm nocumento, subrisit enim intrepida Virago, insuper alteram maxillam dare parata, si hostem conspicuum palàm habuisset. Alio loco & occasione in ædibus D. Isabellæ Mexiæ ignauus hostis Rosam à fronte, & cominus aggredi formidans, à tergo eminus rude saxum in eam librauit connisu tam impetuoso ac valido vt euntem solotenus prostrauerit. Rosa nec læsa, nec territa agilior surrexit quàm ceciderat, vilissimoque diabolo pudendam imbecillitatem exprobrauit. Ille victricis animositate confusus, rabiem qua puellæ nocere non poterat in eiusdem libellos spirituales turpissimè effudit. In his Rosæ eximiè charus erat Ludouici Granatensis codex, quo ad meditationum digerendos articulos diligentiùs vtebatur. Hunc miser corripuit, lacerauit, ac procul in spurcitiarum sentinam abiecit, rem magnam se præstitisse ratus, quòd tantæ Amazoni quidquam saltim armorum furto ignobili sublegisset. Nihilominùs Virgo & librum suum recuperauit, & pudefecit reduncum depeculatorem, quem non alio quàm improbæ felis aut *scabiosi* nomine dignabatur.

Ex insidijs alapā impingit Virgini.

Saxo Rosam appetit, sternit.

Sacros Virginis libellos discerpit.

VIII. Alia vice, postquàm in eodē oratorio preces absoluerat, incumbente vespero secretius in altissima ædiū parte cubiculū adijt solitaria meditatione dulcedinē ruminatura quam in oratorio gustarat inter preces. Verùm illic tumultuosa spurcorū animaliū (: quæ & olim B. Gertrudi infestandæ spurcus Dæmon immiserat) orchestra comparuit, imò hippodromus: procurrebant decuriatim, saltitabant, pugnabant, sursum, deorsum, per muros, armaria, tegulas confuso venatu turbabant omnia, nec sperari poterant quietiora, vbi nox lociq; conditio, at præcipuè maligni hostis arcani stimuli obscænas bestias concitabant in lucifugam tumultuandi libertatem. Rosa tam vile certamen dedignata in infimam domus partem descendit, grauioris illi monomachiæ luctam præstolatura. Cella erat penuaria, vbi tunc instrumenta vindemiæ canistra, dolia, lebetes & id gen[us] vtensilia asseruabantur. Huc vt intrauit, arrectis subito hor[ro]re pilis agnouit, ibidem sese ferociùs à *scabioso* ad pugnam spectari. Nec pauori cedens mandauit transeunti illac ar[ci]lulæ candelam sibi adferri; qua allata dimisit ancillam, pri-

Glires immittit, vt Rosam turbet.

In penu Virginem opperitur ad certamen.

pie[i]

piens nè cui domesticorum diceret vbinam Rosa lateret, nec se diutiùs solito ibi fortasse moraturam euocaret ad cœnam, donec vltro prodiret.

IX. Abierat ancilla, & Rosa vix ianuam clauserat, cum repente audiuit, simul aforis inducto pessulo sese à cacodæmone velut captiuam obserari. Mox intra penum occlusa animaduertit porriginosum hostem suum in prægrandi sporta, quam labri fundus occultabat, licentiùs tumultuari. Puduit generosam Virginem præsentis ibi luminis vti solatio, aut qualicumque præsidio, candelam igitur vltro extinxit ipsa, statimque latentem inimicum è sporta in arenam prouocans, *heus tu* (inquit) *porce scabiose, adesdum, hìc te exspecto: prodi si audes, experire si quid vales, age in hoc vile corpusculum quæ tibi Deus permiserit, certè in animam nil poteris, à coelesti sponso hæc mihi securissima fiducia est. Congredere cornuta bellua, eya congredere.* Nec mora: prosilijt ferocissimus hostis gigantea mole qua contremuit cella (nil tremente Rosa) Virginem per humeros corripuit, strinxit, contorsit, quasi in minutissimas partes membratim laceraturus obluctantem, vtque terrores duplicaret, fecit eam experiri contactu quàm pilosis, hispidis, ericinis lacertis esset, his inermem iactando, trudendo, premendo miserrimè concutiebat, vt iam singula Virgini ossa viderentur commolita, luxatæ scapulæ, nerui distracti: at sub fragili carne vigebat infractus animus, & corculum in Deo fixum ridebat, despuebat, lassabat furentem cyclopis insaniam.

Datur signum cōflictui.

Prouocatur hostis in arenā.

Initur pugna cū laruato Gigante.

X. Pluribus horis durauit obscurissima lucta, ingenti probro aduersarij, qui victoriam desperans, vel vnicum saltim gemitum, aut metus indicium extorquere tentabat, nec poterat. Interea Quæstoris vxor familiam de Rosa interrogans, ab ancillula didicit quo ipsam loco reliquerat cum candela, quòdq; disertè vetuerat euocari ad cœnam. Accessit, vidensque nulla ex parte promicare lumen subduxit pessulum, tacitèque abijt cunctationis exitum præstolatura. Tandem media nox dispescuit longum certamen, prodijt Virgo quàm lassitudine anhela, tam vultu hilaris, ac vltra morem lætissima, vt nemo dubitarit magnum aliquid inter illas tenebras gestum esse. Postridie Gundisalui vxor non destitit, donec enarrante Rosa vniuersam rei seriem prolicuisset, vbi inter alia & hoc notatum fuit, quòd huiuscemodi conflictuum duri agones constantissi-

Duellum atrox & diuturnū.

Prodit inuicta & conatur celare victoriam.

mæ Virgini neque peregrini erant, aut minùs frequentes; nec vmquam formidinis sensum expresserant.

XI. Aliquando in hortum oratura processerat, cum de vicinarum arborum opaco vidit obuium sibi antagonistam non iam terrificum sed blandum, candidum, ac penè in Angelum lucis transfiguratum: nam species illi humana erat, sed formosa, decens, vrbana. Doluit Virgo illic præter consuetudinem apparere hominem, vbi ipsa erat sine teste, sine comite. Interim cœpit eminus ille nutibus procum mox & procacem agere. Hìc Rosa mendacem laruam sonoris vocibus detestata lemuri dorsum obuertit, & quæ in ceteris conflictibus generosè steterat, in solo isto (quia de Castitate erat) à nobili fuga victoriam mendicauit; vt verò ad horti ianuam volando magis quàm currendo peruenerat, in propinqua porticu substitit, correptaque ferrea catena nudas sibi scapulas flagris acerbissimis cruentauit, inter fluentes tum sanguinis, tum lachrymarum riuos Sponso suo querula, quòd ipsam ad tempus destituerat, dum in eiuscemodi angustias incideret, numquam enim sibi præsente ipso tam periculosam laruatæ impuritatis imaginem fuisse occursuram. Sed confestim Sponsus gloriosus Virgini se stitit conspicuum, dixitque: *Audi Rosa, ni tecum ego fuissem, tune victoriam reportasses?* Grande id fuit victrici solatium, grandis & eruditione plenissima lectio. Simillima hęc sunt, & planè germana ijs, quæ B. Catarinæ Senensi in certamine haud quidquam dispari contigerunt, quando videlicet huic respondit Christus: *Dum pugnabas, dum vincebas, intus eram, in tuo corde spectator aderam & fidus adiutor.*

Alius assultus sub larua amasij.

In fuga Victoria.

In vulneribus triũphus.

Victricem eridit apparens Christus.

XII. Eminebat in Rosa (Confessarijs attestantibus) mirabile donum internoscendi sinceras visiones ab illusionibus Sathanæ, & distinguendi sanctas inspirationes à versutis suggestionibus antiqui Serpentis, quod Apostolus *discretionem spirituum vocat*. Quodque admirere magis, à prima pueritia hoc insigni munere dotata fuit, quo sibi & alijs mirificè profuit, vt nulla vmquam Virgini occurrerit tam fallax aduersarij tentatio, nulla tam fraudulenta seductoris vafricies quam non clarè statimque primo in limine deprehenderit, arguerit, exarmarit.

A pueritia pollet discretione spirituum.

XIII. Mirum, quot quantasque vno hoc telo victorias contra stygios dolos reportarit. Adhuc iuuencula examinanti Confessario eruditè recensuit dignoscendorum spirituum regulas ab este-

ab effectibus, aiebat illustrationes verè Diuinas esse cum in anima relinquunt humilitatem, affectum reuerentiæ, agnitionem propriæ vilitatis, ordinem ac vnitatem cordis, gaudiumque in Deo. Ex aduerso contrarias his impressiones, tumorem, confusionem diuisi cordis, complacentiam sui, & inquietudinem erga Deum nonnisi picem improbi autoris redolere. Id porro erat, quod Christus Beatam Catarinam Senensem, hæc Rosam absque alio Magistro edocuerat.

Critiria hausta à S. Catarina Senési.

CAPVT XVII.

Rosa persecutionibus, morbis, ærumnis pressa, strenuè sese ad patientiam exercet.

I. ROSIS spinæ non tardè accedunt, sed connascuntur. Idem huic Virgini accidit; nondum primę infantiæ cunas reliquerat, quando Rosarum speciem, nomen, spinas induit. Nonum ætatis mensem attigerat, cum lactanti Matri aruerunt vbera, lac defecit, & ne aliundè nutrix conduceretur, obstabat res angusta domi; en primos infanti tribulos. Conabantur pulte liquidiori supplere lactis inopiam, sed perdifficilis ingestio os paruulum diductione cruciabat. Nec tamen plorabat Rosula, sed proprij pollicis inutili suctu famem tacita fraudabat, magis quàm solabatur. Adeo à teneris discebat pati priùs quàm vagire aut loqui.

Ab infantia eruditur ad patientiam.

II. Creuit ætas, sed pariter cum ætate afflictio, nam vix ambulare ac fari cœperat, cum quotidie ob muliebrem Auiæ, Matrisque de nomine Rosæ controuersiam innocens puella vtriusque persecutioni se vidit miserrimè implicitam. Siue enim inuocata sub Rosæ nomine accurrisset domesticis aut Matri, frendens Auia in paruulam virgis sæuiebat: siue ad Isabellæ nomen respondisset vocantibus, irata Mater expediebat virgidemiam, cædebat immeritam. Sic alternante fœminarum bile patiens Virguncula quoquo se verteret, incidebat in pœnam, & ob hoc ipsum quòd non peccarat luebat.

Ob Rosæ nomen crebrò vapulat.

III. Quàm

III. Quàm suauis erat indoles filiolæ, tam aspera conditio Matris, vt penè videretur sola patientiæ biga par illud dissimillimum coniunxisse. Virginis modestia, sobrietas, deuotio, seculi fuga, silentium, vigiliæ impatienti Matri mera delicta erant, quibus castigandis non clamores, scommata, conuitia, non demum pugni sufficiebant, & calces, nodosus ex malo cydonio baculus persæpè ad manum fuit, hoc puellam iam grandiusculam frequentiùs delumbare solebat, præsertim quando comperta fuit exemplo Sanctæ Catarinę Senensis rutilam sibimet cæsariem præscidisse.

Mitissimæ filiæ biliosa mater.

IV. Nec mitiores in eam fuere domestici; postquàm nimirum innotuit eius vitæ singularitas, cœlestium visorum frequentia & commercium, ac præcipuè illa humanis viribus euidenter superior abstinentia, qua facilè arguebatur tam modico ac ferè nullo alimento iuuẽculam naturaliter in vita sustentari non posse, timuerunt germani fratres, ne fortè propediem soror magno familiæ suæ dedecore ad S. Inquisitionis tribunal raperetur velut suspecta de imposturis ac fraudibus, aut sacrilegi mendacij fictæque sanctimoniæ palam vel rea, vel cõuincenda. Hos itaque timores quotidie ingerebant cum iurgio, his minis exagitabant vndique derelictam. Nec verebatur vltro improuida Mater publicè coram suis & alienis cõfundere filiam proclamando vti hypocritam, fallacem, simulatricem, omnisque sinceræ virtutis inanem & vacuam.

Domestici in Rosam iniqui.

Palam à Matre traducitur, proscinditur.

V. Accessit in persecutionis cumulum incredula quorumdam Confessariorum seu oscitantia, seu ruditas, dum initio quod sibi persuaserant, nitebantur & Virgini persuadere, videlicet ipsam itinere non tecto aut saltim non tuto incedere, vertigine cerebri alijsque noxijs intemperijs laborare, friuolas illusiones esse, quas ipsa supernas illustrationes credebat. Hæc & similia quamcumque aliam exanimassent, at minimè Rosam, cui intus patientia pro chalybe erat, eòque ampliùs, quòd ex huiuscemodi præduris afflictionum cautibus deprehendebat manifestiùs, se per ipsissimas B. Catarinæ Senensis vias deduci ad sponsi vnionem.

Confessarij incredulitas torquet innoxiã.

VI. Hinc vice quadam ab illustri fœmina interrogata, cur non rogaret seraphicam Magistram suam, vt his ærumnis potenti illius suffragio eriperetur, heroicè respondit: *quid, putas, ad ea mihi regereret Seraphica Mater mea? quæsitura vti-*

Responsũ Virginis generosũ.

que

que, egone aliam mihi exoptem semitam præter illam quam ipsamet gloriosa calcauit? absit à me tam ignaua desidia. Sciebant ambæ quidquid Rosa à B. Catarina peteret, continuò impetraturam, idque patebit infra, sed generosa Discipula pluris faciebat Magistræ dolorosa Stigmata quàm delicata solatia, pudebat Crucifixi sponsam, vel per momentum extra Crucem, ac passionem reperiri.

VII. Et sanè aut numquam aut raro deerat grandi eius patientiæ grandis materia, siquidem vacantem à Cruce externa grauior occupabat interna, cessantique foris persecutioni agminatim corporis ægritudines succedebant. In Canta ex dira neruorum attractione triennium lecto decubuit cruciatu immenso, gemitu nullo, nisi quòd compassione acerbiùs quàm passione torquebatur ex illorum incommodo quorum ministerijs carere non poterat; vnde in hac alijsque suis infirmitatibus solebat dicere: *ò quàm salubris, quàm iucunda & felix sors foret crebriori ægritudine diuexari, dummodò proximorum abesset incommodum.*

Alternant cum internis Cruces externæ.

Compatitur alijs, quòd patiatur ipsa.

VIII. Sæpe Virginis guttur & fauces ex inferiorum musculorum inflammatione acutissima inuadebat angina, cui interdum periculosior succrescebat synanche: sæpius totis pulmonibus & bronchis decertandum fuit cum asthmate: sæpissimè permolesta ischias vtrique coxendici grauiter incumbebat, non segniùs interim costas vellicante pleuritide. Stomachi, pericardij, intestinorum dolores sine lege, sine numero frequentes conuulsiones inuehebant; istique morbi, qui prosternendo cuiuis robustissimo sat erant singuli, plerùmque bini, terni, quaterni simul ex diuersis oppositisque causis in languidulam irruebant, mirantibus interdum Medicis, vbinam in exsucco, arido, exhaustoque corpusculo tam diuersi ardores incendium fomitemque reperirent. Virgo sat peritè sentiebat, non tam à noxa vel intemperie humorum quàm à beneuola Sponsi manu hæc sibi agonalia festa prouenire.

Vario morborũ genere affatim cruciatur.

Agnoscit in his Spõsi manũ.

IX. Febres tum ephimeras, tum reliquas contumaciores ipsa assuetudo penè in iocum verterat, non item articulares illas manuum, pedumque fidiculas quibus notissima (: attamen pauenda) chiragræ, podagræ, arthritidis nomina insederunt. Hic morbus, quòd vitæ minùs putetur insidiari, pro quantitate miseriæ commiserationem, pro magnitudine doloris reme-

Vexatur frequenti arthritide.

dium

dium nusquam inuenit aut leuamen, nec fortè alius est, qui diuturnam infirmi patientiam aut citiùs abigat, aut voraciùs absumat. Hunc tamen Rosa & hospitio frequenti æquanimiter excepit, & cum inuicta tolerantię virtute pacificè vno communi lectulo coniacere fecit.

Eius sub hoc morbo eximia patientia.

X. Prodigiosum erat videre tenerrimam Virginem ardentibus iuncturis, tumentibus nodis, inflatis articulis, lancinantibus ex consensu musculis & ligaminibus inter extremos dolorum laniatus decumbere quietam, serenam, placidam, nec gemitu ac leui suspirio cruciatus suos accusantem. Si rogabatur quì valeret, nonnisi benè sibi esse respondebat, vel comparatione suorum scelerum permodicum esse quod patiebatur. Alijs de morbi atrocitate sciscitatibus aiebat, suaue ac melleum esse quidquid à manu tam dulcis Sponsi veniebat; alijs, de inferorum pœna cogitandum esse, hac vna meditatione acutissimos quosque huius temporis dolores obtundi. Sæpiùs conuersa ad Sponsum: *Domine*, inquit, *auge, auge dolorē, dummodo augeas & amorem*.

Responsa Virginis ex patientiæ aphorismis.

Nulla ei corporis pars immunis à morbis.

XI. De his aliquando familiariùs deuotæ cuidam personæ collocuta, vniuersam hanc morborum seriem inter pretiosos ac illustriores sibi à Deo collatos fauores recensuit, subiecitque, nisi hos ipsamet experta fuisset, numquam persuadere sibi potuisse, vnicum miserabile corpus tantorum ac tam multiplicium dolorum capax fore, neque putare se, vllum cuiuscumque partis aut membri superesse cruciatum, quem ipsa non senserit; nihilominùs semper è Cœlo sibi adfuisse præsidium & robur quo vniuersos imperturbatè sustineret, nūquam sibi obrepsisse impatientiæ motum quo vel latum pilum discesserit à resignata conformitate ac amussi Diuinæ voluntatis. Proinde se sui pudere, quòd tantis Cœli beneficijs nondum vti par erat responderit, atque ex hoc capite se Creaturarum omnium quotquot per Orbem viuunt meritò ingratissimam esse reputandam, ex quo nimirum viderat eo se modo tractari à Domino, quo ipse nonnisi amicissimos suos tractare solet, nec tamen se pro dignitate redamare, tam amabilem, & amantem Deum: & forsan hic ei sensus erat, quando cum doloribus vnà augeri amorem flagitabat.

Immunis ab omni obreptione impatientiæ.

Deus quē diligit castigat.

Visio notabilis.

XII. Huc planè referenda videtur celebris illa visio, quam inter diuiniores Rosæ excessus tanti fecere graues mysticæ

Theo-

Theologiæ professores. Eam hìc, prout ipsamet Virgo paucis ante obitum diebus Doctori Castillo ex fide pacta narrauit, nudo simplicique adtexam filo: suspensa (inquit) in vnitiuo quietissimæ contemplationis lumine vidi fulgorem admirabilis excellentiæ, decoris, ac Maiestatis, quem sine termino quaquaversùs diffuderat omni-præsens ac subtilis immensitas. Huius amœni fulgoris centrum insederat arcus multicolor, splendidus, ac multiplici luminum pictura gratiosè variegatus, supraque istum alius extendebatur arcus paris cum inferiori pulchritudinis, ac maiestatis, & hunc in conuexi meditullio conspicuè exornabat gloriosa Crux nostri Saluatoris, purpurata, madida, locisque clauorum perforata, & Crucifixi titulo triumphali insignita.

Crux vexillum patientiæ in supremo arcu.

XIII. Porro interiorem arcum impleuerat Humanitas Domini mei Iesu Christi radiosa, clara, prælucida, tanto Gloriæ amictu circumdata, quantum in ea numquam aliàs fueram conspicata, placuitque ipsius dulci Bonitati conferre mihi vires extraordinarias, ac mirè viuaces, quibus acie irretorta liberrimè & prolixè intuerer Magnificentissimum Regem meum in toto decore suo; non enim vti aliàs ex obliquo aut solo capite ac pectore tenus, sed integrum ac totum cernebam à vertice ad plantas vsque, & ex directo facie ad faciem. Interrupit hìc Virginem Doctor sciscitando, cuius coloris fuerint illi arcus? Respondit: multiplicis ac peregrini, adeò quòd nulli prorsus colori in Mundo isto visibili possit vel tenuissimè aptari comparatio, nisi quòd arcuum venustas omnium possibilium colorum varietatem, ac gratiam in se collegisse videbatur cum infinita quadam excellentia & dignitate.

Sub arcu apparuit Humanitas Saluatoris.

Vires singulares ad eam contuendam.

Incomparabilis horum arcuum color.

XIV. Inde pergebat Rosa. Persensi ex vicina Christi humanitate suauiter in animæ meæ fundum defluere inexplicabiles flammas & gloriæ stricturas, adeo quòd existimarim à Mundo corruptibili me penitus iam solutam, & ad perpetuæ fruitionis beata gaudia translatam esse. Post hæc ille speciosus forma præ filijs hominum bilancem & nescio quæ pondera disposuit in propatulo; mox populosæ Angelorum phalanges festiuo ornatu, ac nitore illustres accessere, decora cum reuerentia sese inclinantes Domino Maiestatis: accessere item copioso numero felices Animæ, similique adorationis ritu Saluatorem reueritæ seorsim constiterunt. Angeli correpta bilan-

Ab Humanitate Christi effluxus Seraphici.

Circa Christum Angeli & Animæ.

ce ac ponderibus cœperunt onerare trutinam, afflictiones afflictionibus exaggerantes in cumulum, velut earum molestiã ad amussim exploraturi. At conantibus intercessit Christus, officiumque velut Angelico sublimius arbitrio sibimet assumens manibus proprijs stateram leuauit in æquilibria, & de cumulis impositis afflictiones distribuit præsentibus animabus, inter quas & mihi portionem seposuit grauissimæ aduersitatis.

Christus ex bilance distribuit afflictiones.

Nec Rosã suam præterit.

XV. Deinde ponderibus denuo impositis cumulabantur ex aduerso gratiæ super gratias; cumque accedentes Angeli pararent libram attollere, rursum intercessit Christus velut omnipotenti suo brachio dignam functionem accuratiùs peracturus, & ad proportionem distributarum afflictionum pretiosos illos gratiarum aceruos inter præsentes animas attentissimè diuisit; neque me præterijt, siquidem & mihi ad pondus concessæ aduersitatis gazam inæstimabilem supereffluentium gratiarum admensus est. Notaui adstantes animas eodem gratiæ thesauro tam distentas & ad summum vsque refertas, vt ore & oculis exundaret arctata plenitudo.

Ad proportionẽ dolorum partitur pondus gratiarũ.

XVI. His peractis sonoram decentissimè extulit vocem Saluator: *Nouerint* (: inquit) *vniuersi, quòd tribulationem subsequitur gratia; sciant absque pondere afflictionum ad gratiæ cumulos non perueniri: agnoscant iuxta ærumnarum incrementa augeri pariter charismatum mensuram. Nolint errare, vnica hac & vera est scala Paradisi, nec præter Crucem alia superest qua in coelum ascendatur.* His auditis (: pergebat Rosa) inuasit me validissimus impetus quem verbis effari nequeo, prosiliendi in medium fori, vt publicè fortissimisque clamoribus vociferarer ad omnem hominum ætatem, sexum, statum: audite Populi, audite Gentes vniuersæ, ex ore Christi vobis denuncio, non adquiri gratiam sine præuia afflictione, ærumnis supra ærumnas concumulatis opus est, vt ad intimum Diuinæ naturæ participium, ad gloriam filiorum Dei, ad perfectam animæ pulchritudinem pertingatur.

Christi parænesis de lucris patientię.

Inardescit Rosa ad eadem magnis vocibus prædicanda.

XVII. Idem me stimulus vrgebat impetuosissimè ad prædicandam Diuinæ gratiæ venustatem, angebar, sudabam, anhelabam, videbaturq; anima corporeo carcere teneri iam non posse, quin eo relicto sola agilior erumperet clamatura per Mundum: ò si nossent mortales quid sit Gratia, quàm formosa, nobilis, pretiosa, quantas in se complectatur diuitias, quas opes, iubi-

Formositas Diuinæ Gratiæ.

iubilos, delicias, vtique ambirent omnes affligi & pati, vltro postularent cuncti molestias, persecutiones, ægritudines, tormenta pro solo Gratiæ opulentissimo lucro assequendo, hoc sanctæ patientiæ mercimonium est & vtile fœnus: nemo quereretur de cruce, si hanc tantorum thesaurorum agnoscerent legitimam stateram.

Gratia diuina quì ematur doloribus.

XVIII. Interpellauit Doctor, cupiens explorare magis, sub quali specie aut figura Virgini apparuisset Gratia? promptè respondit Rosa, nil eam cum corporeis figuris habere commune, at longè minùs cum colore aut quauis creata pulchritudine, naturam ei omnino Diuinam esse, attamen bene se obseruasse quòd Gratia res sit alia à Deo tametsi Dei imaginem mirabiliter contineat, animamque constituat Deiformem. Tandem interrogauit Doctor, quo genere locutionis intellectuali an vocali Christus verba superiùs recitata protulerit? respondit Virgo, nescire se quo illa nomine apud talium rerum peritos appelletur, modum tamen locutionis hunc fuisse, quòd ab ore Christi promanabat clarus & purissimus sapientiæ conceptus, qui animæ fundum penetrans significabat intus quæcumque vellet intelligi.

Gratia nō est Deus sed Dei radius.

Modus Supernæ locutionis in anima.

XIX. Hæc illustris visio tempestiuè Rosam præparauit ad vltimos illos extremæ suæ paralysis dolores qui præmaturam ei mortem intulerunt, proinde cum de felici Virginis transitu agetur infra, opportunus de his redibit sermo: neque enim vnico Capitulo tota Rosæ patientia potuit explicari.

CAPVT XVIII.

Rosa varijs indicijs ardentem erga Sponsum amorem prodit.

Ignis Sancti amoris in Rosa abscondi nequit.

I. QVanta in Rosæ pectore flagraret Diuini amoris Ætna, placuit Deo interdum visibilibus signis palam facere, dum ex vultu orantis iussit splendores & flammulas scintillare. Nocte quadam Rosæ dormiendum fuit in vno conclaui cum socia Virgine, hæc circa gallicinium euigilans vidit per tenebras frequentia micare lumina in cubiculo; mox pauidè circumspiciens aduertit non aliunde esse quàm à facie orantis in angulo Rosæ, hæc enim de lectulo suo clam ad fundendas preces in pauimentum sese demiserat, & vbi maximè in obscuro se latere credebat, prodebatur lucidis igniculis per os oculosque inter orandum euibratis, testante prodigio quantum incendium feruebat intus. Hoc ipsum Rosæ insciæ pluries coram diuersis accidisse compertum est.

In suspirijs amoris ipsa refrigeria sunt noua incendia.

II. Nec minùs eiusdem ardoris indices ac fauillæ erant ignita illa suspiria, quibus veluti flabellis cor illud succensum & æstuans simul difflabat calores suos, simul eosdem validiùs succendebat. Crebrum hoc ei in ore erat: *Domine ecquis te non amaret? ego verò mi bone IESV, quando te dignè amare incipiam? heu me! quàm procul disto à perfecta, intima, robustissima tui dilectione! necdum scio congruè te amare. quis pudor! ad quid mihi cor istud, si nondum id pro tuo amore totum diffluxit in cineres!* nimirum propria hæc est superno amori hydrops, vt solum id sitiat quo magis abundat.

Rosæ iaculatoria pro amore Diuino obtinendo.

III. Hoc affectu calescens Rosa pro impetrando Diuino amore ex ipsa Diuini amoris ignita pharetra nonnullas iaculatorias collegit in formam precatiunculæ, quam lubet huc verbatim transcribere, quia cunctis ea placuit, multis vsu profuit, amandique tum signis tum stimulis scatet. Hic ei tenor est: *Domine mi IESV Christe Deus & homo, vere conditor & Redemptor noster, quòd vmquam te offenderim equidem mente dis-*

cru-

crucior, quia es qui es, & quia te amo super omnia. Mi vere Deus & Sponse animæ meæ, tota lætitia cordis mei: ego ego amare te desidero benignissime IESV, amore illo perfectissimo, amore efficacissimo, sincerissimo, ineffabili, intensissimo, incomparabili, incomprehensibili, irrefragabili, inuictissimo, quo simul vniuersi ciues empyrei te diligunt. Insuper concupisco amare te ò Deus cordis ac vitæ meæ, Deus delicium meum, amare te velim quantùm te amat Sanctissima Mater tua, Domina mea Virgo purissima; quinimo te ò salus ò gaudium animæ meæ, te inquam opto amare quantùm tu ipse mi Deus te amas. Concremer ego, deficiam ego, consumar ego igne tui Diuini amoris ò mi benignissime IESV. Rudis ista rhetorica est in auribus seculi, at schola Diuini amoris hìc suam agnoscit reperitque phrasim.

Optat hoc igne consumi.

IV. Nouerat ingeniosa Virgo ceteras in se virtutes abscondere, sola Charitas (; quia flamma est) premi ac celari nequaquam poterat. Hinc Rosæ colloquia, salutationes, responsa iugiter amoris diuini mentione condiebantur. Si cum familiaribus, Matronis, Virginibus sermocinandum, prima Rosæ vox erat: *amemus Deum nostrum, amemus.* Si de quacumque persona absente proferendum encomium, rem totam Rosa hoc absoluebat compendio: *Deum fortiter ac seriò amat.* Quotiescumque sacramentaliter confessura procubuerat ad Confessarij pedes, munita crucis signaculo erumpebat in hæc verba: *Dominus tecum mi Pater. Deus sit amor noster. O quis donet vt eum perfectè diligamus. Heu! qui eum non diligunt, bonitatem ignorant.* In omni conuersatione vnicum Rosæ oblectamentum erat ac solatium de amore Diuino aut audire aut loqui, inculcare supremam obligationem diligendi Numen, quod tantopere nos dilexit & diligit, varios distinguere titulos, modos, stimulos huius dilectionis, denique omne aliud dissertationis argumentum quantùmuis diuersissimum comi dexteritate huc inflectere, vt amor & amabilitas Dei in thema reliquorum discursuum succederet, quo obtento mirabile erat audire Virginem aliàs taciturnam verbis aptissimis at vehementer ignitis ratiocinantem de debito charitatis, de affabili bonitate Dei dignantis amari, de pulchritudine Maiestatis tam dignæ amari; tantùm hìc Rosæ non deerant vocabula emphatica, hìc solùm abundabat fluida eius facundia, hìc ei inardescebat spiritus, acuebatur vox, fulgurabant oculi, succendebantur

Ex abundantia cordis os plenum amoris mētione.

De Deo amando quàm lubens disserebat.

Hìc tam facunda, quàm in ceteris taciturna.

bantur præcordia, nemoque præsentium dubitare poterat, ex abundantia cordis os loqui.

In suo deserto diserta amoris Echo ac præco.

V. At verò cum sola erat in recessu tugurioli, aut cum putabat à nemine se obseruari, teneriùs simul atque liberiùs prosa, versu, sermone, cantu ructabat solemnissima quæque Seraphici amoris axiomata. Quæstor Gundisaluus vnà cum vxore & liberis aliquando domi suæ clam auscultabat Rosam loco solitario Diuinos amores pijs clamoribus feruidiùs celebrantē; summa contentæ vociferationis hæc erat, inuitabat per ordinem singulos creaturarum ordines ad amorem dulcissimi Creatoris, elementa, Cœlos, Angelos, plantas, animalia compellabat, idemtidem replicando: *amemus Deum, Deum amemus, amor Deus, Deus amor*. Nec perfunctoriè hæc dicebat, duabus ac interdum tribus horis vno defixa loco cœlumque respiciens his vocibus immorabatur, eo calore & impetu, vt audientium corda ad amorem, & compunctionem ignara commouerit.

Creaturas omnes ad amorem Dei inuitat.

VI. Subinde non inueniens modum quo sibi inter hos feruores aut temperaret aut satisfaceret, citharam (quàm pulsare nunquam didicerat) arripiebat de proximo pariete fortè pēdulam, tactuque chordarum moderabatur impetum vocis, suauiter cantillando saucij querimonias amoris, vt omni ritu gestuque sese dilecto suo ostentaret amantem. Contigit aliquando citharæ omnes deesse chordas, nihilominùs Rosa citharizabat, intenta magis interiùs sonanti *decachordo psalterio cum cantico*. Videbatur sub his innocentissimis symphoniæ conatibus Rosa cum puello suo Amore repuerascere, & oblita omnium dolorum indulgebat simplici teneritudini intimorum affectuum: bulliebat corde, & existimans nullos è vicino sibi imminere arbitros, tantilla euaporatione feruentem spiritum solabatur. Accidit tamen quòd abrepta dulcore intrantes & exeuntes domesticos non obseruarit. Vnde pluries de cantantis ore auditi sunt versus isti numeris Hispanicis illigati, quos vtcumque latinè reddiderim:

Amoris plectro citharam pulsat achordem.

Ignara se obseruari erumpit in cantum & metra.

En; inter *flores* pulchrescis, & inter *oliuas*
Iesule, nec molli spernis adesse *Rosæ*.

Lepòres erant, quibus Virgo liberiùs adblandiebatur digna-

tioni

tioni sui Dilecti, qui Rosam pauperem (: vtpotè Matre *oliua* & Patre *de floribus* natam) minimè fastidierat, ex quo ab ea se permiserat tam tenerè amari. Multa de similibus amantis Rosæ vaporarijs, de anteroticis ad Sponsum aspirijs, & eclogis dicenda superessent fortè non indigna relatu, sed properandũ ad solidiora.

VII. Vehementissimæ dilectionis comes & testis est zelus, nec huius in se ardores Virgo celare poterat; hinc tantoperè vrebatur, sicubi priuatim aut publicè quidquam committeretur, quod Dei honorem vel in minimo violaret; certè nec leuissima dissimulabat. In primis otiosas in Ecclesia fabulas (: Nobilitatis rusticum malum) adeo detestabatur, vt quamquam timida verborumque parcissima continere se nõn posset, quin loquaces ob loci reuerentiam debitæ vrbanitatis admoneret, ea tamen moderatione, humilitate, prudentia, vt obsecrare potiùs quàm corripere videretur. Domi quotquot de familia erant, cauebant ne quas coram Virgine proferrent ineptias, verebantur censorium Rosæ adhuc paruulæ supercilium, nouerant puellam ad suas tam atroces & crebras iniurias patientissimam ea sola tolerare nequaquam posse quibus vel tenuiter Deum offendi existimaret.

Zelus comes amoris.

Arguit loquaces in Templo congerrones.

VIII. Hic illi à prima pueritia sensus fuit, nam vbi ceteræ proles pro garrulo rudis ætatis genio aut sordes loquebantur quas nondum intelligebant, aut cantilenas amatorias aliunde forsan auditas innoxiè repetebant, plorabat Rosa, fugiebat, puerile flagitium deferebat Matri, querebatur offendi Deum, quodque alia ratione castigare satis non poterat, in seipsa lachrymis amarissimis vindicabat. Mendacia, quæ puerorum assiduis iocis & loquacitati abesse vix vmquam solent, tam dirè execrabatur, vt proprium suum apophtegma esset: *nec pro coelo nec pro terra mentiendum, quia Deus veritas est*. Hinc si quidpiam falsum etiam bona fide narrabatur ab alijs, pro accurato veritatis zelo placidissimè corrigebat referentem, interloquendo comiter, non sic sed tali modo rem accidisse, non istud sed illud factum aut dictum fuisse.

Paruula cõpescit domesticorũ sordidas ineptias.

Puerilia mendacia grauiter execratur.

IX. Accidit vnà circiter hora ante felicem Virginis ad meliora transitum, venire illuc Religiosum quemdam Sacerdotem, quem illa videre ante mortem desiderauerat; huic intranti vna ex adstantibus fœminis bona fide dixit: opportunè

Falsiloquia etiã innoxia studiosè corrigit.

venis

venis ò Pater, iam enim Rosa vocari te iusserat. Audijt moribunda, deque veritate scrupulosiùs solicita attenuatum spiritum collegit in vocem, *non* (: inquit) *erremus*; *te quidem videre ante meum obitum desideraui, idque solum dixi, nil vltra* Nimirum tanta ei inerat cura veritatis, quia Deus est veritas. Lachrymas quia vnicè ad Dei ęrarium pertinere didicerat, non patiebatur aliò à quoquam inutiliter profundi, cupiens has soli Diuinæ Maiestati in tributum ab omnibus reseruari; vnde quadam occasione videns plorantem Matrem, quasi Diuinæ Quæsturæ correpta zelo, hem (inquit) ò Mater quid agis? gazam prodigis soli Numinis thesauro inferendam? quin tu potiùs memineris pretiosum hunc liquorem deberi soli Deo in ablutionem nostrorum peccatorum. Tanta Virgini zeloti cura fuit, ne quid vel honori vel tributo cœlestis Sponsi decederet.

Lachrymas aliter quàm in Dei gazã profundi dolet.

X. Eiusdẽ amicissimi zeli genuina soboles erat immensum illud gaudium quo vernabat Rosa quotiescumque Dei honorem & obsequium insigni aliquo successu videbat promoueri. Limense emporium fama impleuerat, quamdam mulierem Deo solemniter dicatam, fracto Religionis vinculo è Cantabria profugisse in Indias, ac sub virili habitu in ciuitate *Guamanga* diù errabundam, denique miro Dei beneficio redijsse ad cor, iamque in dicta ciuitate resumpto sacro schemate sub religiosa clausura inter Sanctimoniales degere. Hæc vt Rosæ innotuerunt vidisses flammigerum eius zelum tot succendi affectibus, quot rerum species in diuersa sensum abripiebant. Doluit primùm de sacrilega iniuria, qua Diuinus honor facinore tam fœdo ac publico fuerat violatus, at simul ei tripudiabat animus in victoria Diuinæ gratiæ: compatiebatur lapsæ peccatrici, simulque effusè lætabatur in ea miram Domini bonitatem ac Misericordiam publicè ab omnibus celebrari; huic triumphum, huic festum diem agebat Rosa, non sic lætatura si totius Americæ sceptrum sibi imperiumque sorte vel dono obtigisset. Denique metuebat simul ac sperabat conuersæ peccatricis constantiæ ac stabilitati, verùm in solatij cumulum adfuit superna reuelatio, qua Rosam Christus ipse securam reddidit de seria reductæ Monialis pœnitudine, adiungens, eam non modò perseueraturam, sed insignem quoque sanctimonię gradum adepturam.

Rosæ lętitia ex Diuini honoris promotione.

Iubilus ex cõuersione peccatricis deploratæ.

Conuersæ perseuerantia diuinitus ei reuelatur.

XI. Nil

XI. Nil erat quod satiaret Rosam amores suos Sponso testificari cupientem, vnde iugiter apud Confessarios lamentabatur, ingratam se esse tam suaui Numinis in se bonitati, nescire se modum aptè colendi tam excelsam amicitiam, dumq; agebat omnia, nihil se egisse querebatur. Accidit, vnum ex suis Confessarijs grauiter infirmari, ac tempore quidem valde importuno, siquidem instabat propinquus dies, quo illi habendus erat solemnis ad populum sermo. Misit igitur qui Rosæ nunciarent, improuisa ægritudine se obrui, nec vires sibi futuras ad prædicandum, dolere se ob notabilem defectum qui festiuitatem ex parte obscuraturus erat, maximè cum ingens illustrium personarum multitudo ad concionem (: de qua fructus eximij sperabantur) fuisset inuitata. Rosa tristi nuncio exterrita post breuem deliberationem respondit: de Dei honore & obsequio hic agitur. Eya itote, dicite infirmo, certissimè ipsum statuta die prædicaturum, tempestiuè aderunt vires vt possit, tametsi non sine conditione alteri onerosa. Conditio autem hæc erat, quòd Rosa interea sui Confessarij febres in se reciperet, prout olim S. Catarinæ Senensi contigit. Nec dubitauit Virgo pacisci cum Deo sub tali onere, malebat enim alienis febribus torreri per omnes medullas, quàm quòd ex concionis defectu gloria Dei in mutila festiuitate detrimentum pateretur. Euenit vtì Virgo prædixerat, paucis ante concionem horis Prædicator conualuit, officioque præclarè functus est. Interea Rosam coquebat febris non sua. Nec tamen sermone abesse voluit, quia febrilem æstum facile superabat exæstuans Diuinæ gloriæ zelus.

Dum ardet, se algere queritur.

Promittit ægro Cōfessario vires ad concionādum.

Illius in se transferri cupit febres, & obtinet.

XII. Inquietissima vis amoris nihil non comminiscebatur quo seruiret vnicè dilecto. Compererat dictante historia, S. Catarinam Senensem aliquando latenti sub forma pauperis Christo dedisse vestem, excogitauit ergo & amans Rosa methodum ac rationem qua Christum indumento spiritualibus lacinijs operosè contexto deuotissimè amiciret. Nusquam is sibi occurrebat pauperior quàm vbi in Bethlehem nascebatur paruulus, nudus, cum inopi Matre extorris diuersorio, algens in stabulo, panniculis obuolutus in vili præsepio. Huc igitur artes artusque omnes intendebat Rosa, vt piorum operum singulari ac pretiosa consutura dignos Amori infantulo vestes præpararet. Lubet hic simpliciùs ex ipsis Rosæ pugillaribus

Studet amicire Christum pauperē.

Ex cordis sui Vestiaria.

recitare formulam, qua sibimet Virgo hoc opus præfiniebat, ac ne labente memoria quidquam præteriret, hoc ordine singula notarat in pagella.

Ars noua Christum vestiendi.

XIII. *IESVS. Anno* 1616. *fauente & auxiliante IESV Christo suaque benedicta Matre incipio parare vestimentum dulcissimo meo IESV nascituro tremulo, nudo, egeno in Bethlehem.*

Indusiolum.

Indusiolum sunto 50. *Letaniæ,* 9000. *Rosaria,* 5. *dies inediæ in reuerentiam SS. Incarnationis.*

Panniculi.

Panniculi constanto 9. *stationibus ad SS. Eucharistiam, nouem trientibus psalterij Rosariani, &* 9. *diebus ieiunij, pro numero mensium quos in vtero purissimæ Matris exegit.*

Stragula.

Stragulis, 5. *dies esuriales,* 5. *stationes, totidemq; integra Rosaria impenduntor pro honore sui Natalis.*

Fasciæ.

Fasciam præbento quinq; Coronæ Domini, 5. *dies inediæ, totidem stationes in reuerentiam suæ Circumcisionis.*

Fimbriæ.

Fimbrias ac limbos tam straguli quàm fasciolarum ambiunto 33. *SS. Communiones,* 33. *interuentùs Missarum,* 33. *horæ mentalis orationis,* 33. *orationes Dominicæ, Angelicæque salutationes, totidem vicibus recitatio symboli Apostolorum, cum Gloria Patri, & antiph. Salue Regina, item* 33. *trientes Rosarij Mariani,* 33. *dies ieiuniorum, & tria millia verberum in venerationem suæ ætatis quam vixit in terris.*

Crepundia.

Denique pro crepundijs puerulo offeram meas lachrymas, suspiria, actus amoris, cumque his animam meam, & cor meum, vt nihil mihi remaneat, quia conuenit nihil me possidere.

XIV. Constat ex deuotæ Rosæ mystica officina pluries hoc vestimentorum genus prodijsse, nam subinde amicissimis personis eadem liberali dono cedebat offerenda, applicanda, circumponenda *Iesulo* nudo Amori suo. Et quid non egit vt is ab omnibus diligeretur? Placuit hic Rosæ ardor Saluatori, tantamque propagandi sui amoris solicitudinem ingenti miraculo obsignauit Deus, quod Capiti sequenti seorsim narrandum sepono.

CAPVT

CAPVT XIX.

Rosa, vt Christum omnibus amandum persuadeat, manifestum sudantis Imaginis miraculum impetrat.

I. IN domestico Gundisalui Quæstoris oratorio inter alias sacras Imagines tum venustate tum reuerentia celebris eminebat illa quæ virilem Christi vultum scitissimis coloribus ac lineamentis exprimebat in tela. Huic Rosa peculiari deuotione erat addictissima, hanc effigiem quotiescumque diducto velo prostabat in altari, fixis obtutibus, auidissimis oculis hauriebat ac ferè sorbebat intensissima contemplatione, nimirum sentiens cor suum concalescere dum illius aspectui inhærebat.

Christi Imago Virgini charissima.

II. Anno igitur M. DC. XVII. die xv. Aprilis (: qui Sabbathum erat) ad vesperam circa pulsum Angelicæ Salutationis Rosa cum vxore Gundisalui & filiabus in prædicto Oratorio de more insistebant orationi: detecta erat venerabilis illa Saluatoris effigies, cui ad vtrumque latus binæ ardebant candelæ in altari, ac tertia procul inde lucebat seorsim in mensula. Hìc Virgo vltra solitum cœpit vehementiùs succuti amoris stimulis, vt nec voci temperare iam posset quin erecta in pedes feruidissimè ac sonorè affaretur sacram Imaginem, quasi sola in oratorio fuisset.

Ardore insolito Rosa erigitur in pedes.

III. Summa vaporantis alloquij hæc erat: Domine, ò quando te omnes diligent prout diligi mereris? quousque patieris hominum peccatis te irritari atque irreuerenter haberi? ò quis det, vt cuncti agnoscant, quali quantoque amore dignus sis? vt capiant, non pœnarum seruili formidine, non mera spe mercenaria præmiorum, sed propter te amandum te esse? eya fac Domine, fac te amari vt decet, excute pharetram, vibra quaquaversùm ignita purissimi tui amoris iacula, erumpant vbique luculenta cordium incendia, tibi tibi famulentur vniuersi, tibi sese eneruet omne pectus præ violentia charitatis,

Ignitis suspirijs S. Imaginē alloquitur.

tibi omnium affectuum sudent balsama, tibi inquam, tibi amabilissime Iesu, qui tanto humani generis amore bullis & æstuas. Inter has similesque voces Quæstoris vxor clam ex oratorio in vicinum atrium se proripuit cum filiabus ne fortè loquenti Virgini interstreperent, aut liberiores hos impetus respectu importunæ præsentiæ impedirent.

In Oratorio sola relinquitur.

IV. Vna tamen filiarum non abnuente Matre irrepsit quasi candelas emunctorio in Altari purgatura: statimque velut subitaneo pauore Rosam interpellans, quid video? inquit, en vultum Saluatoris totum sudor operuit. Audiuit hæc foris Mater, & confestim ingressa vidit copiosas sudoris guttulas instar minutissimorum vnionum tota sacratissimæ Imaginis facie conspicuas lucere ac prominere: subnascebantur aliæ alijs, & mutuo attritu resoluebantur in fluxum, diuersisque lineis per pictos capillos & barbam stillatim decurrebant. Attonita spectaculo, nec ausa propiùs accedere, misit qui maritum domo fortè absentem citissimè aduocaret, is enim Secretarium Ioannem de Tineo tunc è portu Callaoensi Limam reuersum negotiorum causa conuenerat. Venerunt ambo, ignari quid rerum ageretur: vixque oratorium ingressi, vbi vxor cum Ioanne de Benauides & Petro Chiandro familiaribus taciti expectabant, viderunt non sine ictu pietatis effigiem vndequaq; velut roris antelucani guttulis confertim madidam & obductã, iamque stillæ ad ipsum vsque marginem ligneum qui picturam includebat defluxerant, ac nouæ identidem guttæ à fronte, maxillis, oculis succrescebant.

Prodigiũ copiosi sudoris ex Imagine.

Aduocantur alij ad spectaculum.

V. Obest miraculorum fidei præceps credulitas, prodest circumspecta dubitatio, vt seueritate examinis ceu polituræ defrictu simul exploretur soliditas & clarescat veritas. Ita hìc euenit: nam Gundisaluus in primis Angelinum Medorium Romanum qui imaginem pinxerat, in ædes suas aduocauit, vt sudoris originem, si fortè à natura colorum esset inuestigaret. Adfuit pictor, limpidissimi humoris claritatem miratus, digito guttas aliquot delibauit, fricuit, naribus admouit, cumque nihil aut olidum aut oleaceum posset deprehendere, lustratis diligenter omnibus, edixit, supernaturale sibi omnino videri quod in imagine gerebatur; coloris, odoris, tactus aliarumque circumstantiarum experimenta neutiquam fallere, naturæ artisque industrias tali prodigio longè abesse.

Diligens exploratio miraculis necessaria.

Accersitus pictor stillas examinat.

VI. His

VI. His minimè contentus Quæstor fidum hominem Andræam Lopez ablegat, iubetque è vicino Societatis Iesu Collegio accersiri nominatim Patres Didacum Martinez & Didacum de Peñalosa, sic tamen vt neutri ad quid ea hora vocarentnr indicaret. Venit P. Peñalosa cum socio Francisco Lopez coadiutore, nam impeditus erat P. Martinez, & tertia noctis imminebat. Intrauit vterque ac breui oratione præmissa ad altare propior accessit, sudantem adhuc vultum diu attentèque cõtemplatus demum petito gossipio leniter humorem abstersit. Verùm quò plus detergebatur plus noui sudoris erumpebat, rursus ergo Peñalosa gossipium quà siccum erat applicuit, rursum guttulis guttæ, riuis riuuli succesere. Dehinc chartam adhibuit, visurus an fortè ex coloribus oleo temperatis vnctuosa aliqua pinguedo humori inesset; commaduit charta, sed paulò post siccabatur, vnde purè aqueum esse collegit. Quatuor continuis horis & vltra durauit pium ostentum, cunctis per gyrum admirantibus, quòd nullo colorum aut venustatis detrimento vultus ille sacerrimus post sudores pulchrior viuidiorque solito appareret. Nec adeo euanuit hic sudor quin sub barba vsque ad oram marginis vestigia reliquerit multis post annis & lustris palam conspicua.

Aduocantur Theologi.

Abstersione tentatur scaturigo sudoris.

Perenuant in S. Imagine sudoris vestigia.

VII. Supererat publicæ autoritatis legale examen & disquisitio, vt euidentiùs innotesceret miraculi certitudo. Itaque Limanus Archiepiscopus D. Bartolomæus *Lobo guerrero* capiendis legitimis informationibus Iudicem constituit Doctorum Ioannem *de la Rocca* Parochum & Archidiaconum Metropolitanum, qui coram Notario Iacobo Blanca Presbytero auditis omnium qui spectaculo interfuerant vnisonis testimonis rei gestæ seriem ex ordine totam excepit, ac tabellioni ritè in protocollum referendam commisit.

Miraculi examen solemne & iuridicũ.

VIII. Interea Gundisaluum, vxorem, familiam grauissimus inuasit timor, ne fortè ob aliquod suum aut domesticorum occultum scelus hoc in suis ædibus portentum accidisset, aut impendentem aliquam Diuinæ vltionis cladem miseris comminaretur. Verùm his facilè Rosa totius arcani probè conscia occurrit, voce tranquilla & placida iubens ne timerent, nihil terrificum, nil sinistrum horridumue portendi, totum quidquid fuerat miraculi eò dumtaxat spectare ac tendere, vt Saluator quàm enixè cupiat amari ab omnibus, ipsomet sudorifero

Domestici ab omine consternati.

Hos metu liberat Rosa mysterij conscia.

Verus ſcopus famoſi Prodigij.

ro vultu æſtuque præter ordinem luculento manifeſtaret; proſcænium iſtud ſolius fuiſſe Diuini amoris reciprocos hominum amores inuitantis: non vnico ore ſed poris omnibus clamaſſe in imagine Redemptorem: *redamate amantem vos*. Quis enim perciperet laxari in hunc clamorem poros niſi cum ſudant?

Effectus mirabiles in cordibus ſpectatorum.

IX. Nondum Roſa loqui deſierat cum Gundiſalui vxori in memoriam recurrerũt ignita alloquia quibus Virgo Imaginem affata fuerat ante ſudorem, conferebat anteriora poſtremis, & mirè inuicem conſonare deprehendit. Nec minùs apertè quotquot ſudoris ſpectaculo coram fruiti erant, fatebantur, ſe ſub illius intuitu nouos, acutos, inſolitos ſenſiſſe Diuini amoris ſtimulos, idque erat quod Virgo tam ardenter & anxiè flagitarat. Non ſatiantur ſic amantes orare iugiter: *flammeſcat igne charitas, accendat ardor proximos.*

Miraculũ ferax noui miraculi.

X. Neque hìc ſtetit miraculum quin partu noui miraculi & ſuam certitudinem aſſereret, & Roſæ brachium fidemque liberaret. Paucis ante diebus (: nempe feria 2. Paſchatis) Roſa lapſu fortuito terræ alliſa brachium grauiter offenderat; Chirurgi tumidis ac liuentibus indicijs territi iudicarunt aut Virginem deinceps mancam ea parte remanſuram, aut ſaltim curationis laborem admodum prolixum incertumque fore, periculum longè minus fuiſſe interceſſurum, ſi oſſa in partes diffracta crepuiſſent; Roſa patiendi aſſuetudine ac deſiderio fortis hæc quaſi de alieno brachio dicta tranquillè excipiebat: nihilominùs die quadam familiariter cum Gundiſalui vxore de prodigio ſudantis Imaginis conferens, repente ſe ſenſit excitari ad fiduciam recuperandæ ſanitatis, modò goſſipium quod prodigioſo Imaginis ſudore maduerat, contuſis brachij ſui neruis ac muſculis applicaretur. Quæſtoris vxor quaſi de virginis ore verbum rapiens confeſtim goſſipium attulit, faſcias ſolui, floccos imponi iubet.

Roſæ brachium enormiter læſum.

Suggeſtũ diuinitus remediũ.

XI. Cunctabatur Virgo, metuens præproperè ſibi dolores eripi, quos pro Sponſi amore diutiùs tolerare optabat, cauſabatur ſe citra Confeſſarij permiſſionem nil præſumpturam. Ne tamen oblatam remedij gratiam videretur aſpernari, continuò ipſamet Confeſſarium adijt in Æde S. Dominici, candore quo ſolebat rem expoſuit, nutum expectauit. Confeſſarius nil differendum eſſe edixit, iret, properaret, goſſipium apponeret, ſeſeque Diuino fauori ſubmitteret. Factum vt ille impe-

Attamen Confeſſarij nutus exquiritur.

imperauerat. Meridiei punctus erat, quando D. Maria Vsategui proprijs manibus Rosæ domum reduci brachium nudauit, gossipium circumduxit, alligaturam reposuit.

XII. Mox Virgo in Oratoriū se proripuit, ac inde post duas circiter horas egressa brachium vndequaque sanum & flexile ostentauit. Gauisa Domina, de modo ac mora curationis inquisiuit; cui Rosa: vix (inquit) in Oratorio ad preces coram S. Imagine me composueram, quando attractu præualido sensi redire ad sua loca distortos neruos, detumescere pulpos, distringi musculos, nec tamen prodire statim volui, donec cœlesti Medico grates ex debito persoluissem; in his nonnihil me distinui; tolle iam gossipium, tolle fascias, quia in tuto sunt omnia. Beneficium tam repentinum totas ædes exciuit in securæ gratulationis lætitiam, mirabantur omnes, & præcipuè Chirurgi qui pridie metuerant oleum & operam perdi, siquidem intractabile viderant brachium & in omnem medelam contumax, vt non vererentur tamquam de incurabili ambiguè mussitare.

Miraculosè brachium sanatur.

Humanitus incurabile.

XIII. Exinde grauior tempestas formidinis Gundisaluo incubuit, sed nouo Rosæ solatio mox dissipanda. Serpebat incertus per vrbem rumusculus, sacram Imaginem de priuato Oratorio auferendam iri, velut publico ac celebriori loco dignissimam. Torquebat hæc fama Quæstorem, consortem, filias, quòd ægerrimè paterentur domesticum hunc thesaurum quotidiano suo ac suorum conspectui, deuotioni, gaudio subduci, præsertim quia pluries à Rosa didicerant, gratiosam hāc Saluatoris effigiem toti domui salutarem esse, in ea Diuinam misericordiam secretiùs operari sua magnalia, frequenter ab illa benedictionem supernæ dulcedinis emanare. Sed animosa Virgo, vt comperit anxium Gundisaluum hac formidine cruciari, ne quidquam dubites, ait, mi Pater (: nam ipsum & vxorem parentum nomine honorare consueuerat) ne inquam timueris, non enim huiuscemodi ostenta nobis indulsit benignus iste Saluator tamquam propediem his ædibus abiturus; nobiscum ille habitare dignabitur, certus esto. Quòdsi ob gratiam nuperrimi miraculi pictura hinc auferenda est, totum simul oratorium cum reliquis eiusdem sanctis iconibus auferant necesse est, quia pleræque miris in nos beneficijs certant, scatentque arcanis prodigijs.

Noua inde metuendi occasio.

Fama de S. Imagine aliò transferenda.

Sacræ Imagines Ædibus salutares.

Rosa metum ponere iubet.

Reliquas ibidem Imagines fateturesse mirificas.

XIV. Ita

XIV. Ita esse pridem coniecerant ex affectu, deuotione, reuerentia, quam peculiariter modò huic modò illi ibidem Imagini Rosa impendebat, velut inde fauoris Diuini copiosior eam aura afflasset. Prostabat in Altari Oratorij imago Iesu paruuli venustis coloribus adumbrata; in hanc Virgo sæpissimè iaciebat ardentes oculos, huic mittebat crebra ex imo pectore suspiria, hanc deperibat, nec toto cautissimæ suæ modestiæ velo sufficiebat intimos erga illam feruores abscondere. Obseruauit hæc tacitè Maria de Vsateguì, prudentique solertia demum à Virgine per ambages elicuit quid rerum illic lateret. Fatebatur ingenuè Rosa ad omnem illius picturæ intuitum nouo se perfundi calore & gaudio, subsultare præcordia, inflammari spiritum, eò quòd Diuinus ille puerulus videbatur sibi nunc blando arrisu salutem dicere, nunc suaui radiorum effluxu animam transfigere, aliquando etiam curta brachiola foras protendere velut in amplexum Rosæ iamiam vltrò procursurus. Hæc narrans inardescebat, nec cohibere se poterat quin fortiùs vocem attolleret in parænesim, eya, inquiebat, ò Mater, æstimato hunc cœlestem paruulum, famulare huic Domino, cole, venerare, ama hunc Regem gloriæ, qui sine intermissione ex pusilla icone tam grandia in nos dona cōgerit, paratus maiora & plura effundere, modò velimus capere.

Erga Iesu paruuli Imaginem teneritudo Rosæ.

Rosæ ablanditur è pictura cœlestis puer.

Iesus amat nos ardentiùs quàm possit redamari.

XV. Redibat inde protinus ad eam de qua supra virilem Seruatoris nostri effigiem, asserebat hac se medullitus instaurari ac refici, nonnullosque in anima & corpore effectus experiri simillimos ijs quos in sumptione Sanctissimæ Eucharistiæ percipiebat. Denique ingemiscebat querula, tam raros & paucos esse qui Dominum tam suauem toto ac puro affectu redamarent, hunc sibi dolorem videri prorsus intolerabilem, optabat sibi obtigisse sexum, facundiam, vires, quibus vniuerso terrarum orbi solum Iesu Christi amorem persuaderet; nēpè idipsum olim Seraphica sua Mater ac Magistra optauerat, & tandem inter hos ardores increpabat seipsam quòd non arderet satis.

Prioris Imaginis effectus in anima Rosæ mirabiles.

Dolet, se huius amoris aptam non esse præconem.

CAPVT

CAPVT XX.

Roſam imago Deiparæ in SS. Roſarij Sacello creberrimè ſolatur, mulcet, inſtruit.

Regina S. Roſarij Peruano Regno ſalutaris.

I. SVpra-dictis penè gemella ſunt quę hìc narrabimus; at prælibanda ſunt ex multis paucula de ſingulari prærogatiua celeberrimæ huius Imaginis, quæ inde ab introductæ Chriſtianæ Fidei primis initijs prima toti Peruano Regno per publica beneficia innotuit, & priuatim Roſæ noſtræ tam eximiè chara fuit atque propitia.

Imago Limenſis vnde, & qualis.

II. Statua eſt ex ignoto ligno ad humanæ ſtaturæ proceritatem affabrè ſculpta in formoſam effigiem Magnæ Deiparæ paruulum Ieſum geſtantis in vlna, manuq; altera Mundo Roſarium ſuum porrigentis. Hanc Chriſtiani conquirendarum Indiarum auſpicem ex Hiſpanijs ſecum aduectam inter prima Limanæ vrbis molimina primo ibidem veræ Religionis Templo (: cui à Sanctiſſimo Roſario coæuum nomen eſt) ſolemni ritu collocarunt, adſtructo Fratrum Prædicatorum inſigni cœnobio. Proſperrimum id propagandæ illic Fidei omen & exordium fuit, nam ſimul in hoc Templo quod vnicum tunc extabat, ſub tutelari præſidio Diuæ Virginis ad titulum S. Roſarij conſtituta fuit Parochia, hìc primus inſtructis catechumenis patuit fons luſtralis quo infideles ad veri Numinis cultum adducti cœpere per S. Baptiſmi ianuam intromitti ad caulam ouium Chriſti; hinc demum ad alias quæ paulatim fundabantur ſacras Ædes tota Sacramentorum adminiſtratio promanauit, ac velut ex vno Auguſtiſſimæ Cœlorum Reginæ parthenico Roſeto Ver naſcentis Fidei in omnem circuitum floridè ſe diffudit.

Primum templum Peruuiæ Chriſtianæ.

Ex illo S. Roſarij floreto reliquum Ver toti regioni.

Indi armantur in Chriſtianos.

III. Anno 1535. iuxta *Caxaguanam* in Cuſco ac finitimis prouincijs gentilium Indorum pluſquàm 200000. ſub ſignis erant vt Catholicum exercitum ſexcentis non ampliùs capitibus numeroſum proculcarent potiùs quàm profligarent. Ade-

rant Christianę phalangi aliquot Religiosi ex Prędicatorum Ordine, ac implorata in opem Regina Sanctissimi Rosarij, dum vtrimque concurrunt acies, visa est vtrimque in aëre conspicua Diua Virgo sub suæ Limensis imaginis notissimo agalmate, virgam distringens in hostes, ac ni cederent internecionem comminitans. Perculsi superno spectaculo idololatræ pacem armorum experimento prætulerunt, & obstinatione vna cum ferro excussa certatim iugo Fidei cum gaudio succollarunt. Exinde creuit S. Imagini popularis veneratio, cumque famã tanti miraculi Regnum ac vniuersam regionem peruasit mirifica salutiferæ deuotionis propago.

Exarmãtur ostento Deiparæ præferentis Rosarium.

Fidei iugo collã submittunt.

IV. Demum anno 1643. vj. Idus Maij Rex Catholicus Regnum suum Peruanum cœlesti Virginis Matris præsidio firmiùs contra impendentia pericula communiri exoptans mandauit hanc ab vniuersis incolis publico ritu eligi Protectricem, simulque ad aliquam huius sacram Imaginem (: quæcumque illa esset toti regioni celebrior ac de fama beneficiorum illustrior) publici refugij perennem tesseram communi voto collectam firmissimè stabiliri. Factum est: cum Archiepiscopo Prorex & vterque tum Ecclesiasticus tum secularis Regni Senatus inito consilio collatisque suffragijs Limanam D. Virginis Sanctissimo Rosario præstantis imaginem elegerunt, & quotannis feria secunda post Dominicam *Quasi modò geniti* instituta publica supplicatione (: cui tum ipsi, tum singulorum Ordinum Regulares & vniuersa tribunalium dicasteria interueniunt) eamdem in suo apud FF. Prædicatores Sacello inuisunt. Eadem vbi festiua Processione effertur in publicum, (: quod annuè fit in die octaua Sanctissimi Rosarij mense Octobri) à dispositis per forum chiliadibus crepera sclopporum displosione salutatur, fulgente in singularum cohortium explicitis vexillis nomine, tessera, figura imaginis Rosarianæ. Nec reliquum anni tempus vacuum est à perpetuo concursu, præsertim quoties aut terræmotus, aut epidimiæ contagium, aliaue seu publica seu priuata necessitas admonet ciues præsentanei sui asyli. Hæc obiter de Rosea imagine, nunc ad Rosam.

Regis Catholici in Dei-parẽtem fiducia.

Huius tutelæ solemniter commissũ Regnum Peruanũ.

Anniuersaria ad eam supplicatio Magistratuum.

Commune refugiũ in periculis.

V. A teneris hic Rosæ quamquam nil minùs quàm ferreæ magnes fuit ac siderites, adeo hæc sacra Imago trahebat adeo firmabat virgunculam. Nonnulla attigimus supra: succedant alia. Quando in isto Rosarij sacello Rosa coram Virgineo hoc

simu-

ſimulachro Dominicani Ordinis habitum ſuſcepit, adfuit publicæ functioni plorans Mater, viditque filiam blando fauore Deiparæ eleuari in cœlum, vnde perfuſa gaudio facilè compeſcuit lachrymas, cœpitque tacito applauſu felici puellæ gratulari. Sublime augurium & obſeruatu dignum, nam quæ tanto ſuffragio dignabatur nouitiam ſuam, *excelſa ſuper ſidera* hìc operabatur vt *felix coeli porta*.

Roſa Matri viſa In cœlum eleuari ab ea Imagine.

VI. Quoties Roſa ſibi aut alijs grande aliquod ac peculiare è cœlo ſubſidium poſtulare conſtituiſſet, ſupplex ad Aram Sanctiſſimi Roſarij procumbebat in preces, illic vultum charæ Imaginis ſpeculabatur attentiſſima, & non ſine ingenti fiducia poſt teneros affatus ab illius faciei pendebat oraculo. Sæpè Quæſtoris vxor notabat Roſam à Sacello reducem aliquid noui ſolatij ipſo premendi conatu prodere, plerùmque enim bulliebat lætitiæ feruor vt familiarem & piè curioſam obſeruatricem latere indicia aut fallere ex toto non poſſent; quare domeſtico neceſſitudinis iure audebat verecundam vltro compellare dicendo: *hodie ò Roſa vt video rurſum pluerunt fauores*; cui modeſta Virgo, leni ſubriſu aiebat: *continuò affabilis illa coeli Regina fauoribus cumulat miſerrimam hanc peccatricem*. Memor deinde, eamdem Gundiſalui vxorem aſſediſſe examini de quo ſupra Cap. XIV. atque ex eo plura & potiora reſciuiſſe de arcanis ſuis cum hac Imagine commercijs, viſionibus, alloquijs, paulò fidentiùs deinceps huic Matronæ faſſa eſt magnam eorũ partem quę Examinatori ſuo pridem aperuerat eo candore quo debebat.

In ea totum ſupplici Roſæ vadimonium.

Coram illa quidquid orat exorat.

VII. Inter alia de modo, quo Deiparam in hac Imagine ſibi loquentem percipiebat, interrogata ſimpliciſſimè reſpondit, mirabile hoc genus allocutionis ſine idiomate, ſonitu, motuque labiorum purè ſympatheticum eſſe, ac ſolum iconis vultum varia ſereniſſimę frontis eradiatione velut quibuſdam notis ac nutibus tam appoſitè, dextrè, & perſpicuè exprimere ſenſa & affectus pro re nata, vt nulla exquiſitiſſimorum verborum facundia meliùs præſtare id poſſit; eamdem vultui Diuini Filioli vim ineſſe, vtrimque velut in viuo ac animato libro ſe reſponſa diſtinctè legere multò ſignificantiùs, quàm ſi mutis characteribus deſcripta vel picta decerneret, his velut fiduciarijs intimorum conceptuum indicibus excitari in anima ſua quamdam attentionem luminoſam, qua ſine diſcurſu penetret

Mutuæ ac mutæ allocutionis arcana formula.

Eadem ex vultu Ieſu affabilis reſponſio.

limpidèque percipiat singula, denique in vtriusque figuræ labijs, genis, oculis quoddam velut arcanæ affabilitatis horologium inesse signorumq; congruam diuersitatem nulla linguarum peritia explicabilem, humana tamen locutione longè certiorem. Fama erat, Rosam impetrare omnia, quæcumque apud sacram Imaginem ab Augustissima Rosarij Regina seriò flagitaret. Hinc sæpè rogata vt hoc illudue peteret, si videretur è re publicæ aut cuiusquam priuatæ salutis esse, curam in se haud grauatè recipiebat, deinde à sacra Imagine rediens bonos successus tanta securitate pollicebatur, quasi concessæ gratiæ diploma recepisset.

Omni humana locutione certior ac disertior.

VIII. Accidit permissu Dei, quòd inuidus Sathan cuidam regulari Communitati Limæ inseuerat discordiarum zizania. Excrescebat infelix lolium, quodque initio nonnisi opinionum prœlium fuerat, ipsa repugnandi dulcedine, paulatim degenerabat in amarulentiam voluntatum, non sine scissura pacis & offensa Numinis, cui extra fines pacis habitare non lubet. Innotuit Virginis Confessario gliscens malum, isque Rosæ iniunxit, Sanctissimi Rosarij Sacellum adiret, ibique coram Deiparæ Imagine periclitantis illius Congregationis necessitatem Matri misericordiæ fusis precibus commendaret, nec curam dimitteret quoadvsque gratiam & succursum impetrasset. Paruit Virgo ad obsequia charitatis mirè procliuis, sacellum adijt, preces fudit, sed mœsta præter consuetudinem animoque saucia domum redijt.

Discordibus non cohabitat Deus.

Rosę concordię aduocata mittitur.

IX. Postridie reuersa ad pedes S. Imaginis diutiùs procubuit, feruentiùs orauit, lachrymas addidit, prolixæque moræ æquanimi patientia fauorem expectauit à solo Deiparæ vultu pendula, nec surrectura de loco, donec exauditam se intelligeret. Tandem repentina hilaritate perfusa in pedes se erexit, & gratijs Virgini Matri deuotissimè persolutis læta domũ properauit. Quæstoris vxor vtraque vice frontem Virginis domum redeuntis tacitè obseruarat, ac diuersitatem mirata quid nouæ rei gereretur interrogauit. Huic Virgo succinctè quantùm oportuit eam scire respondit.

Denuo pulsat, instat, impetrat.

X. Verùm paulò post à Confessario soliciti ùs examinata, nec ausa quidquam reticere, totam ingenuè seriem exposuit, vt pridiè inter supplices preces vtrumque tum Deiparæ, tum Filioli vultum inuenerat non modò chalybis instar prædurum,

Iubenti Confessario successum exponit.

aspe-

asperum, inexorabilem, sed & seuerè minacem, austerum ac manifesta indignatione caperatum: vt frustra conata fuerat Filium emollire per Matrem, vt tristissima domum redierat post insolitam hanc repulsam. Deinde vt postridiè multis demum lachrymis Dei Matrem flexerat ad intercessionem, negante Filio placari se posse illi cœtui tam obstinatè discordi, vt tremuerat afflictum cor suum, percipiendo alternos Matris, Filijque affatus, quibus illa gratiam, hic iustitiam ac pœnas vrgebat, vt denique Matris suauissimæ præualidis gemitibus cessserat exarmata ira Filij, vt iste iam placatior benigno arrisu Matrem, deinde & Rosam indulgentissimè respexerit: exinde gratiam in tuto iam esse, ne dubitaret Confessarius, breui effectum manibus contrectandum. Ità euenit: nam paulò post mirabiliter coaluerunt diuisi animi, euanuit pomum discordiæ, dissilijt sathanæ cuneus qui fissuras diduxerat. Notent, quicumq; Religiosis communitatibus diuisionis machinas inuergunt, quàm abominabilem Deo, quàm gratam cacodæmoni, quàm perniciosam proximis operam præstent. Sed ad alia.

Quàm displiceat Dei Matri & Filio dissidia.

Annuit exoratus Filius Matri, hæc Rosæ.

Pax resarta coaluit.

XI. Non abs re fuerit paucis subnectere, quæ Rosæ cum alia Deiparentis imagine non sculpta sed picta in Gundisalui oratorio contigerunt. Repræsentabatur coloribus in tela Genitrix Virgo dormientem paruulum Iesum complexa sinu. Rosæ videbantur in hac imagine omnia spirare, ac viuere, sæpiusque fatebatur hanc apud se peculiariter magno in pretio esse quòd inde suauissimis interdum solatijs fuerat delibuta, *Iesuli* somnum, & Mariæ vigilias ignem suis medullis inijcere, vt nec paruuli mansuetissimum soporem audeat interrumpere, nec tamen vigilem Matrem possit sine canoro succensi cordis alloquio præterire; at sub hoc affectuum duello animam suam liquefieri ex arcano Dilecti alloquio, quasi dicat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Alia Deiparę imago familiaris Rosæ.

XII. Accidit, quòd in oratorio Maria de Vsateguì coram Rosa, & duabus familiaribus instituta de beneficijs Beatissimæ Virginis spirituali collatione incideret in magnalia, quæ ad Imaginem Deiparæ in *Atocha* vico Matritensibus vicino manus superna dignatur operari; Rosa in præsentem Imaginem defixis oculis auidè quæ dicebantur auscultabat: sed cum Matrona sensim ad alia diuerteret, insolita verborum emphasi interpellauit Rosa, perge (: inquiens) ò Mater, perge de hoc argumen-

Imago D. Virginis in Atocha.

gumen-

Dulcescit colloquiũ in picturę obtutu.

gumento plura quæ nosti differere. Matrona facilè animaduertit inter Imaginem & Rosam singulare quidpiam geri; vnde digressis alijs secretò extorsit à Virgine, cur interpellasset, vtique mysteriũ subesse, quod rescire sua intererat, omnino se scire id velle. Rosa, vt prodigium quod viderat non suo, sed Matronæ merito tribueret, imò (; ait) mysterium suberat, nam interea dum tu miracula narrabas absentis Imaginis de *Atocha*, hæc præsens edebat signa inusitatæ lætitiæ, mouebat in nos columbinos suos ocellos, attollebatur nouo corpulentiæ typo extra telæ superficiem velut inde ad nos exitura cum sopito Filiolo, spargebat arcanas dulcedines, renidebat, radiabat augustior, nunc paruulo suo nunc nobis maternè adblandiens. Et nonne sub tanta gratia dignum erat Reginæ nostræ laudibus diutiùs immorari?

Arcanæ sympathiæ miri effectus.

XIII. Sed redeundum tantisper ad Sacellum Rosarij, cui Rosa toto anno per omne sabbathum flores quos ipsa coluerat, fasciculatim aut mittebat aut deferebat. Mirati sunt, quicumque Rosæ hortulum norant, eius areolis numquam deesse flores quos Altari dedicaret; siue enim hoc germen alibi sustulisset consueta variantis anni temperies, siue ardentior Sirius vbique torrida siccitate hoc terræ solatium corruperat, semper in modico Rosæ viridario intacti vernabant pulluli quos in proximum sabbathum cœlesti Antophoræ consecraret.

Virgini Matri toto anno floret hortulus Rosæ.

XIV. Maluisset auro gemmisque rigentem cycladem subinde offerre sacræ Imagini florum loco, sed obstabat inopia. Verùmtamen & hanc suppleuit ingeniosæ deuotionis industria, nam vt quotannis Reginam Sanctissimi Rosarij bis spirituali veste amiciret, materiam, artem, formam excogitauit longè pretiosiorem, ad modum quem supra Cap. XVIII. descripsimus. Vnius idea reperta fuit in Virginis pugillaribus, hoc tenore: *Memoria. Pro vestimento quod ego Rosa de S. Maria indignum mancipium Reginæ Angelorum ordior contexere Virgini Dei Matri auxiliante Domino. Primò Tunicam interulam conficiunto* 6000. *Salutationes Angelicæ, totidemque vicibus recitanda Antiphona Salue Regina, cum* 15. *diebus ieiuniorum, in reuerentiam purissimi gaudij ex nuncio Angelico, quòd in suis castissimis visceribus humana carne induendum erat æternum Patris Verbum.* 2. *Pannum huius amictùs contexunto* 600. *Salutat. Angel. totidem vicibus Salue Regina*, 15. *Rosaria,*

Studet Dei-parenti vestem consuere.

Quæ huius Vestis materia.

Interula.

Pannus.

& 15. dies ieiunij, in reuerentiam lætissimi gaudij, dum visitabat Cognatam suam Elizabeth. 3. Oras ac fimbrias huic vestitui circumdanto 600. Salut. Angel. toties Salue &c. (vti supra) *in reuerentiam altissimi gaudij, dum pariebat Filium suum Dominum meum IESVM Christum. 4. Fibulas apponunto 600.* Salut. vt supra, *in reuerentiam intimi gaudij dum benedictum Filiolum suum offerebat in Templo, 5. Collari impendūtor 600. Salut. Salue, ieiunia,* vt supra, *in reuerentiam felicissimi gaudij, dum amissum triduo Filium inuenit in Templo inter Doctores disputantem. 6. Ramusculum Virgineis suis manibus gestandum componunto. 33. orationes Dominicæ, totidem Salutationes Angelicæ, cum versu,* Gloria Patri, Salue Regina, *totidemque Rosarijs de laudibus Virginis, in reuerentiam 33. annorum, quos Dominus meus IESVS vixit in terris.* Et paulò infra: *iam hoc vestimentum confectum est; benedictus sit Deus, eiusque Mater Sanctissima prægrandi sua pietate suppleat defectus meos, & ausui det veniam.*

Fimbriæ. Fibulæ. Collare. Ramusculus. Consummatio.

XV. Simile at multò operosius vestimentum Diuæ Virgini consuere cœpit prima die anni MDCXVI. in huius textura sumptuosa Dominicarum orationum, & Angelicarū Salutationum numerum Virgo non iam centurijs (: vt supra) sed chiliadibus diffiniebat. Verùm singula quæque suæ deuotionis exercitia minutim prosequi non vacat, præsertim cum ex innumeris innotuerint pauciora.

Aliud, sed longè sūptuosius.

CAPVT XXI.

Rosæ in salutiferum Crucis signum religio; Imaginem S. Catarinæ exornans ab ea vicissim honoratur.

I. SOlitariæ in horto cellulæ (: de qua supra) prima & ferè tota supellex Crux erat Virgine procerior altiorque vt pleniùs tum Caluariæ supplicium meditanti ingereret, tum pijs nouæ Magdalenæ complexibus commodiùs stringi posset. Illam quot osculis Rosa dissuauiarit, quot lachrymis humectarit, quot ignitis suspirijs

Crux prægrandis in cellula Virginis.

pirijs adusserit, quàm tenacibus vlnis ad liuorem vsque sibi interdiu noctuque adstrinxerit, quàm crebra & supplici adoratione coluerit, non omnino domesticos latuit, qui interdum per rimulas insciam obseruabant. Sicubi in Templis, sacellis, ædibus frequens viuificæ Crucis simulachrum incurrisset in oculos, singula mœsto obtutu & calente gemitu salutabat, in omni familiari consessu, conuersatione, societate Crux (: si qua prostabat) Rosæ sol, ipsa Cruci heliotropium erat, ad huius aspectum cor Virginis pulsu validiori, & concitato videbatur in horologium transmutari.

Vbique Crucis obtutu rapitur.

II. Præcipuè in maiori Dominicæ Passionis hebdomada, à Cruce fidelium adorationi palam exposita diuelli non poterat, huic assidebat immobilis, hanc dilapso frequentiori populo cominus tenerrimis basijs obterebat, in hanc eminus acclauabat oculos, nec alio vel ad momentum respicere poterat. Quin vsqueadeo menti Virginis insederat Sanctæ Crucis religio, vt vbicumque à fortuita trabium commissura, in fenestrarum clathris, in decussatis sepium bacillis, in ostiorum cardinibus, in vectibus, in ipsis demum festucis ac paleis, aut alio quouis reiectaneo figura Crucis occurrisset, hanc sine attenta ac tacita veneratione nusquam præteriret.

In Parasceue diuelli à Cruce nequit.

Omnis figura Crucis adurit Virginẽ.

III. Subinde Rosam ad sacras ædes processuram comitabatur honestatis causa germanus frater, doluitque toties sibi cum ea subsistendum esse quoties Soror ibidem ad stipulas de terra subleuandas sese inclinabat. Animaduertit fortuitas Crucis figuras esse quas in proiectis stipulis aura vel casus effinxerat, has autem Rosa iacere humi, & commeantium pedibus neglectim proculcari non ferebat. Hinc Ferdinandus (: id fratri nomen erat) tot morarum impatiens, ac velut superfluæ pietati Sororis admurmurans, putasne (: inquit) decere Virginem, toties in publico ad leuandas paleas explicare faciei operimentum? quid cogitabunt, quid dicent obuij, hærere te in plateis, vt transuersas vbique stipulas fatuo labore diuarices? Quòd si hac ratione Crucis figuræ prospectum cupis, vtique ingentem tibi sumpsisti operam, imò ridiculam, cui à prætereuntium sannis, ac sarcasmis totum sit prœmium.

Stipulas in Crucis formam decussatas veneratur & colligit.

Reprehẽditur à germano Fratre.

IV. At grauiter modestèque replicuit Virgo: ah frater nimio dolore crucior, dum video, contemptim iacere solo & calcaneis proteri qualemcumque rudissimum typum illius

Graue respõsum Virginis.

adoran-

adorandæ Crucis in qua innocens Agnus Dei suæmet vitæ inæstimabili pretio nos redemit. Scio hæc retrimenta sine scrupulo aut culpa promiscuè calcari ab alijs, horum incuriam nec damnare ausim, nec arguere præsumo, sed neque illis displicere meritò queat meæ deuotionis simplicitas. Denique subsannent, rideant, cogitent de me, vt lubuerit, ego quoad potuero, non cessabo à cura, ne Crux Domini mei, vel in abiecta, vilissimaque stipula vsquàm conculcetur. Addebat (: mirum dictu) ad istud quod puerile, nimisque fœmineum alijs videbatur Crucis honorandæ studium se stimulis tam excelsis ac serijs excitari, vt repugnandi modus aut ratio numquam sibi ad manum sit; proinde & hoc inter alia complura condonandum esse ardori suorum affectuum, maximè si verum foret quod aliunde obscura persuasione acceperat, ex sacris Indulgentiarum thesauris aliquod repositum esse lucrum fidelibus, quicumque hoc simplicitatis religioso obsequio S. Cruci reuerentiam exhiberent.

Pro Crucis honore amat subsannari.

Internis ad eam deuotionem stimulis adigitur.

V. Rosa in suo hortulo plantauerat libanotim, Rosmarinus vulgò dicitur, eiusque tres arbusculas distinctis cespitibus ità in Crucis formam coegerat, vt singulæ glebæ seorsim accuratam montis Caluariæ figuram vndequaque exprimerent. Gaudebat inter flores & odorifera plantaria pariter & Crucem oculis suis obuersari. Placuit multis nouum amœnitatis artificium, quod irrigante gratia sub hortulanæ deuotione feliciter adoleuerat. Verùm operante Magistro P. F. Alphonso Velasquez Rosæ Cõfessario ex tribus vnica dumtaxat Rosæ hortulo mansit residua, siquidem is alteram poposcit sibi, alteram Proregina dono eiusdem obtinuit, summaque cura penes se nutrire studuit, sed incassum, vix enim dies perpauci effluxerant, cum Crucifer cespes apud Proreginam funditus exaruit, manifesto indicio, propriam sibi defuisse Crucis & Caluariæ hortulanam.

Plantam in Crucis formam educat.

Eam Confessarius offert Proreginæ.

Exarescit.

VI. Narrauit Virgini Confessarius dolorem Proreginæ, at subrisit Virgo monuitque, huiuscemodi Cruces inter secularis Aulæ pompas & assidua Mundi commercia virere non posse: vetuit tamen emarcidum arbusculæ cadauer proijci, iussitque ad se remitti propediem resuscitandum. Vix in quartum diem exsucca plantula penes Rosam fuit, cum speciosior quàm antè fuerat vndique reuiruit, nouis ramusculorum comata pullulis,

Crux in palatijs ægrè frõdescit.

Reuirescit sub manu Rosæ.

lulis, nouo radicularum ac medullarum succo rediuiua plexilique virgularum obedientia in pristinam Crucis figuram reformata; cui Rosa in ornamentum ex tractabili ficulneæ medulla complusculos cœlestes genios ordine aptissimo circumposuit, & Crucis basi accubuam Sanctæ Mariæ Magdalenæ icunculam peritè adiecit, sicque renatam, ornatam, pampinatam remisit Confessarius Proreginæ, miranti libanotim suam sub Rosæ manibus tam celeriter, tam amœnè, tam plenè reuixisse. At Virgo id totum gloriæ Crucis tribuebat, quod & S. Catarinam Senensem iugiter fecisse meminerat.

Ampullatur deuoto auctario.

VII. Digrediendum nũc ad huius Seraphicæ Magistræ imaginem Crucis ac Stigmatũ characteribus insignitam, quacum Rosæ plurimùm fuit commercij, nec sine prodigijs. Limæ ab annis centum & ampliùs floret sub inuocatione B. Catarinę Senensis deuota secularium Confraternitas: huic solemne est quotannis ter in publici circuitus festiuam processionem sublimi gestatorio efferre conspicuam Sanctæ suæ Tutelaris statuam coronis, floribus, multoque gemmarum fulgore ac pretio decenter adornatam. Porrò quæ statuæ ornamenta conquireret, tractaret, circumponeret, vna hac Rosa (: dum vixit) nulla reperiebatur aptior, dignior, peritior, quia prototypo nulla aut deuotior aut similior.

Limæ Sodalitas B. Catarinæ de Senis.

Eius annua Processio.

VIII. Ita cunctorum suffragio vni Rosæ delatum hoc religiosæ pietatis officium. Ipsa diligenter collectis vndequaque monilibus, velis, torquibus, floccis, lemniscis, omnique pretiosa supellectile (: cuius nulla vmquam pars amissa fuit quin tota rediret ad Dominos) operi strenuè imcumbebat, assumptis fidissimis adiutricibus in laboris ac meriti participium. Sed dum circuibat charam Iconem, dum vestiebat, dum plicas distinguebat, temperare sibi à lachrymis, ab osculis, ab alloquijs præ ardore non poterat; affabatur, venerabatur, dissuauiabat sacram Imaginem, ac si præsentem è cœlis haberet Magistram suam.

Cura Iconis demãdata Rosæ.

In ea ornanda Rosæ studiũ.

IX. Quadam vice inter suspiria, exciderunt Virgini (: at perfunctoriè, & submissè) hæc verba: nosti vtique Mater mea dulcissima, quòd si 15. aut 16. *pataconum* mihi facultas esset, vestirem te pro genij mei dictamine nouo candidiorique amictu. Et ecce post paululum sociabus nil minus cogitantibus adfuit illustris fœminæ *Hieronymæ de Gama* ancilla Æthiopissa,

Decentiorem ei vestem desiderat.

cum-

cumque pecunia litterulas attulit, quarum hic tenor: *Salue Rosa Soror. Coniicio te nunc in exornando gloriosæ Matris Senensis simulachro occupari; en 16. patacones quos penes me reperi, his vtere ad Seraphicæ Imaginis ornatum, si opus est. Vale.* Suspexit in Cœlum Rosa, & ô (inquit) suauissime Iesu, quàm fidelis amicus es! Mox niuei candoris Attalicam emit, nouamque Iconi vestem aptauit.

Exauditur votum, comparet nummi.

X. Dum Rosa oblongam trabeam (: scapulare dicimus) Iconi amiciendæ consuit, mittit in Conclaue vbi hæc stabat, *Philippam de Montoya* conciuem suam vt inde serici fili glomerem sibi apportaret. Iuit illa, viditque Imaginis vultum insolito splendore fulgidiùs radiare. Expauit insperato gaudio, remque trepida ad Rosam in proximo cubiculo nentem retulit. Verùm hæc minimè admirans respondit paucis: numquid vidisti Soror, quàm sereno indicio dignatur approbare Seraphica nostra Mater quod agimus? placet ei, quòd ambæ in elaborando ipsius scapulari iucundè occupamur.

Vultus statuæ radiat in mercedē obsequij.

XI. Alio tempore optabat Rosa caryophylli copiam ad manum esse, qua sacram Imaginem condecoraret. Abnuebat præsens anni temperies, quæ in illis Regionibus mense Maio id genus flosculorum ignorat. Quæsitum diu in Rosæ hortulo, sicubi in caryophyllorum areola, vel noduli apparerent propediem erupturi in florem, at inuentum nihil. Iteratur bis ter frustrata perquisitio, sed eo vespere nec spes residua fuit. Nihilominùs Rosa quod futurum erat spe bona præcipiens aiebat: potens est Dominus concedere quod optamus, quinimò hac ipsa nocte in honorem Sanctissimæ Trinitatis vna hæc virgula (: digito monstrabat surculum nulla fœcunditatis nota tunc vsquam turgidum) tria nobis caryophylla protrudet. His dictis fœminas (: *Catarina & Francisca de Montoya* vocabantur) dimisit domum ridentes, quòd illo anni tempore ex languido, sterilique frutice caryophylla expectaret, imò promitteret.

Desūt caryophylla ornando simulachro.

Rosa prædicit affutura postridie.

XII. Postridie summo manè (: siquidem is Processioni decretus erat dies) properarunt ad Rosam, vt quod in ornanda Imagine reliquum erat, cum ea perficerent. Rosa tunc in oratione defixa venientibus innuit, hortum adirent, atque in nomine Sanctissimæ Trinitatis tria inde caryophylla confestim sibi adferrent sacræ Iconi coaptanda. Replicuit Catarina:

Sociæ hæc inueniri desperāt.

tu verò chariſſima non meminiſti, nos heri tecum inutili quæſtione floris totum aliquoties hortum permeaſſe, nec vſquam vel nodulum in ſtylis aut denticulũ reperiſſe in ſcapis qui huic integro Menſi pubem vllius floſculi polliceatur? Verùm inſtitit Roſa efficaciori imperio: itote Sorores, trinum quem dixi florem maturrimum, decuſſatum, repandum ocyus adferte; quid hæſitatis? quid cunctamini? qui virgam Aaronis florere iuſſit, prouidit & nobis. Iuerunt, & vt Virgo dixerat inuenerunt, tria caryophylla de illomet quem pridie Roſa indicarat cauliculo trepidæ carpſerunt, apportarunt, ſuæque diffidentiæ veniam precatæ cum Roſa in gratiarum actionem Deo ſe proſtrauerunt, inſimul admirabundæ ac lætæ, quòd illa die ſacra Imago cum ornatu tam peregrino in publicum erat proditura: Quodque mirabilius eſt, ab eo tempore quoad Roſa ſuperuixit, eius hortulo nulla anni parte recentia caryophylla defuerunt.

Roſa quæſtionem vrget.

Inueniuntur ex vaticinij fide.

Numquã ampliùs Roſæ hortulo defuerunt.

XIII. Alia vice Roſa ad veſtiendam Sanctæ Catarinæ Iconẽ cum alijs adiutricibus vocarat Mariam Euphemiam de Parejas viduam. Huic periculosè infirmabatur ancilla domeſtica Franciſca nomine, quæ ſimul nutricis fungebatur officio, & tunc quidem Viduæ filiolum Ioſephum lactabat, ſed medicus vi creſcentis morbi perterritus mandarat pridiè, ne infans ab ægra lac ſugeret. Attamen Euphemia ægram ſuam domeſticis anxiè commendans ad Roſam perrexit communi pietatis officio ſuam operam adiunctura. Finitis demum omnibus, ac Imagine decenter exornata Roſa fatigatis ſociabus compatiens, ite (inquit) reſpirate, lentaque deambulatione pariter vos reficite, nam laſſæ eſtis. Reſpondit Euphemia: deambulare me iubes, cum non ignores quæ me domi meæ expectet afflictio? quin tu potiùs apud hanc Seraphicam Matrem qua polles & gratia, & fiducia, vitam ac valetudinem ancillæ meæ exora. Annuit Roſa, ſtatimque ad præſentem Imaginem amica, qua ſolebat familiaritate conuerſa dixit: heus tu glorioſa Mater, num acerbam huius fœminæ afflictionem non vides? ſuccurre huic neceſſitati, nec diſtuleris ſolatium, nũc experiar quàm chara ſint tibi Stigmata noſtri Redemptoris; per illa te obteſtor, periclitanti Franciſcæ ſalutem impetra. Dixit, viduamque conſolata bene ſperare iuſſit, S. Catarinam Senenſem cui modò ipſa famulata erat, famulæ ſuæ diſcrimini minimè defuturam.

Euphemia de Parejas Roſæ familiaris.

Opem a S. Catarina Senenſi per Roſã flagitat.

Roſæ fiducia ſecunda de euẽtu.

ram.

ram. Rectà domum festinauit Euphemia, illic Franciscam suam depulso periculo conualescentem inuenit, adeo vt postridie iubente Medico rursus infanti nutritias vt antè præbuerit mammillas.

XIV. Aliquando eadem quæ supra *Francisca de Montoya* Rosam in exornanda S. Catarinæ Senensis Icone per totam noctem adiuuerat, completoque opere dum nonnihil quietura discedebat, vt post aliquot horas festiuæ Processioni interueniret, Rosa digressam Beatæ Catarinæ impensiùs commendauit, rogans vt ipsam tueretur ab imminenti periculo. Nec sine fructu abijt solicita intercessio: nam dum gyrantem processionem hinc-inde pro magnifico applausu vario fragore excipiunt sulphurata missilium ignium crepitacula, vnum istorum rectà Franciscæ oculum petijt inque supercilium impegit, nullo tamen Franciscæ damno, non quòd deessent nocendi vires, nam idem à Francisca impetu obliquo resiliens aliam corripuit fœminam, eique cum togæ lacinijs intimam subuculam raptim succendit. Francisca sat certa se incolumitatem suam Rosæ orationibus debere, Virgini euentum retulit, ac pro beneuola cura gratias egit. Cui Rosa: quidni curam tui peculiarem haberet Seraphica nostra Mater per totum hunc diem, posteaquā tu integram hanc noctem in eius obsequio mecum laboriosam exegisti?

> Franciscæ de Mōtoya periculum præuidet, auertit.

> Indemni Francisca in aliam desæuit pyrergon.

> Rosa beneficium imputari S. Catarinæ iubet.

XV. B. Catarina in reliquas Imaginis suis vestiarias & excultrices tam munifica vtique in suam Rosam illiberalis non fuit. Vnicum paradigma dabo, & finiam. Anno M. DC. XVI. mense Augusto Rosa B. Catarinæ Iconem in præcipua S. P. Dominici solemnitate circumferendam de more vestierat, eamdem transacto festo deuestiendam in domo Gundisalui Quæstoris exspectabat. Allata est, ac oratorio domestico illata, vt ibi pretioso ornatu quem commodatò à diuersis Rosa acceperat exueretur. Verùm biduo vel triduo ante horrenda arthritis dexteram Virginis manum per omnes articulos importunissimo cruciatu inuaserat, vt non modò operi vel tenuiter attingendo prorsus inutilem reddiderit, verùm etiam pro immanitate monstruosæ inflationis Medicum terruerit grauioris mali atheromata suspicantem. Intumuerat manus ad æqualitatem doliolorum quibus mella selectissima ex Hispanijs Limam deferuntur, vt iam neque digitorum vllus moueri, multò minùs

> Eadem nō minùs in suam Rosam benefica.

> Rosæ manus arthritide tumens & inualida.

forficem

forficem aut quiduis aliud tenere posset vel apprehendere.

XVI. Dies erat Sancti Laurentij Martyris, quando sub vesperam Medicus inspecta manu purulentam meliceridem aut alud quodcumque genus apostematis subesse ratus lenta cataplasmata decreuit applicanda, iussitque in diem posterum distrahendo sanguini venam in læuo brachio aperiri scalpello. Gundisaluus, qui fortè cum Medico aderat, tristi manus spectaculo æger oratorio abscessit velut nimiæ compassioni impar. Sed magis dolebat Rosa, quòd illo die, qui sibi anniuersarius erat assumpti Dominicani habitus, prohiberetur Seraphicæ Matris suæ festiuum habitum solito religionis ministerio contrectare.

Medici de ea iudiciũ ac pauor.

XVII. Itaque coram S. Imagine (quæ adstabat mensulæ imposita) procubuit, breuiterque orauit. Mox consurgens hilariori voce poposcit forfices ab vxore Gundisalui, quæ illic cũ alijs ad opus substiterat. Hæc lusum aut iocum arbitrata subrisit, interrogans quà manu hos arripere velit, sat sciens in dextra sic tumere digitos vt nullis forficum ansulis immitti queant; sicque velut per ludum angustiores quos reperire potuit forfices porrexit. Nec mora: hos Rosa digitis induit, opus arripuit, cœpitque sedulitate liberrima gemmas, torques, monilia suo quo adhærebant ordine disnectere, fila ligaminum aptè dissuere, nodos incidere, ornatum per partes concinnè deponere, Imaginem nudare. Exclamauit denuò Matrona; quid agis Rosa? parce manui ad ista iam inutili; noster hic labor & cura esto. Pergebat alacris Virgo, nec aliud replicuit, nisi quòd idem ille, qui sibi manus dederat, quas vestiendæ S. Imagini impenderet, nunc dextram sanarat, qua eidem deuestiendæ famularetur.

Rosa S. Catarinæ commendat manũ ægram.

Repente conualescit.

XVIII. Post horulam superuenit Quæstor, vidensque Rosam vtraque manu expeditissimè operantem adstupuit, ac leniter interpellans, itane (inquit) dextra tua valet vt ad ista sufficiat? cessa, videamus manum. Vidit, illamque sinistræ nihil absimilem reperit, sanam, valentem, agilem. Marcebat stupore lætissimo Quæstor, ac tacitè in vxorem respiciens pendebat attonitus ab ore narrantis, vt Virgo se in preces ipso abeunte prostrauerat, vt breuissimo interuallo sana in pedes se erexerat, vt strenuè laborem forficibus postulatis fuerat auspicata. Maluit deinde ab ipso Virginis ore modum repentinæ cura-

Superuenit miraculo Questor Gundisaluus.

Virgo modum suæ curationis enarrat.

curationis ediſcere; reſpondit illa: ſe breui illo quo coram Imagine orarat ſpatio ſenſiſſe reducem in articulos vigorem, illoſque detumuiſſe ſtatim violento ſpiraculo, vt ſolet aëre plena veſica dum premitur, ſicque vnà cum tumore omnem pariter euanuiſſe dolorem.

XIX. Accerſitus poſtridie Medicus examinauit manum, deinde Virginem, quæ quod pridie dixerat ſimpliciſſimè confirmauit, totam rei geſtæ ſeriem grato animo in ſuæ Seraphicæ Magiſtræ fauorem, & gratiam refundens. Acceſſit beneficio, quòd exinde nunquam in poſterum arthritis manum illam inuaſit quoad Roſa ſuperuixit. Verùm præſtantius fuit alterum, quod intus Roſæ animam dulcorabat eodem illo momento quo foris conualeſcebat manus; faſſa eſt, modico illo tempore quo cum Sancta Catarina Senenſi de curanda ſua dextera ſupplex egerat, ſimul in intimos cordis ſui receſſus largum inſolitæ ſuauitatis rorem depluiſſe, qui etiam inde exundarit in corpus. Nec mirum ſi medicinæ cœleſtes à centro ad ſuperficiem ſoleant operari, ac priùs animam quàm corpus attingere. Sed mirum eſt hæc Roſæ nequaquam fuiſſe mira, vtpotè cui à B. Catarina Senenſi ceu Matre penè quotidiana erant ex mutuis commercijs ſolatia.

Nũquam in eã manum auſa redire chiragra.

Duplicatur miraculum auctario internæ dulcedinis.

Superna medicina peruadit animam, vt ad corpus perueniat.

CAPVT XXII.

Roſæ feruidus in SS. Euchariſtiam affectus, cultus, deuotio. Pro ea ad agonem Martyrij ſe accingit.

I. SI talia acciderunt Roſæ Virginem Senenſem veſtienti ex aliena ſubſtantia, longè mirabiliora accepit ab illo mirabili Sacramento, in quo Chriſtũ veſtiũt aliena accidentia. Hunc cibũ *parauit in dulcedine ſui pauperi Deus*; attamen recolendum, cui dixerit: *Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me*. Roſa nondum vltra pueriles annos creuerat, iamque hunc manducabat, ſed ipſam Confeſſarij iam ſpiritu grandem repererant, quando tam tenel-

ROSA à pueritia ad S. Cõmunionẽ admiſſa.

læ

lę suæ ætati permiserunt accubitũ in sacro Conuiuio quod *præbet delicias Regibus.* Quinimò de illorum cõsensu bis quot hebdomadis puella reficiebatur Diuino hoc pabulo; maluisset frequẽtiùs, at tunc nondum ei licebat sine Matre adire Ecclesiam. Quàm benè mellifluus Bernardus in suo exclamat iubilo: *Qui te gustant esuriunt!* nam Rosæ à frequenti Communione adeo increuit pascentis Sacramenti esuries, vt paulùm adultiori sacra synaxis ter in singulas hebdomadas fuerit permittenda. Neque id satis erat, nam si qua interueniebat aut festæ diei celebritas aut solemnis statio, etiam quater, imò quinquies intra septimanam diuino hoc edulio auidissimè fruebatur.

Ipsa huius epuli frequentia illi esuriẽ acuit.

II. Confessarij quò penitiùs animæ statum nosse cœperant, faciliùs hanc ei frequentiam indulgebant, vnanimiter attestantes in Processu, tàm limpidam se inuenisse in eius spiritu mũditiem, tamque nitidam innocentiæ puritatem, tantam insuper Eucharistiæ famem, tam robustum deuotionis calorem, vt exinde numquam ausi fuerint à participatione tanti Mysterij Virginem distinere. Vnde facile obtinuit, vt tum in Paschate, tum in solemnitate Corporis Christi quotidie per totas Octauas sibi licuerit vesci hoc delicato Pane Angelorum. Qua in re vt humanum effugeret plausum nec de singularitate notari posset, singulis his diebus studiosissimè variabat horam, nunc maturiùs nunc seriùs ad S. Communionem accedendo, cœlestis enim thesaurus (: monente Gregorio) absconditur vt seruetur: & qui facit quod nemo, mirantur omnes.

Confessarij tã frequentem Communionem inhibere non ausi.

Rosæ industria, vt plausum humanum effugiat.

III. Hic verò notatu dignum est, quòd Virgo in tanta Communicandi frequentia, simulque tanta immaculatæ suæ conscientiæ serenitate nihilominùs quotiescumque ad Diuinum epulum accedendum erat, toties sacramentalem Confessionem præmittebat, nec perfunctoriè, sed ea solicitudine examinis, eo contritionis stimulo, eo gemituum ac lachrymarum apparatu, ac si per hebdomadas & menses vtroque Sacramento penitùs caruisset. Pridie sacræ Communionis asperiùs emacerabat corpusculum flagellis & rigido ieiunio, vt famem animæ comitaretur esuries corporis; venturo Sponso adornabat secretum mentis thalamum affectibus reuerentiæ, humilitatis, ac desiderij, acccendebat piarum meditationum lumina præcipuè ex Ludouici Granatensis libello qui de Oratione inscribitur; vaporabat habitaculum cordis sui pretiosis odoribus ignitarum

Rosa quò purior, cò sacræ exomologesis studiosior.

Christo præparat in corde suo grande cœnaculum.

tarum aspirationum, totamque omnium suarum potentiarum ac virium familiam colligebat in obsequium chari hospitis postridie ad ipsam diuersuri. His verò exercitationibus tantum insumebat studium & curam, ac si per totam vitam suam pro illa dumtaxat vnica vice communicandum sibi fuisset.

Ingens solicitudo dignę pręparationis.

IV. Porro in ipso ad tremenda illa mysteria accessu quis fuerit Virgini attentissimæ deuotionis ardor, quæ vultus gestuumque religiosa compositio, quod bullientis spiritus incendium, aliter describi non potest, quàm si ipsammet quis Catarinam Senensem Eucharistico bolo excipiendo procubuam, hunc transcribendo delineet. Verùm Angelico ad hoc opus foret tum calamo tum penicillo. Nec tamen omnino id latere permisit Altissimus, dum pluries in vultu Rosæ visibiliter scintillare fecit interioris flammæ indices euibrationes atque stricturas, tunc cum anima sumptione Diuinæ hostiæ succendebatur.

S. Cat. Senensem sub Diuina Synaxi ad viuum exprimit.

Flammescit igne Charitas, & vultus radiat.

V. Quadam feria secunda Pentecostes in sacello Rosarij sacris operante P. Fr. Antonio Rodriguez Prædicatore generali, Rosa cum alijs fidelibus adgeniculabat cancello Altaris Eucharistiam receptura. Ad hanc vbi Sacerdos cum sacratissima Hostia peruenit, faciem Virginis totam flammeam vidit & medullitus expauit, nondum gnarus quid indicaret mira hæc & improuisa coruscatio. At postea ex crebriori eiusdem prodigij successu didicit Rosam esse, cui ad sacratissimæ hostiæ contactum interior subitò micabat amoris rogus, tam viuidus ac potens vt vel exteriorem faciem mutaret in facem.

Expauescit Sacerdos, Virgini S. Hostiam porrigens.

VI. Magister Fr. Ludouicus de Bilbao post Missam in eodem Sacello dum Virgini S. Synaxim porrigit, notauit sæpius, vultum ipsius cœlesti splendore perfusum, ita quòd præ fulgoris vehementia sibi tremuerint oculi velut impares illi sidereæ claritati, quam gratiæ venustas conspicuè accenderat, & panis Angelorum in Angelicam (: vtì aiebat) pulchritudinem mirificè transformarat.

Rosa coruscat facie Angelica, dum communicat.

VII. Magister Fr. Ioannes de Lorenzana simillimo ostento feliciter perculsus occasionem inde obtinuit penitiùs Rosam cognoscendi, quam illactenus numquam de facie nouerat. Litarat & ipse in Rosarij Sacello, & post sacrificium promiscuo populo ibidem communicaturo Sacramētum distribuebat. Ad Rosam vt venit, (quæ vt S. Hostiam sumeret, illo momento

Io. de Lorenzana ignitum Communicantis vultum miratur.

vultum ora pallij reducta detegebat) vidit speciem humana formosiorem, claram, niueam, fulgentem, ac cœlesti quadam pulchritudine obradiatam; Transiuit; certus eiuscemodi coruscum decorem à mortalitatis nostræ regione non esse. Mox cogitabundus ait intra se: quæcumque est hæc Virgo, sublimi apud Deum gratia polleat necesse est, vtinam animæ suæ tam lucidæ ac flagrantis intimum statum nosse liceat. Factus est deinde voti compos, dum minimè cogitabat, nam superna prouidentia hunc posteà Rosæ non modò Confessarium dedit sed & Præceptorem, cui Virgo obedientiam vsque ad mortem velut regulari suo Superiori exhibuit.

Statum illius animę nosse exoptat.

Fit cōpos voti, dum minùs cogitabat.

VIII. P. Fr. Bernardus Marques dum adhuc Nouitius sacrificantibus in Sacello Rosarij subinde ministrabat, ac de more post Sacerdotem ablutionis scyphum communicantibus circumferebat, quotiescumque coram Rosa cum scypho substitit, sensit à Virgine tamquam è clibano aut fornace vaporare ardores, vt interdum putarit sibi manum comburi qua pateram seu porrigebat seu resumebat. Verùm tunc mysterij ob ætatem ignarus, tacitèque mirari contentus præteribat, sed post annos 15. ab obitu Virginis iam Sacerdos iudicioque maturior prodigium vtì acciderat sub fide iuramenti enarrauit, adijciens ex eiuscemodi sacris ardoribus sibi iuuenculo rude cor nihilominùs concaluisse arcana veneratione præsentis Sacramenti, quod suscipi tanta religione & æstu viderat.

Accendit ardor proximos.

Ministri ablutionē porrigentis arcana compunctio.

IX. Voluit Deus per extima hæc & sensibilia vtcumque manifestari foris, quanta deuotionis pyra flagrabat intus. At huic cum accedebat corporaliter is qui *ignem venit mittere in terram*, non aliter atque inter Seraphim videbatur sibi Rosa ceu tota empyrea ambulare in medio lapidum ignitorū. Hinc in ipsius anima mirabiles illi effectus tamque isti Sacramento cōnaturales ac proprij, quos nemo nouit, nisi qui accipit. Iubentibus Confessarijs obtemperans Virgo conabatur ex his nonnullos indicare, sed penè in singulis hærebat verbis, causata vocabulorum inopiam, nec aliter de ijs fari nouerat, quàm quòd ineffabiles dictitaret. Aiebat tamen, ex Virginea Dei carne in animam suam diffundi quamdam admirabilem mansuetudinem cœlestis Agni, simulque vegetari se inusitato robore ex nobilitate huius nutrimenti, instaurari ac refici vires per quamdam velut nouam transubstantiationem sui spiritus in hoc

Eucharistiæ miri effectus in anima Rosæ.

Iussa effari ineffabilia.

Diuini pabuli sapores edicere conatur, & deficit.

in hoc Diuinum alimentum, suaue, succosum, potentissimum; interea clarescere in corde suo placidam altioris sphæræ serenitatem, pacem, temperiem nulla comparatione explicabilē.

X. Porro de immensitate gaudij ex arcta vnione cum Spōso amicissimo, de fruitionis altitudine, de spirituali sapore veræ dulcedinis vbi gustatur in suo proprio fonte, de fructuum præstantia, copia, sagina, deque similibus pigebat tentare quemcumque sterilis elocutionis modum, sat erat in his, aut planè elinguem fieri, aut compendio protestari, nil esse iucunditatis, lætitiæ, iubili in isthoc mundo inferiori, quod vel vmbra-tenus assimiletur gaudio istius pretiosi conuiuij, vbi infinita animæ fames incidit in pastum Deo dignum, in cibum filiorum, in mammillam Verbi Incarnati, quod solum *esurientes replet bonis*. Ex ore Virginis hæc audierat Confessarius P. M. de Lorenzana, qui adstans eidem iam moribundæ, dum pro extremo viatico sacram hostiam in extasi sensim deglutiebat, hæc pauca subiecit: Filia, nunc fruere Sponso tuo, ac sola cum solo deliciare, quia verè dulcissimus est, pete vt more suo ijsdem nunc bonis te repleat quibus solebat.

Nec lingua valet dicere, nec litera exprimere.

Fruitio omnis Boni inchoata.

XI. Alius itidem Rosę Confessarius meminerat dicere solitam, quòd in Sanctissima Communione sibi videbatur ipsummet è cœlo Solem in pectus recipere, nam quidquid Sol visibilis operatur in mundo, dum luce & calore omnia recreat, dum terram floribus & fructibus obornat, dum maria vnionibus, montium viscera gemmis ac pretiosis metallis ditat, dum auiculas cœli lætificat, plantas & animalia vegetat, omnesque vasti hemisphærij angulos diffusa amœnitate collustrat, succendit, deaurat, id totum in nudis animæ suæ spatijs efficere Dominicæ carnis realem præsentiam. Et forsitan ob id Virgini datum fuit diuinitus, quòd plerumque species sacramentales in eius stomacho ad septem vel octo horas perdurarent, antequam ventriculi calore dissoluerentur, nempe vt interea sub hoc diuino Sole fortiùs incalesceret deuotum pectus, & viuifica Sacramenti coniunctione vegetiùs foueretur.

S. Hostia in Rosa, quod Sol in Mundo.

Illustrat, accendit, vegetat, ornat, reformat.

Durant species Sacramentales in Rosæ pectore.

XII. Ne isti Solares effectus omnino laterent abditi, prouidit Christus, dum ex ipsismet foras redundare fecit vsque in Rosæ corpusculum duo prodigia, robur & saturitatem. Robur ex S. Communione deprehendit in filia Mater, nam quotiescumque Rosa S. Synaxim receptura Templum adibat cum pa-

Redundāt in Rosæ corpusculum robur & satietas.

rente, ex pridianis ieiunijs, flagris, ac vigilijs tam fessa, attenuata ac debilis erat, vt sæpe per viam in angiportis hinc- inde fuerit vtrique subsistendum quoad lassa Virgo recuperaret anhelitum. Sed Diuinæ buccellæ refecta pabulo, cum à Templo redibat domum, præibat Matrem, & hortabatur sequi, velut si in fortitudine cibi illius vsque ad montem Horeb fuisset ambulandum.

Rosa innixa super Dilectum redit fortior quàm venerat.

XIII. Corporalem verò ex Eucharistico pastu saturitatem, ipsamet Rosa tum Confessarijs tum domesticis fassa est. Nam reuersa domum & vixdum euoluta palliolo rectà properabat ad secretum cubiculi, ibi in seram vsque noctem se recludens meditabatur suscepti beneficij magnitudinem, neque in vllius prodibat conspectum aut conuersationem. Rogata cibum sumere, maximè quòd pridiano exhausta ieiunio videretur refectione indigere, meminissetque diem dominicum à lege ieiunij exsortem esse, respondebat, præ ingenti satietate à mensa Domini alium se cibum admittere nondum posse, adeo vt citra extremam vim & cruciatum nec panis bolū glutire, nec aquæ guttulam sorbillare se posse aduerteret. Vt ergo ita esse reipsa comprobarunt, desiere cibi mentionem importunè ingerere, sicque Virgo cum sua saturrima inedia vsque in vesperam, subinde in sequentem vsque diem perseuerabat.

Mira vis Diuini alimenti.

Rosa a S. Communione incapax alterius refectionis.

XIV. Accidit, quòd Rosa per integram quamdam Octauam permissu Confessarij dietim Altaris Sacramento pasceretur, & tunc quidem integro illo octiduo ab omni abstinuit corporali alimonia, eò quòd superna illa saturitas non tantùm reliqui edulij omnem abegerat appetitum, sed planè cuiuscumque alterius alimenti reddiderat pro illo tempore incapacem. Simillima hæc sunt ijs quæ de S. Catarina Senensi prodit vitæ suæ historia, vt pateret euidentiùs, vno vtramq; spiritu excelluisse.

Octiduum absq; corporali cibo transigit.

XV. Ceterùm quanta religione solita fuerit Rosa venerari hoc Sacramentum, sicubi aut immolabatur in Missæ sacrificio, aut prostabat adorandum in Altari, vtcumque supra attigimus. Missas quidem auscultabat omnes quotquot in Æde FF. Prædicatorum celebrabantur; his intererat vsque ad meridiem tanta quiete ac silentio, quanto nec lapis in suo defigitur centro. Et reuera proprium Rosę centrum S. Hostia erat vbicumque eam poterat visu assequi, huc toto ferebatur amoris pondere, adeo vt horis integris vix (:aut fortè ne vix quidem) nictu vnico cilia

Sacrificio Missæ attentissima inhiat.

Sacramentum Altaris centrū Rosæ.

demisisse, multò minùs faciem vel ad momentum ab ara deflexisse notata sit. Noti ignotique ponè transibant coram geniculata Virgine, ac ferè incurrebant in oculos, nec tamen ipsa quemquam tunc norat, nec vel leuiter mouebat palpebras, intentissima ijs quæ gerebantur in Altari, quorum intuitum forsitan alieni obiecti intercursus nec obiter eclypsabat.

Ab eius obtutu re nulla distrahitur.

XVI. Idem Virgini erat immotæ attentionis tenor, quando in hierotheca expositum venerabile Sacramentum adorabatur à populo, vt fit in publicis 40. horarum supplicationibus: illic à manè vsque ad vesperam continua & prorsus immota geniculatione hærebat Rosa oblita prandij, neque vel aquæ guttulam acceptabat in refrigerium, contenta iubilo atque delicijs quas percipiebat ex corporali Sponsi præsentia. Sic per totam quæ festo SS. Corporis Christi appendet solemnem octauam integros illos dies transigebat coram patulo extantis Sacramēti tabernaculo, mirantibus præcipuè Confessarijs, vnde tam extenuato corpusculo vires suppeterent ad genuflexiones tam prolixas, continuas, arduas cum dierum inedia sustinendas.

In adoratione S. Hostiæ dies integros immota geniculatur.

XVII. Videbatur fortitudo lapidum fortitudo eius, & caro eius ænea, id quod inuictissimus Iob sibi deesse querebatur. Porro quatuor postremis vitæ suæ annis in maiori (: quam vocamus) hebdomada, quàm diu sacrum Christi corpus adorabatur clausum de more in monumento, neç noctu inde recedebat affixa tumulo Rosa, nec loco vbi feria v. genua fixerat surgebat, donec postera die Parasceues Diuinus ille thesaurus (: cum quo semper erat cor suum) transferretur ritu solito ad tabernaculum.

In Parasceue quā assidua S. Sepulchri excubitrix.

Interim esuriei, sitis, lassitudinis immemor, tota occupabatur cum dilecto, ea quidem veneratione ac reuerentia, vt toto 24. horarum decursu nec sedere coram illo, nec muro contiguo tantisper acclinari præsumeret.

Totis 24. horis ei procubua sine corporis sustentaculo.

XVIII. Neque segnior erat ad cultum huius adorandi mysterij, etiam quando extra conspectum erat. Quotiescumque in colloquio seu proprio, seu alieno ore nominabatur sanctissimum Altaris Sacramentum, Rosa capitis totiusque corporis profunda inclinatione reuerentiam testabatur. Sicubi audisset eminus campanis signum dari ad eius adorationem, vel *sacris* eiusdem *Solemnijs* tintinnabula præsonare, subitanea intimæ lætitiæ signa cohibere non poterat, quin cor & caro sua exul-

Ad omnē Eucharistiæ mentionem prona in reuerentiam.

exultarent in Deum viuum; succendebatur viuidior in facie color, & exultabat spiritus eius in Deo salutari suo. Auscultandis verò de ineffabili hoc Mysterio solemnibus panegyricis nusquam satiari poterat, illosque semel auditos penè verbatim post annorum interstitia recitabat mira felicitate memoriæ.

Altarium cultui & ornamẽtis conficiendis addictissima.

XIX. Nullus ei manuum labor iucundior erat, quàm quo Altare, tabernaculum, aut in Maiori hebdomada S. Sepulchrũ veniebat exornandum. Hinc tanto deuotionis studio suebat lintea quę *corporalia* dicimus; mappas & pallas altarium, operimẽta calicum, vela bombycina, & quidquid textile ad sacram hanc supellectilem spectare poterat, omni pietatis ingenio, arte, elegantia conficiebat. Insuper viuis floribus neutiquã contenta pretiosiores è filis sericis fingebat versicolori artificio; addebat eiusdem sumptus & operis ramusculos prasinos, porraceos, herbidos, omnique viroris amœnitate variegatos.

Mater sumptuosam filiæ deuotionẽ improbat.

XX. Non probabatur Matri sumptuosa Filię deuotio, ægrèque ferebat tantum temporis subduci alijs Rosæ laboribus qui parentes & inopem familiam sustentabant. Itaque Virgo vt Matri satisfaceret, post diurni laboris pensum aliquam noctis partem conficiendis Altarium ornamentis seponebat. Verùm & hoc Patri spirituali (: forsitan suggerente & exaggerante Matre) visum filiæ vires excedere, sed huic grauiter respondit Rosa: nolim haberi tam delicata, vt pro Sponsi mei ornatu vnicæ noctis labor aut nimius mihi sit aut molestus: quæ enim tam socors aut otiosa fuerit nupta, cui durum sit noctem impendere ornamento & cultui quo maritus eget vt postridie decenter in publicum prodeat!

Confessario appositè respõsum à Virgine.

Prensare nititur occasionem martyrij.

XXI. Denique erga Sanctissimæ Eucharistiæ mysterium is Rosæ affectus erat, quo maluit pro illo sanguinem vitamque expendere quàm flores. Nec longè abfuit præsentanea occasio. Anno M.DC.XV. mense Iulio circa litora Peruana in Oceano *Pacifico* hostilis comparuit Batauorum classis, oramque totam improuisa exterruit. Vbique conclamatum ad arma, & interim Clerus vterque (: vt fit in publicis periculis) Diuina imploraturus præsidia Limæ per omnes Ecclesias SS. Corporis Dominici Sacramentum exposuerat palam ab imbelli multitudine adorandum. Tandem ipso Beatæ Mariæ Magdalenæ sacro peruigilio visa est formidabilis illa hæreticorum classis acie disposita in ipsum Limensis emporij portum(: *Callao* indigenis dicitur)

Classis Batauа tentat ac terret Peruuiam.

Imminet Limensi portui.

dicitur) rectà procurrere, velut in Vrbis excidium militares suas copias effusura in terram. Mox tota vrbe trepidatum est, iussique cum Ciuibus Ecclesiastici arma corripere, siquidem certum erat, Caluinianum hunc hostem non solis incolarum fortunis & iugulis, sed & sacrorum profanationi, Templorum spolijs, Religionis exterminio sæuissimè inhiare.

Concurritur ad arma.

XXII. Inter hæc Rosa, quæ cum honestis Matronis in Ecclesia S. Dominici exitum horum tumultuum expectabat, soli metuebat prostanti in ara Diuinissimo Sacramento, cui vtique sacrilegæ manus perfidæ gentis parcituræ non erant, fortasse nec pedes, quin illud ausu horrendo protererent, humiq; proiectum rabie blasphema proculcarent. Tristius interea nuncium superuenit vsque ad Rosam, nempe inimicos Fidei ex alto nauium in lembos, inde in arenam prosultare manipulatim, & ad portas Ciuitatis globatim procedere. Inanem hunc rumorem ipsa publici timoris caligo pepererat, sed tamen sexum inermem qui cum Rosa in Templo substiterat, sic perculit vt propemodum exanimaret. Sola Rosa tantùm abfuit quòd sibi metueret fugamue aut latibulum circumspiceret, vt potiùs triumphanti similis ingentis lætitiæ signa cohibere nequiuerit, rata nimirum adesse felicissimam totque suspirijs optatam horam, qua posset pro honore prostantis ibidem Sanctissimi Sacramenti vitam animamque profundere.

Quid Rosa in illo tumultu metuerit.

Crescit ciuium ex metu rumor, ex rumore metus.

Exultat Rosa solo martyrij desiderio animosa.

XXIII. Itaq; socias obiter secum in D. Hieronymi sacellum traxit, illic exporrecto in hilaritatem vultu pauidas hortari cœpit ad subeundum secum martyrium, occasionem hanc nimis pretiosam esse ac fortunatam, videlicet non quomodocumque sed sub ipso S. Hostiæ conspectu hostiam cadere, coram & pro Diuina illa victima victimam cædi, pro exposito Christi corpore animam exponere. His facie rutilante prolatis exemit vagina forfices, sibique vestem quà longior in terram defluebat, alacriter præcidit, manicisq; in cubitum vsque replicatis quod reliquum erat tunicæ intra cingulum vsque ad talos attraxit, cothurnos subere subleuatos exuit. Interrogata quid ageret, quid sibi vellet hac nouitate, ad agonem (inquit) me succingo, nolo mihi impedimento sint panni luctaturæ ac morituræ pro Sacramento: in breui hac veste expeditior conscendam superiorem Aræ crepidinem, illic pro Christi corpore corpus meũ vulneribus obijciam, nec cedam donec impiorum bipennibus

Rosæ ad Socias cordata parænesis.

Vestes sibi truncat, certatura pro S. Sacramento.

vndi-

Idē olim S. P. suo Dominico votum fuerat.

vndique perfossa cadam; quinimò precabor hostes ne vno ictu repente me conficiant, sed lenta crudelitate articulatim corpusculum hoc totum deartuent, inque modicissima frustula partes singulas comminuant, vt dum in me excarnificanda occupabuntur, differant saltim iniurias quas eheu! postea irrogabunt præsenti Sponso meo.

Pro Christo imbellis damula repēte fit leæna.

XXIV. Hæc ita pronunciabat, vt ex oculorum scintillis, ex impauidi vultus constantia, ex viuaci tono heroicæ vocis ceteroque gestu animosæ Viraginis facilè conijceretur Rosam pro Eucharistico Altaris Agno leænam induisse: nec circumstantes fœminæ suismet credebant oculis, videntes Amazonem, quæ hactenus nonnisi viua mansuetudinis idæa fuerat. Mirabantur Virginem modestissimam in publico reuoluto circa humeros pallio, veste curta, proiectis crepidis, liberrimis brachijs, alto præcinctu, solisque Rosarij globulis precarijs ferociter obarmatam spe martyrij vltra lacessere fatalem horam, ac morti pugnacissimè minitari.

Tota Rosę panoplia in Rosario.

Certaminis horam vltro prouocat.

XXV. Interim ipsa velut moræ iam impatiens nunc experiri incessum, nunc ad Aram sacramque Hostiam, mox ad Ecclesiæ fores prospectare si quà venirent hostes quibus ipsa velocior ad Altare conuolaret; certa ibidem occumbere; iam venis arterijsque omnibus bulliebat Virgini sanguis effundi auidus; verùm dum exspectat, dum agoni se præparat, dum socias exemplo, gestu, hortatu inuitat, nunciatur hostem longiùs abire à litore; & ita erat: nam Archithalassus morbo correptus receptui cecinerat; Rosa disploso aliorum metu cœpit verecundari ipsa de breuitate tuncatarum vestium, & vt decenter rediret domum, necesse fuit in prædicto sacello noctem expectare cum dolore erepti martyrij, quamquam gratularetur patriæ liberatæ, ac præcipuè inuiolatæ Templorum religioni.

Mutat hostis aggressionis consilium.

Dolet Rosa ereptā occasionē martyrij.

Quàm cupida pro Christo vitam ponere!

XVI. Defuit ergo non martyrio animus, sed animo martyrium toties & ante & postea votis ardentissimis exoptatum; nam crebrò deflebat sortem suam, quòd pro conditione sexus infidelium regiones adire non poterat pro Christo millies mortem quæsitura: dolebat se non illis temporibus, locisq; natam vbi tyrannica persecutio Christianorum sanguine orchestras, fora, amphitheatra purpurabat; inæstimabilis sibi videbatur illorum felicitas, quibus datum fuerat vltima gutta sanguinis obsignare fidei characterem, sæpe cũ gemitu dicebat familiari

D. Fran-

D. Franciscæ Vrtado de Bustamante: vtinam idonea ratio modusue occurreret adornandi fugam ad barbarorum prouincias, vt illic ab idololatris pro Iesu Christo immanissimè trucidemur. Denique cum aliud non poterat, oblectabat se imagine, ac meditatione suppliciorum, quæ sigillatim omnia pro Sponsi amore desiderabat in se experiri. Ità cupiebat cum sancto Martyre Ignatio mundus Christi panis inueniri pro illa charitate qua Christus *Panis Angelicus fit panis hominum*.

Optat barbarorum adire prouincias mactanda pro Christo.

CAPVT XXIII.

Rosæ eximius pro periclitantium animarum salute zelus.

I. QVÆ tam masculè ardebat circa Mysterium quo verum Christi corpus velatur, non poterat mystica eiusdem membra negligere, sicubi videbat hæc ancipiti perdendæ salutis discrimini patere. Nouerat æstimare animas ex infinito pretio quo redemptæ sunt: hinc quoties ad interiora meridionalis Americæ montana flectebat oculos, cruciabatur medullitus, illachrymans perditioni tot barbarorum qui post illa niuosa altissimarum costarum iuga formicatim innumeras sed inaccessas conualles populabant, auita adhuc idolomania obcœcati. Deplorabat inconsolabiliter vicinum Chili regnum, vbi dietim per myriades peribant animæ; ex quo feroces incolæ excusso Regis & religionis iugo redierant ad pristinę gentilitatis vomitum. Nec solis suis occiduis Indis condolebat, sed quidquid nationum vastissimi Chinarum tractus, aut Orientis Imperia continent, Rosæ quotidiana plangendi materies erant. Optabat visceratim discerpi ac retis instar obpandi latissimæ viæ qua tot miserabiles animæ ruebant ad infernum. Hic nimirum spiritus erat Seraphicæ suæ Magistræ, quæ & ipsa optauerat (: si fieri posset) suopte corpusculo obturari gehennæ fauces, ne tam populosæ animarum cateruæ illuc deinceps immigrarent, suæque frustrarent lytrum redemptionis.

Montanũ Americæ meditullium ab idololatris populatum.

Regnum Chilense in gentilitatem relapsum.

Rosæ votum pro animabus pereuntium.

II. Accidit, vnum ex Rosæ Confessarijs tractare de sua missione ad annunciandum vicinis Barbaris Euangelium. Hunc

Hortatur Confeſſarium ad Miſſionē ſubeundā.

itaque ambire Virgo, hortari, ſtimulare verbis ardentiſſimis, obſecrare ſeriò, nil metueret, maturaret iter, ſubueniret pereuntibus, Deo acceptius obſequium præſtari non poſſe, Apoſtolici pectoris & dignitatis id eſſe munus cui Diuina adſiſtentia deeſſe nequeat, denique in tanti ſudoris mercedem ac ſolatium ſat fore, ſi vel vnicum apud infideles infantem per Baptiſmi ianuam ad ſuperos tranſmitteret. E contra ille experimentum quærens eius qui in Virgine loquebatur Chriſtus, velut ambigenti ſimilis extenuabat vires ſuas ceu tanto miniſterio parùm idoneas, exaggerabat difficultatem operis, famem, ſitim, ferarum pericula, æſtum, laſſitudines, exilia, demum & venena quibus gens illa truculentiſſima minimèque hoſpitalis in exteros Fidei præcones ſæuire ſolebat. Verùm tamen ſubdebat, plurimum ſe præſidij ac ſpei in Roſæ orationibus, ieiunijs, ceterorumq; bonorū operum fido ſuffragio collocaſſe.

Barbari veneno in Prædicatores ſæuire ſoliti.

III. Hìc Virgo, tametſi de ſuis pijs operibus humillimè ſentiret, nihilominùs vt iturienti quantacumque poterat calcaria figeret, concepta ingenti fiducia promiſit vniuerſo exercitiorum ſuorum merito ſe illi in ſancta expeditione ſuccurſuram, dummodo is viciſſim pro rata ipſam participem vellet totius ſpiritualis lucri quod ex infidelium conuerſione erat reportaturus. Anuuit Confeſſarius, vtpote ſat conſcius quanta coram Domino ſpirituum ponderatore eſſet Virgo, cum qua de mutuo fœnore paciſcebatur. Sic tandem vtrimque ex pacto conuentum eſt, quòd Roſa huic Confeſſario medietatem cederet omnium fructuum quos interea ex toto bonorum operum exercitio ſe concumulaturam ſperabat: ac viciſſim ille dimidium lucri tranſcriberet Virgini ex conuerſione animarum, quas ſua prædicatione in viam ſalutis erat attracturus.

Confeſſarij Roſęq; mutuum fœnus ex conuerſione infidelium.

IV. Eodem feruore ſpiritus nitebatur pia Virgo Religioſos viros (: quotquot aptos nouerat:) ad gentilium conuerſionem ſuccendere: præſertim ſui Ordinis Fratres rogabat, monebat, obteſtabatur, huc huc ſuos in literis profectus intentione tempeſtiua deſtinarent, hunc generoſum, præclarum, ſublimem ſtudijs ſuis finem ſcopumque præfigerent, vt reſiduis Americæ plagis quidquid idololatriæ vſquam ſupererat profligent, vt in horreum Domini copioſos Indorum manipulos comportent, vt millenas animarum chiliades ab æternæ damnationis voragine eripiant; non nimis hærendū eſſe in ſubtilitatum apicibus,

Sui Ordinis Fratres animat ad Indorum catecheſim.

non

non languendum circa inutiles vocularum controuersias, malè locari tot scholarum labores, tot noctes insomnes, tot disputationum clamorosas raucedines, si tantis parta sudoribus eruditio proximorum saluti Fideique propagationi non impendatur, si ad metam inertis otij, ad vanitatem plausumque inanis pompæ, vel in temporario laureatæ frontis honore prætumidè conquiescat, oscitet, desideat.

Literarum studia ad proximorum salutem dirigenda.

V. Asseuerabat graui sensu & impetu, se nisi fœminam natura finxisset, hoc primum in votis fuisse habituram, vt decursa studiorum literariorum encyclopædia se totam missioni Euāgelicæ deuoueret, cupida adire gentes ferocissimas, belluinas, anthropophagas, dummodò suis Indis adhuc gentilismo implicitis opem ac remedium sua catechesi, sudore, sanguine impertiret. Nec sinebat Virginem tantæ commiserationis affectus quiescere, vnde rationem excogitauit, qua (: nisi morte præuenta fuisset) sperabat in Apostolicæ missionis negotio supplere per alium quod per semetipsam præstare non poterat. Nimirum conceperat animo adoptare sibi alicunde pupillum inopem & vndiq; desolatum, quem à primis vnguiculis ipsa materno studio ad virtutem & literas educaret ex pijs familiarium sibi Matronarum eleemosynis: huic puero mox à teneris proposuerat firmiter ac sensim implantare auida Euangelicæ missionis desideria cum paruulo gradatim adultura, ac interim prouidere vt in pietate sacrisq; disciplinis accuratissimè formaretur, donec grandior factus ac Sacerdotio ritè initiatus iam censeri posset idoneus operarius ad laborandum in conuersione gentilium. Tunc verò statuerat Virgo hoc vnicum ab alumno exigere diuturnæ alimoniæ maternæque solicitudinis præmium, iret, properaret ad Gentes Christianæ legis ignaras, trophæum salutis in medio barbararum nationum erigeret, & quotquot posset animas à restibus diaboli strenuè explicaret. Hoc supplemento credebat Rosa vtcumque satisfactum iri generoso ardori suo, quo vltra fœmineam mensuram ac modum auida sitiebat salutem proximorum.

Dolet Rosa ad Missiones sibi obstare sexum.

Meditatur suo impendio educare puerū ad Missiones.

Mors præueniens opus eximium impediuit.

VI. Nec tepidior ei zelus & cura fuit erga periclitantes Christianos, si quos nouerat aut per culpam mortalem à statu Diuinæ amicitiæ infeliciter excidisse, aut capitali aliquo vitio ad certum interitum illaqueari. Pro his verè miseris quotidie cruenta sibi infligebat verbera, gemebat, suspirabat coram

Pro peccatoribus seipsā Rosa cruentè discruciat.

offenso Numine, nullique parcebat lachrymarum sumptui, vt talibus sinceram scelerum pœnitentiam vitæque seriam emendationem à Deo exoraret. Aiebat, si quoquo modo sibi licuisset Prædicatoris fungi officio, vtique se opertam horrido cilicio, nudipedem, squalidam interdiu noctuque per omnes Limensium vicos, & compita circumlaturam crucifixi Redemptoris imaginem, & vbique per fora, per triuia, per angiportus idemtidem clamore lugubri vociferaturam: resipiscite, ò resipiscite peccatores, recedite à vijs pessimis quibus pecudum instar ducimini ad macellum stygij Lanionis, fugite, declinate lubrica infelicissimæ æternitatis præcipitia qui vnico eoque incertissimo fugacis vitæ momento distatis à gehenna, agnoscite periculum cui vos implicuistis, misereamini vestrarummet animarum oues perditæ, quas bonus Pastor per spinas & tribulos, per sudores sanguineos, per vulnera & crucem requirit vt saluet; ò festinate reuerti ad hunc propitium Redemptorem quem si nunc spernitis, nulla supererit in inferno redemptio.

Quid actura, si ei prædicare licuisset.

Apta prędicatio, quæ à pœnitentia incipit.

VII. Hæc plerùmque misericors Virgo tam luculento efferebat pectoris incendio, tantoque inflammati cordis affectu, vt non rarò audientes compunxerit, neque iam Rosa priuatim inter familiares, sed Ionas inter Niniuitas videretur reipsa ordiri pœnitentiæ concionem. Aderat fortè P. Fr. Antonius Rodriguez titulo, gradu, officio Prædicator generalis: ad hunc conuersa Virgo pari tum feruore tum fiducia (: quam regebant modestia & charitas) sic illum affata est: Aduerte ò Pater, quòd Diuina clementia te esse concionatorem voluit vt perditos ac obstipos peccatores ad frugem reducas. Igitur caueto, ne tuæ facundiæ diues talentum in plausibilibus acutorum conceptuum flosculis inutiliter consumas; apage hos inanium argutiarum calamistros, facessant theatricæ ostentationis cothurni & phaleræ, memineris à Domino te constitutum piscatorem hominum, robustius tibi laxandum est rete in capturam peccatorum; hoc age obsecro, hoc vnicum stude & conare, vt quàm plurimas flagitiosas animas vorticibus eximas, vt ab ima vitiorum charybdi perituros euoces, & ad salutaris pœnitentiæ securum litus educas.

Rosa dum solo affectu prædicat accendit.

Antonio Rodericio veri Prędicatoris officium inculcat.

Fructus, non ostétationis gratia prędicandum.

VIII. Euenit, dum adhuc Matri cohabitabat Rosa, iuuenem genere quàm moribus nobiliorem *Vincentium Montesium*

sium Venegas in eadem platea haud procul à Rosæ ædibus sortiri domicilium. Is miratus Virginis eximiam pulchritudinem, at vnà certus nuptias sperari non posse, quærebat occasionem qua saltim oculos liberiùs pasceret in Rosæ pudicissima venustate. Igitur Matrem adijt, prætexens aliquot sibi ex tenui carbaso pretiosis collaribus opus esse, hæc se velle à Rosa confici, quam constabat eo opificio victum parentibus lucrari. Sedebat labori manuum cum puellis intenta Rosa, cui Mater innuit, audiret Vincentium, deque pretio ex more & æquo coram se conuenirent. Iuuenis coram Virgine sedere iussus comiter ex vrbano ritu sciscitari cœpit quì valeret, venisse se pro demandando opere conficiendorum aliquot collarium: petijt in singula quot vlnæ melioris telæ forent necessariæ, quibus impendijs quo loco aptiùs emenda materies, intra quod tempus absolui possit opus.

Vincentij Montesij lasciua curiositas.

Prætextū inuenit, quo Rosæ liberiùs confabuletur.

Blanditiæ ciuilitatis.

IX. At Virgo diuinitus edocta secretum quod corde premebat Vincentius, efflictim misereri cœpit fœtentis animæ, in qua stagnabant lubricæ iuuentutis impura desideria; oculisque cum gemitu in cœlum eleuatis, ô (inquit) bone Iesu! quàm longanimis est patientia tua! tu verò nobilis Vincenti ignosce, & locum da veritati quam tibi dictura sum: longè alias quàm de collaribus cogitationes versat cor tuum; vis ingenuè tibi dicam ad quid veneris? at parco rubori tuo; iuueniliter agis, & doleo vices tuas. Dole etiam tu, ac resipisce. Mendacium est quidquid ad Deum non ducit, animam interimit quidquid carni petulanti lenocinatur. Agnosce Vincenti periculum tuum, corrige animum vanæ oblectationis nimio venatu districtum, stude cautiùs ambulare in semitis mandatorum Dei ne pereas: en quidquid coneris tegere, non latuit Sponsum meum intentio tua.

Rosa diuinitus cor Vincentij introspicit.

Hypocriseos laruam modestè detrahit simulanti.

Nil tam occultum quod Virginis Spōsū lateat.

X. Hac improuisa Virginis concione ictus Vincentius deiecit oculos, seseque introspiciens aliquantisper obmutuit. Denique iam mutatus ab illo qui paulò ante fuerat, sic Virginem affatus est: sentio in te loqui Christum, qui solus me tibi sic detegere potuit vt intima praui cordis mei penetrares; cedo igitur pio & ignito hortatui tuo, sequar inuitantem ad meliora Deum, tu illum mihi propitium fac reddas, vt quod hodie in me cœpit perficiat. Addixit Virgo suarum precum fida subsidia, comiterque dimisit hominem, qui exinde iuuenilibus desiderijs

Vincētius se detectum miratur, fatetur, conuertitur.

siderijs valefaciens grauem ac sobriam viuendi rationem instituit, adeo vt singulis octiduis minimùm semel animam suam pœnitentiæ Sacramento expiare, ac Diuino epulo reficere adsueuerit, lætus incidisse in Rosam, quæ & cœlitus infelicis animæ suæ statum didicerat, & salubres aculeos seriæ compunctionis nouerat opportunè suffigere minùs exspectanti.

Melior abit quàm venerat.

XI. Prodigium erat si qua persona cuicumq; vitio obnoxia Rosam accessisset nec ab ea melior discessisset. *Maria de Mesta* pictoris *Medori Angelini* coniux impatientiæ ac præcipitis iracundiæ pugnaci morbo iam penè sibimet ipsi facta erat intolerabilis: quauis re minima turbabatur ac turbabat, manu prompta, minax clamoribus, & sonora rixandi intemperie totarum ædium implacabilis tempestas. Detumescente animi procella dolebat interdum, ac damnabat ipsamet suæ ferocitatis effrænem impotentiam, at biliosa complexio & longa assuetudo callum vitio induxerant. Aliorum suasu an casu incertum, semel Rosam in hortensi cellula degentem inuisit. Confestim Virgo arrepta occasione grauem ac neruosum de tranquillitate animi sermonem instituit, breues ac salubres adquirendæ mansuetudinis aphorismos præscripsit, æquanimitatis ac patientiæ apta consilia ingessit, sicque instructam à se dimisit. Mira res: fœmina ab illo die sedatior ac mitior visa est induisse tractabile pacis ingenium, tolerabat corde quietissimo domesticos tribulos ac molestias, & si repentino aliquo flamine succendebatur bilis, hanc sola recordatione mansuetissimæ Virginis mira facilitate sopiebat, breuìque eò peruenit in patientiæ studio, vt iam vltro à Deo plùs ac plus aduersitatum postularet. Sanè Rosam verecundæ taciturnitatis amantissimam solus animarum zelus disertam fecerat, nec vmquam ei facundia defuit qua sequelam virtutis fugamque vitiorum efficaciter persuaderet.

Maria de Mesta fœmina biliosa.

Rosam in solitudinis suæ tugurio conuenit.

Vis suadelæ in Rosa, cum de alterius salute agebatur.

XII. Virum quemdam professione Religiosum illa non minùs sordida quàm fatua ac monstruosa fumantis *Tabacci* ingluuies vsque ad præsentissimam corporis animæque perniciem deduxerat, ita vt de vtriusque remedio conclamatum ferè putaretur. Os homini intus omninò fuligineum, camini speciem referebat, olidæ nares mucebant cremore fauillaceo, atra nebula vexatum cerebrum stillabat in pectus, & obstructis pulmonibus raucū asthma vocalem obsidebat arteriam, nec tamen

Tabaccū noua fœdissimæ ingluuiei materies.

cessa-

cessabat miser à noxio suctu accensæ fistulæ. Protestabatur Medicus, dissuadebant, rogabant amici, demum Prælati regulares seuerissimis inhibitionibus addidere mulctas, pręcepta, dirarum ac censurarum fulmina, sed in cassum, quia contumax vitium triginta & trium annorum possessione ac mora nimiùm inualuerat, nec videbatur aliud pereunti superesse remedium, nisi quòd Rosa post tot aliorum hortamenta, consilia, inuectiuas, post Superiorum correptiones, minas, clamores, suam exsereret ardentioris facundiæ mirabilem suadam, hominique loqueretur ad cor, & eius saltim animæ salutem omnipotenti Numinis dexteræ commendaret.

Et mordax fumus transire in gulę delicias potuit.

Vitio tam annoso validissima quærenda remedia.

XIII. Facile annuit Virgo miserta periclitantis, maximè quòd sciret, ipsum non iam obstinatione voluntaria, aut obedientiæ contemptu, sed sola infirmitate resistendi violento ac annoso vitio sic obbrutuisse in absurditatem intemperantiæ omnium vecordissimæ. Et ecce, à Virginis alloquio vix quinque dies effluxerant, quando Virum inuasit omnimoda *Tabacci* nausea, mox & horror, ac vehemens abominatio, ita vt deinceps non modò facillimè sese abstinuerit sorbitione tubi cretacei, sed neque ampliùs sufferre potuerit odorem huius infaustæ fornaculæ, quam delicijs & cupedijs humanæ fatuitatis accensere is solus potuit, qui Iob 41. sic depingitur: *de naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ*; & deniq; hic etiam per Europam inuenit qui secum fumos helluentur. Rosa in vnico sanauit hanc insaniam, curatura plurimos vbi ritè fuerit implorata. Neque hìc stetit Virginis beneficium, simul cum vitio inueteratum asthma pectoris, hæmorrhagiam, flatuumque tormina depulit, quibuscum miser ille per annos plus minus xiv. fuerat colluctatus. Quin & vsque ad animam transijt energia saluberrimę correctionis: nam mens illa ad sobrietatem mirabiliter reuocata cœpit tractare attentiùs æternæ salutis negotium, emundare conscientiam, reformare ignauos mores, veternum excutere, gratulantibus cunctis qui vmquã antea in tabe illius vitij putrescentem defleuerant. Nempe sic Rosam exaudierat qui nouit totum hominem sanum facere in Sabbatho.

Ab vnico Rosæ alloquio distillat vitio medela.

Ex eadem intemperie subnati morbi simul abscedunt.

Vera mutatio dexteræ Excelsi.

XIV. Vnum addidero & finiam. P. F. *Petrus de Loaysa* Dominicanus probè conscius zeli & charitatis qua flagrabat misericors Rosa in opem periclitantium proximorum, indicarat

Vir-

Religiosũ moribundum periculosè discruciant scrupuli.

Virgini, decumbere in Cœnobio cumque mortis angoribus trepidè luctari N. eiusdem instituti Religiosum à Medicis pridie derelictum; addebat torqueri ægrum vrentibus scrupulis, affligi non certitudine vicinæ mortis, sed incertitudine vitæ melioris; eò quòd meritis se vacuum agnosceret, contremiscere pauidum, ac sudare ad continuam seueri Iudicis, quem aditurus erat memoriam, denique subuerendum esse, ne nimia formido grauiori periculo implicet desolatum. Intimè hæc sauciabãt cor Virginis prompto compassionis affectui tam flexile ac morigerum: vnde actutum iniunxit Petro, infirmum adiret, suoque ex nomine iuberet fidentiùs sperare de immensa optimi, & benignissimi Numinis misericordia: se quidem precaturam pro felici ipsius transitu, at simul ex nunc offerre se de suorum piorum exercitiorum qualicumque censu quidquid moribundo ad supplendam meritorum vacuitatem opus sit, imò totum is sibi vendicet, & si quod bonum opus à Rosa vmquam per totam illius vitam hactenus prodierat, integrè à se in ægrum dono liberrimo translatum velle, hoc ipse velut suum Iudici exhibeat, desinatque interim abiectè & humiliter sentire de magnifica liberalitate Altissimi.

Facilis in succursũ Rosa.

Morituro sua donat merita.

XV. His ad plenitudinem solatij adiecit, velle se (: modò Deus permiserit) ab obitu conueniri à defuncti anima, vt si fortè vlterioribus suffragijs egruerit, statim adiuuetur. Fideliter vniuersa ad infirmum retulit Petrus, & confestim immodicus ille pauor gaudio lætioris spei locum cessit, acceptauit æger munificam Rosæ largitatem, haud ignarus quantum opulentiæ in dono tot meritorum lateret, sicque munitus demum salutaribus Sacramentis conceptaque ingenti salutis fiducia tranquillum, placidum, serenum spiritum reddidit Creatori, pactus ante cum Petro, quòd tam ipsum, quàm Rosam à morte inuiseret, si eam sibi facultatem Dominus indulgeret.

Iubet animam post obitũ ad se redire, si ope vlteriori eguerit.

Æger in Rosę solatio placidè exspirat.

XVI. Verùm post fratris decessum non leuis cura momordit Petrum, quid rei esset, quòd iuxta condictum defuncti anima non comparebat. Sed exemit sollicitudinem Petro secura Rosa, dixitque cum defuncti anima feliciter ac bene agi, iam illam regioni lucis adscriptam frui perenni refrigerio, vt ei nequaquam opus fuerit redire ad alterutrum, pro stipe suffragiorum emendicanda. Nimirum tanto viatico illam hinc abeuntem ditarat profusa misericordis Rosæ liberalitas, cui nil tam

Cur post obitum anima nõ redierit prout cõdixerat?

pretio-

pretiosum aut charum esse potuit, quod animarum saluti non impenderet.

CAPVT XXIV.

Rosa pro modulo facultatem corporalibus misericordiæ operibus proximos iuuare satagit.

I. Mirabitur, quisquis legerit, Rosæ pauperrimę funus publicis mendicorum Limensium eiulatibus, thrænis, lachrymis fuisse celebratum, vociferante egenorum turba, veram pauperum Nutricem ac Matrem fato acerbissimo & præmaturo sibi ereptam fuisse. Quid enim tenuium parentum inops filia partiri alijs indigentibus potuit vix sibi alendisque genitoribus sufficiens? & tamen sibimet necessaria subtrahens dispersit, dedit pauperibus, ac memor cœlestis Lapicidæ qui (: vt relatum supra Cap. XI.) inter dotalia pacta solicitudinem alendorum parentum à Rosa in se transtulerat, ipsa de consensu Matris manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem, cum his diuidendo eleemosynas, quas insperatò receperat.

Vnde inopi Rosæ facultas subueniendi inopibus?

§ Cœlestis latomus Sponsæ prouidit vnde alijs daret.

II. Semel cuiusdam occulta sed arcta necessitas ad Virginem relata fuit, sed cum aliud vnde subueniret ad manum non esset, octo dierum alimoniam (: contenta interim solo pane & aqua) sibi detraxit pro egentis subsidio. Alia vice Gaspar Flores Virginis Pater sat grande volumen candidioris telę (: donatum an emptum nescio) domum attulit, vt inde coniux Maria de Oliua sibi gregique tot filiorum de omnibus quæ ad munditiem spectant copiosiùs prouideret. Illa sciens filiam Rosam pro ægritudinum frequentia ac munditiei studio pluribus ex eodem lino indigere, seorsim huic notabilem illius telę partem (xxxvj. vlnæ erant) attribuit, vt ipsamet sibi pro arbitratu ad vsus proprios sudaria, pepla, fascias, gremialia, vela, mantilia, tegmina, vittas, ceruicalia, mappas, omnemque necessariam candidi nitoris suppellectilem formaret ac

Famem sustinet, vt alienam famem pascat.

Vsibus domesticis ingens telæ volumen affertur.

Rosæ sua inde portio datur.

fueret. Rosa, vel admirata munus tam copiosum & affluens, vel vt humiliùs parenti gratias ageret, mihine (: inquit) omnem hanc lini portionem donas Mater? respondit illa: Tibi filia, vtere prout lubet, fac inde quæ vis. Arripuit Virgo postrema hæc verba, statimque nec palmo illius telæ retento sibi, totam donauit secretò duabus Virginibus tam genere quàm virtute nobilibus, at pauperrimis, quasque nouerat clam domi ingentem rerum omnium penuriam pati.

Hanc illa mox totâ pauperibus erogat.

III. Mater vt vidit filiam nil minùs quàm de conficiendis sibi linteis cogitare; suspicata quod erat, causam quæsiuit, cur traditam sibi telam candidam, subtilem, bonam tardaret suis aptare vsibus; respondit filia: iam aptata est vt aptari meliùs non possit, quinimò nunc primùm illa decore canduit, ex quo in eleemosynam conuersa est. Replicuit Mater, at ego tuis impendi vsibus præceperam, solicita ne quid desit quando infirmaberis. Subrisit Virgo, & nonne (ait) potestatem mihi disertè fecisti vtendi vt vellem? vsa sum, nec mihi deinceps vbi decubuero, ex morbo, quidquam defuturum puta, Dominus abundè prouidebit. Ita planè accidit, nam paulò post à maternis ædibus translata in Dominæ Mariæ Vsategui contubernium pietate Matronæ linea supellectile adeo non eguit, vt etiam abundarit. De hac Virginis in diuinam prouidentiam admiranda fiducia seorsim Cap seq.

Rosæ pia & arguta responsio.

In pauperes liberali nil vnquam deest.

IV. Possidebat Rosæ Mater in suo mundo muliebri duas pallas, seu oblonga & à vertice in terram vsque demissa pallia, fœmineum ac decens tegumentum quotiescumq; proceditur in publicum. Horum alterum domi fortè in sedili à Matre depositum conspicata Rosa liberè corripuit & inopi cuidam Virgini donum fecit. Mater vbi frustra totis ædibus suum requisiuit pallium, suspicionibus indulsit, pene vsq; ad temerarium iudicium, quòd vicinorum aliquis clam irrepsisset domui pallamque neglectim à sede pedulam sublegisset. Filia ne quos innocentes oneraret furti imputatio, lepidè affata Matrem, quid (: inquit) iacturam tuam incertumque autorem dubitabunda incusas? ecce me pallij tui furem domesticam sed innoxiam, quia plus tibi proderit amissa palla, quàm si intactã possideres. Hâc interim ego donaui Montoyæ pauperrimæ, quæ quòd huiuscemodi veste careat, Ecclesiam decenter adire, missisque & concionibus adsistere non potest. Tibi ò Mater alterũ superest

Mulier nullo magis ornatur, quàm quo tegitur.

Rosa pallam Matris pauperi donat.

pal-

pallium nouum adhuc ferè intactum, quod priusquàm vel modicùm veterascat, Diuina bonitas non vno sed pluribus te pallijs ditabit.

Prędicit, alias Matri pallas non defuturas.

V. Euenit quod Virgo prædixerat, nam exigui temporis interlapsu vir illis in ædibus numquam antea visus nec aliunde cuiquam illic domesticorum notus intrauit, Rosæ Matrem poposcit, eidem xl. libras argenteas pro nouo pallio coemendo porrexit, abijt. Similiter ijsdem ferè diebus *D. Maria de Sala* vltro per famulum misit serici subtegminis aptam materiam quanta conficiendæ nouæ pallæ sat erat. Denique eiusdem materiæ totidem vlnas quæ pallio muliebri sufficerent, deuota persona obtulerat Limano FF. Prædicatorum Conuentui, hic Rosæ Matrem ea donauit: sic intra pauculos dies Maria de Oliua pro vnico suo pallio quod Rosa egenæ Montoyæ dederat, tria recepit noua ac meliora, didicitque animosiùs fidere tum vaticinio filiæ tum prouidi Numinis largitati.

Vaticinio respondet euentus, non sine prodigio.

Exinde Mater pallis seu pallijs abundat.

VI. Extra mœnia in extremis Limanæ vrbis pomærijs habitabat *Ioanna de Bobadilla & Azeuedo*, Virgo illustris parentelæ, sed orphana, ac virtute quàm censu ditior, nam amissis parentibus in arcto res erant, miseramque sat premebat occulta frugalis œconomiæ angustia. Accesserat in afflictionis cumulum vorax & purulentus sub mammilla cancer, qui liuidis ac tabificis incrementis vergebat in carcinoma, & tardante remedio exitium minabatur. Ioanna tàm inops consilij, quàm periculo & calamitati impar non inueniebat rationem, qua discrimini occurreret citra peius discrimen: nam vt eò vbi habitabat vltra amnem, quotidie accerseret ex vrbe Medicum, obstabat viæ longinquitas, nec enim tunc (: vti hodie) Limæ amplitudo vsque ad illa vlteriora trans fluuium procreuerat; siue ad lentam curam migraret tantisper in Ciuitatem, deerant peregrinæ & inopi sumptus quibus semestre hospitium conduceret. Fuit qui gratis offerret ædes suas, at honesta & timida virgo se ignotam ignotis credere noluit.

Ioannam de Bobadilla premit secreta egestas.

Simulque ex cancro ærumnosa infirmitas.

Pro subeunda cura nec sũptus nec hospitium inuenit.

VII. Demum oranti in templo sancti Dominici Rosæ innotuere omnia, sibique hanc desolatam & perplexam reseruari mox intelligens, modum quo subueniret promptè inuenit. Ioannam secretò adijt, metum anxietatemq; ponere iussit, vacare in maternis ædibus locandum pretio cõclaue idoneum & vsui peropportunum, eò concederet, ac de menstruo loca-

Rosa consilio & auxilio afflictæ prę sto est.

tionis sumptu pacisceretur cum Matre, sibi deinde curam procurandæ solutionis totam relinqueret. Paruit Ioanna, & insperatum beneficium verecunda hilaritate acceptauit. Hilarior tamen fuit Rosa, quòd talem nacta esset cui tam occultè & piè viscera suæ misericordiæ impertiret; sicque fidens Diuinæ prouidentiæ reperit quod in singulos menses clam Ioannæ adferret in exactam solutionem hospitij, pacta dumtaxat silentij fidem. Post menses quatuor aut quinque Ioanna integrè conualuit, suumque foris habitaculum sana repetijt, hoc vnum dolens, quòd hospitæ palam referre grates minimè liceret: Verùm post Rosæ obitum soluta promissæ taciturnitatis vinculo beneficium liberrimè omnibus prædicauit.

Gaudet, eleëmosynam suam latere occultissimam.

Euulgatur post Rosæ obitum.

VIII. Rosæ quoad Matri conuixit, nil iucundius accidere poterat, quàm si permitteretur cuiuscumque sortis aut conditionis pauperes personas morbis afflictas paternis inferre ædibus, vt illic suismet manibus assiduè ministraret languentibus, nec solius tecti, cubilis, strati, sed & medicamentorum, ciborumque solatio egentes affatim reficere conabatur. Sicubi in vicinia aut nota domo resciuisset quodcumque vile mancipium ex ægritudine decumbere ac negligentiùs haberi, sibi confestim illius deposcebat curam, multisque precibur exorabat Matrem, annueret languentem in suas ædes deportari ad curam solicitiorem.

Rosa infirmis vndique collectis offert maternas ædes.

IX. Recusabat interdum austera parens, quòd existimaret filiam rarò sanam ac iugiter valetudinariā priusquàm in aliorū curam se intromitteret, debere charitatis ordinem à semetipsa auspicari, suæque magis quàm alienæ valetudini prospicere. Subinde tamen ne misericordem immisericorditer contristaret, ei indulsit pro domestica sua tenuitate operari quæ posset, non quanta vellet. Mox illa primò obuium mendicabulum inuitabat ad lares proprios, huic abstergebat, vngebat, alligabat purulenta vlcera, huius mundabat vestes, reficiebat laceros pluderones, repurgabat subnatas plicatim sordes, lauabat pedes & impetiginosum verticem, nullique ministerio deerat quo illius fami, siti, pressuræ leuamen adferret. Nec (: quod ferè illi regioni præter morem est:) vllum Virgini discrimen erat originis aut nationis, quin ex æquo & indifferenter egentibus Hispanis & Indis, Æthiopibus, candidis, mixtisque (:quas *Mulatas* vocant) prompta charitate succurreret.

Summo studio his seruiebat ac prouidebat.

Nullo discrimine conditionis aut prosapiæ.

Pari

Pari commiseratione vernaculas, peregrinas, seruiles, ingenuas, notas, ignotas, agrestes, & indigenas prosequebatur, solo euidentioris indigentiæ respectu habito.

X. Inter has verò mendicas ac miserabiles nulla tam pannosa ut sordida, nulla tam deformis aut vlcerosa, nulla tam aspectu horribilis aut intolerabilis fœtore, quam Rosa vel dedignari posset, vel præ nausea auersari. Nulla ægritudo tam putrida ac fœda, nullum vlcus tam tetrum aut saniosum, nulla scabies tam crustosa aut fluida, cui Rosa medelam, famulatum curam offerre, cui virgineas admouere manus, dimouere spurcitiem, applicare, mundare, mutare emplastra defugeret. Hac ambitione pia Virgo obibat mulierum valetudinaria quotiescumque honestæ comitiuæ aderat occasio, quærebat per ambulacra infirmas præ ceteris horridas magisque porriginosas, his mira alacritate componebat lectulum, eluebat vasa, parabat edulia, neque tam vile, terricum, abiectum obsequium commodari infirmis poterat quod non ipsa vltro prensaret.

Nulla morborũ deformitas Rosã absterret à cura.

Ambit horridioribus plagis fomẽta apponere.

XI. Accidit die quadam, ab infirmæ mulieris cura Virginem tantisper ad maternas ædes diuertere: sensit curiosa Mater in veste filiæ insolitam mucidi putoris graueolentiam; inde coniecto in illius togam attentiori oculo notauit hinc inde, respersim aliquid purulentarum sordium fortuitò adhæsisse pannis ex aliena sanie, quam Virgo in detersione vlcerosæ mulieris inscia contraxerat. Indignata parens substomachabatur filiæ, quorsum (inquit) hæc tuæmet incuria? non quidem ad hoc tibi religiosus iste candicat amictus vt eum alienis spurcitijs deuenustes, neque Te Rosam appellauimus vt sic oleres; quando te murinis ac suaueolẽtibus chirothecis vti iubebam, repugnasti paruula, at nunc adulta si musco fragrare non vis, muco saltim ne fœteas alieno. Subrisit Virgo, blandèq; subintulit: Christi bonus odor sumus dum ministramus infirmis; charitas delicata non est, nec proximum fastidit, memor nos omnes ex eodem esse luto ac cœno; mortalitate hæreditaria cuncti putrescimus, nec est qui suæ corruptionis non circumferat sentinam: itaque Mater parum putato, quòd tunicam obiter maculaui improuida, longè fœdiùs ipsum Redemptoris vultum rheumata, sputa, saliuæ turpium carnificum pro nostris sceleribus deformarunt.

Quàm suaue olebat Rosa sub alienis fœtoribus!

Increpatur à Matre ob cõtractas ex ministerio sordes.

Graue doctumq; filiæ responsum.

XII. Aliud

Rosæ factum memorabile.

XII. Aliud in hoc genere vix imitabile præstitit Rosa quod silendum non est. Decumbebat in ædibus viduæ *D. Isabellæ de Mexia* quædam ex domesticis famulabus putri humore febriumque æstu prætumida; huius ministerium & curam vtpote in familiari domo permissu Matris sibi Rosa assumpserat. Contigit ex medicinæ consilio ægrotanti phlebotomiam adhiberi, extractumque vena sanguinem in angulo sepori dum Medicus ad eum inspiciendum rediret. Tardauit is vltra biduum, atque interea sanguis ab ipsa scaturigine iam notatus de putredine horridiùs obputruit, seroso virore, flauis nigrisque maculis ac ramosa sanie vndequaque pinguis & decolor. Tandem adfuit Medicus, obiterque examinato sangune ac notatis in eo periculosi morbi critirijs fœtentem massam de more proijci imperauit.

Infirmæ sanguis putrescit in pelui.

Eius aspectu mouetur Rosæ stomachus.

XIII. Rosa pro compassionis affectu diligentiùs peluim qua coagulus sanguis asportabatur intuita sensit ab imo fundo sibi euerti stomachum, alterari in faucibus saliuam, totisque se visceribus in vomitum propendere. Dissimulauit vt potuit, famulumque properè cum pelui abeuntem rogauit hanc sibi ferendam tradi, se non tantùm vacuaturam quod inerat, sed insuper vas ipsum nitidè mundaturam. Facile consensit homo tali se putore exonerari: at Virgo sibimet indignata quòd horruisset, cum pelui clam secessit in angulum foras, ibique semetipsam durè obiurgans: itane (: inquit) strenuè ac seriò studuisti dilectioni proximi, vt nauseæ tibi sit miserabilium infirmitas? hoccine te docuit Seraphica tua Magistra! sic nondùm didicisti omni hac putredine te viliorem esse ac putridiorem? veni delicata, veni tenellula, experire meliùs, disce pleniùs num te deceat sic fastidire miseram & coæqualem tuam, in qua non minùs quàm in te ipsa splēdet imago tui Creatoris.

Hinc peluim sibi deposcit vacuandam, mūdandam.

Durè sibimet exprobrat motum horroris.

XIV. His cum fremitu in se prolatis(: obstrue nares lector:) peluim ori apposuit, totumque illum saniosum cruorem (: dicam, an cruentam saniem?) ausu heroico sensim epotauit; mox panno, ne quid in labijs residuum notari posset, os abstersit, ac peluim elutam, defricatam, nitidam reportauit. Latuit eius Matrem generosum facinus, at Isabellæ (: Deo mirabiliter disponente) innotuit, quæ & pannum quo Virgo labia detersserat, fortuitò demum inuentum studiosiùs in facti memoriam asseruauit. Deinceps nemo (: opinor) dubitabit, Rosam B. Cata-

Exemplo S. Catarinæ Senensis ebibit saniem alienam.

Pannus quo labia abstersit, seruatus cum veneratione:

Catarinæ Senensis fuisse germanam Discipulam.

XV. Hinc sanè credibiliora fiunt, quæ sequuntur. Quæstori Gundisaluo tum communione officij tum pari virtutis & amicitiæ studio necessarius intimèque familiaris erat *Ioannes de Tineo Almanza* Regiæ (quam vocant) Cameræ Chartophylax & Quitensis Tribunalis supremus Circitor, vir pietate ac religione spectabilis. Hic vt erat in Quæstoris ædibus frequens ac penè domesticus, ibidem ex negotiorum occasione Rosam persæpe viderat, sæpiùs de illius sanctimonia vitæque singularitate mira audierat, ita de Virgine sublimiter, vt dignum erat, sentiebat, præsertim quòd sciret, Gundisaluum Rosæ precibus meritisque pluries grauissimis infirmitatibus fuisse liberatum. Contigit Ioannem ex cruciatibus stomachi periculosè ægrotare, ita vt accito Confessario tamquàm vitæ incertus animam per exomologesim duxerit expiandam. Interea memor viscerum charitatis quibus erga ægrotos norat Virginem abundare, summis precibus egit per Quæstoris coniugem, vt Rosam adduceret in tanto sibi periculo bene precaturam. Euicit tandem illa accedente Confessarij nutu, vt Virgo Quæstoris vxori se comitem fore promitteret ituræ ad ægrum inuisendum.

Io. de Tineo familiaris in Quæstoris domo.

Periclitatur ex stomachi doloribus.

Optat, impetrat visitari à Rosa.

XVI. Obstabat, quòd Rosæ pro pudore virgineo durum & insolitum erat viri quamquam familiarissimi & infirmi subire conspectum, at superabat tum pia commiseratio quæ negare iusta solatia ægris nesciebat, tum humilis obedientia, quam Rosa *Mariæ de Vsategui* velut secundæ matri deberi agnoscebat. Itaque his tuta præsidijs cum honestissima Matrona & pedissequis in viam se coniecit, priùs tamen ad Ædem Sancti Dominici Missæ sacrificio interesse voluit, ac interim præmisit qui nunciaret ægro, se, vti petierat, à templo mox ei cum Matrona adfuturam. Sensit infirmus illomet puncto temporis quo nuncium acceperat, dolores suos mitigari.

Charitas Rosæ foras mittit timorem.

Alleuiatur æger solo prænũcio Rosæ venturæ.

XVII. Intrauit denique Rosa iacentis cubiculum, salutauit ægrum sed ea compassionis ac misericordiæ dulci affluentia, vt nec circumstantibus sanis ambiguum fuerit loqui in modestissima Virgine Deum totius consolationis. Verùm Ioannes vultu Rosæ obseruato notauit in eodem maiestatem Angelicam, tesseram pacis, & viuam spem incolumitatis. Nec mora; confestim omnis dolor euanuit, infirmum somnus qui omnino

Ad Virginis conspectum fugit dolor.

nino diffugerat, blandè corripuit, mox altùm obdormiſcens (: Virgine interim cum comitibus domum reuerſa) integrè ſanus euigilauit. Compendium id fuit, quo Roſa celeri adiuta miraculo nec deeſſet operi miſericordiæ, nec in alienis ædibus præter Virginum morem diutiùs hæreret. Nec minor ipſi cura fuit citiſſimè abeundi, vt plauſum effugeret quem meritò timebat.

Nec bruta preterit Roſæ miſericordia.

XVIII. Plura huiuſcemodi curationum miracula in alium tantiſper locum tempuſque differo, hìc vbi de ſola Roſæ miſericordia agitur, vnum adijcere fas eſto, ſed lepidum, nam vſque ad bruta animantia clemens Roſæ ſuauitas & tenera extendebatur commiſeratio, ſiquidem teſte Salomone Prou. 12. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia*. Erat *Mariæ de Oliua* in ſuo domeſtico gallinario miræ pulchritudinis pullus gallinaceus, ludebat in eius tergore, & alis verſicolor & amœna ſtriatarum plumarum varietas, collum quædam velut purpura decorè incinxerat, poſtrema corporis pro pennarum arcuata venuſtate in iridem videbantur deſinere, denique toti domui vna hæc ſpecioſa beſtiola in delicijs erat, gaudebantque omnes hanc à Matrefamilias nutriri, & aſſeruari in ſpem ſobolis quando creuiſſet, nam ſperabatur illi ſimillimos fore pullos, quos procrearet. Creuit pullus, ſed ea inerat ventricoſo pigritia, vt iugiter cubarit humi, & vix vmquam viſus ſit vltro in pedes attolli, numquam auditus cucurire.

Pullus gallinaceus rara venuſtate, multicolor.

XIX. Pertæſa Mater, quòd crederet fruſtra ab ignauo progeniem exſpectari, in menſa coram marito, & filijs conſtituit illo veſpere pullum ceterà inutilem iugulare, ac poſtridie comedendum apponere. Hìc adſtans Iuuencula Roſa miſerta eſt beſtiæ, & innocenti ſimplicitate conuerſa pueriliter ad auem, *Canta* (: inquit) *mi pulle, canta ne moriaris*. Vix puella verbum protulerat, cum ſub oculis omnium pullus repente aſſurrexit in pedes, aliſque fortiter excuſſis canorè & hilariter cucuriuit. Mox altis, ac prætumidis paſſibus totum conclaue perambulans ad Roſæ nutum pluries toto diſtento pectuſculo alacriter cantauit. Riſere quotquot aderant, reuocata ſubitò mortis ſententia plaudebat cantu repetito pullus cum plaudentibus, ſpatiabatur velut altè præcinctus, colloque arrecto ſtridulus idemtidem renouabat domeſticorũ acclamãtiũ cachin-

Cultro addicitur iugulandus.

Ad Roſæ imperium ſurgit, cantillat, deambulat.

cachinnos. Exinde sæpius per diem sonoris cantibus impleuit viciniam, numerabat vices familia & nonnumquàm quindecies cantasse breui horarij quadrantis spatio deprehendit. Neque spem Matrisfamilias fefellit, cui nimirùm paulò post à pulcherrimo hoc gallo pulcherrimi fuere pulli. Tantùm vel in bruti animalis salutem valuit vnica vox miserentis Rosæ. Profectò & hìc quæri posset, *quis dedit gallo intelligentiam*, qua obediret sanctæ puellæ iubenti iugulum dare cantui, ne daret cultro? sed ad grauiora.

Sic destinata morte eripitur.

CAPVT XXV.

Rosæ magna in Deum fiducia, crebrò in suis suorumque necessitatibus explorata.

I. A Prima pueritia Rosam suam præuenerat Christus in benedictionibus dulcedinis, edocens confidere in adiutorio Altissimi, vnde per totam deinceps vitam securissima erat, se iugiter in protectione Dei Cœli cōmorari. Hinc tantopere afficiebatur initio Psalm. 69. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Hunc versum iugiter ferebat in ore, hunc inter labores manuum submissa vocula suauiter cantillabat, hunc sedens, stans, ambulans deuotissimè iterabat, nec satiabatur frequenti illius repetitione, præsertim cùm aliunde resciuit postea, eumdem versum Beatæ Catarinæ Senensi perpetim in vsu, ac delicijs fuisse. Rogabat interdum, Latinam horum verborum emphasim doctiùs ac profundiùs sibi enucleari, sed numquam in talem incidit interpretem qui meliùs ipsa intimam faui huius dulcedinem aut experimento nosset, aut aptis indicijs explicaret. Interrogata, cur ex tot millibus vnicè hunc versiculum amasset præ ceteris, respondebat, Seraphicæ Matris suæ totum illo solatium contineri, singulas huius syllabas turgere quodam arcano succo familiaris in Deū confidentiæ, nec suo palato aliud his tam proprijs verbis sapidius posse occurrere.

Rosa Dei adiutoriū crebrò flagitare assueta.

Primum psalm. 69. versum doctiùs sibi explicari rogat.

Eius miro sapore afficitur, vti olim Sancta Catarina Seneñ.

 II. Tria

Tria Virgini cælitus promissa, interno critirio.

II. Tria potissima erant, de quorum assecutione Virginem dubitare non sinebat cœlitus concessa fiduciæ certitudo. Primum æterna sua Beatitudo, alterum perpetua & numquam interpolanda Dei amicitia, postremum infallibilis ex alto succursus in quibusuis tum necessitatibus tum repentinis periculis. Transeundum per singula.

III. Quærebat Sponsi pietas occasionem, qua charam Virginem priuilegio singulari securam redderet æternæ felicitatis, quapropter semel eam permisit nonnihil concuti pauida formidine circa prædestinationis suæ arcanum omni animæ tremendum. Angebatur innocens Rosa considerans perire se posse, caligabat trepida recogitans iudiciorum Dei abyssum multam; sed non tardauit festinus ad adiuuandum Dominus, quin cor illud contritum & humiliatum opportunè recrearet, blando affatu sic eam alloquens: *Filia, ego neminem condemno, nisi volentem condemnari; igitur ex nunc tranquillo animo esto.* Dici non potest quàm sublimem, inuictam, solidam fiduciam hæc paucula cordi Virginis impresserint, plus enim ipso proferendi modo quàm verbis sibi significari intellexit, nec deinceps eam permisit Sponsus in ęternę salutis anchora fixam vllo incertitudinis fluctu turbari.

Secretum Prædestinationis, res soliciti plena timoris.

Neminem damnat Christus nolentem damnari.

IV. Doctor Ioannes Castillus aliquando inter alia sciscitabatur ex Virgine, an Prædestinationis suæ certam notitiam cœlitus reuelatam accepisset? rudis iuuencula hæsit ad *prædestinationis* scholasticum vocabulum, cuius propriam vim, ac etymon haud satis assequebatur, nec de illo aliud audierat, quàm significari mysterium impenetrabile, nec temerè vlli mortaliũ perscrutandum. Itaque simplex ac timida negauit tandem, quidpiam sibi innotuisse de Prædestinationis subtilissima notione. Verùm vbi prudens examinator per idoneas periphrases dilucidiùs quid sciscitaretur explicuit, Rosa diffiteri ampliùs nec debuit nec potuit, superna illustratione admodùm tempestiuè se didicisse, quòd ab æterno electa erat ad cœlestem gloriam, idque miro Dei beneficio se tanta certitudine tenere, vt limpidiorem huius reuelationẽ nequeat desiderare.

Prædestinationis nomen Virgini obscurũ.

Demum fatetur certitudinem suæ electionis.

V. Manifestiùs hæc patuere in vltimo Roſę moribundæ decubitu, siquidem felicissimi sui trãsitus ad beatam requiẽ adeo certa erat, vt etiam præscierit ab omni purgatorij mora immunem se fore. Cumq; nonnemo præsentium dixisset, pręgrãdem

& om-

& omnino rariſſimam eſſe hanc gratiam, ſat proſperè agi cum animabus hinc migrantibus dum pro reſidua mortalis vitæ ſcoria detergenda ad purgatrices flammas mittuntur, ſe ſibi id optare animitus: ſtatim Virgo præ ingentis fiduciæ alacritate ſe ipſa robuſtior animosè reſpondit: ego verò Sponſum habeo qui prægrandia & rara dare poteſt, neque puſilla aut mediocria dumtaxat per diffidentiam ab illo ſperanda ſunt. Hinc vicinam mortem non aliter ac certam Paradiſi ianitricem læta aſpexit, nam vt primùm Roſæ denunciarunt medici naturam ſuccubuiſſe morbo, nec aliud reſtare prçter decretorium diem, impauida nihilùmque turbata reſpondit, oppidò ſe lætari tam grato, nuncio ſolùm mirari ſe, cur metuerint citiùs exſpectanti indicare.

Præſciuit, etiam ab igne purgatorio ſe fore immunem.

Animoſũ reſpõſum Virginis.

Mortis nuncium impauida excipit.

VI. Memorabilius eſt quod Roſam dum hortenſem ſuam cellulam incolebat, ſalutis æternæ ſecuram reddidit. Orabat Virgo, & in mentis exceſſu vidit circa ſe vndique ſolum conſperſum roſis. Admiranti vnde ver tam repentinum adfloruiſſet, en conſpicuus adfuit paruulus Ieſus puriſſimæ Genitricis innixus vlnis, ac Roſam blandè compellans iuſſit extemplò ſparſas roſas in repandam ſinuoſæ veſtis laciniam colligere. Collegit illa quas potuit, ſinuque pleno ſe ſtitit Diuino puerulo; Is ex omnibus vnicam ſibi in donum popoſcit, qua gratanter accepta ſubintulit: *hæc Roſa tu es, huius prouidam curam mihi aſſumo, tu de reliquis vt magis volueris diſponito.*

Viſio Roſę admirabilis, & iucunda.

Virgo in manu Chriſti ſe roſam videt.

VII. Intellexit Virgo ſapiens quorſum delicati Sponſuli verba tam ſeria ac pretioſa tenderent, gaudebat ſe teneri in dextera Saluatoris velut Roſam electam, meminerat de quibus ille promiſerat, Ioan. 10. *Non rapiet eas quiſquam de manu mea, ego vitam æternam do eis.* Porro præ magnitudine gaudij, quòd ſe videbat Roſam acceptabilem tutò vernare in pugillo Paruuli, neſciebat nec anxiè quærebat, quid de reliquis ipſa Roſis ageret, niſi quòd breui conſilio ſubitaneum inde ſertum confecit, ac cœleſti Infanti reuerenter impoſuit, qui Virgini ſuauiſſimè arridens data benedictione diſparuit. Suſpicata eſt poſtmodum, roſis ceteris quas per terram ſparſas viderat, ſignificari pientiſſimas Virgines per Limam ſparſas, quas tandem aliquando colligi oportebat in nouellum ſanctæ Catarinæ Senenſis Monaſterium, vt illic religioſæ profeſſionis nexu votiuo colligatæ Sponſum Virginum caſto famulatu coronent,

Sertum ex roſis imponit Chriſto paruulo.

Roſarum humi ſparſarum myſteriũ capit.

ronent, viciſſim ab illo gloria, & honore coronandæ. Ità accidit, verùm nonniſi poſt Roſæ obitum. Qua de re infra loco proprio Cap. XXVI.

Promiſſio Gratiæ numquã amittẽdę.

VIII. Pari imperturbabilis certitudinis fruebatur ſolatio felix Roſa in ſecuritate gratiæ, Diuinæque amicitiæ: nam præterquàm quòd poſt quindecennales illas horrendarum obtenebrationum eclypſes (: de quibus ſupra Cap. XIII.) quotidiè in ſuo ad diuinam vnionem reditu noua illuſtratione comperiebat ſeſe in Sponſi fauore confirmatam, alijs quoque vicibus Roſæ promiſſum fuit à Domino, nunquam ſe permiſſurum, quòd vel ad momentum dulci amicitiæ ſuæ fœdere excideret. Quidam ex Virginis Confeſſarijs dono tam ineſtimabili tacitus adſtupuit. Is erat P. Fr. Petrus de Loayſa Ordinis Prædicatorum, qui cupiens euidentiùs experiri, quàm firmiter in tantæ promiſſionis fide ſibimet conſtaret Virgo, in quadam eius Cõfeſſione rem puerilem ac minimam cœpit attollere tamquam dubiam, ac ſolicitiori dignam examine, viſurus quid improuiſus nec fortè inutilis hic terror operaretur in Virgine, quam tanta (: vt nouerat) Diuinæ gratiæ ſecuritas poſſidebat.

Petrus de Loayſa promiſſi fidem certiùs explorat.

IX. Mirabatur cordata Roſa inuſitatum rigidi cenſoris amphibolon, permiſitque illum ad ſatietatem loqui. At demum certa ſe Dei amicitiam non violaſſe, animaduertit quò tenderet illa ambiguæ explorationis occulta induſtria: vndè præfata veniam modeſtè replicuit: iuſtè moneor cum metu & tremore ſalutem meam operari; atque vtinam ſic operer vti debeo; peccatrix ſum, equidem fateor, & vt fatear hìc prouoluor. Verùm (: quæ Sponſi mei ſumma eſt benignitas) intra me ſentio tam infallibiles ſuæ erga me non interruptæ hactenus dignationis ſyngraphas, vt faciliùs mihi perſuaſerit quiuis me ſaxum eſſe aut paleam, quàm quòd dulce Numen à me auerſum ſit. Mi Pater, neque ſi vaſtos cœlorum orbes quis huic telluri complicuerit, in eam me ſententiam flectet quæ credere poſſim, Dei permiſſu me noxam mortalem commiſiſſe; ſcio quid ille mihi tametſi indignæ pollicitus ſit. Ego in Domino confido, non quòd ità præſeruari merear, ſed quia ille *fidelis eſt in omnibus verbis ſuis*: Adquieuit conſcius veritatis Confeſſarius, breuiter excuſans, quòd ſola probandi ſpiritus gratia cenſoriam hanc diſceptationem excitarat.

Roſa Diuinæ amicitiæ intus ſecuriſſima.

Sponſi promiſſis quietè innititur.

X. Eadem vis confidentiæ in Deum à prima ætate Roſam aduer-

aduersùs quaslibet mortalis vitæ difficultates, pauores, incommoda præualidè obarmarat. Maria de Oliua Rosæ Mater singulari complexionis indole tenebras & spectra metuebat, nec facile aut noctu prodibat ad secretiota domus, aut ad vesperam sine comite sese vel proprio fidebat horto. Idem pauoris genius Rosam filiam ex materna crasi velut hæreditarius insederat, nec tamen ideo puella orationi dedita solitudinem ac loca obscuriora deuitabat. Accidit quodam vespere in noctem procliui & magis vmbroso, quòd Rosa adhuc tenera diutiùs moraretur in horto, quò se ad meditandum receperat. Mater filiam quæsitura venit, sed comite marito, quia vt dictum est ad nocturnos terrores timidissima erat. Rosa vt vidit eminus vtrumque parentem ad se venire, processit obuia, sed euntem occupauit cœlitus immissa cogitatio quæ deinceps omnem exarmauit formidinem, docuit fiduciam, infudit securitatem: en (: aiebat intra se) venit per hortum Mater nec more suo trepidat, hoc solo iam impauida quòd maritum suum ad latus præsentem habeat, & ego quæ iugiter & vbique Sponsi mei præsentia munior, ego quæ tam fidelem, solicitum, fortem comitem non ad latus sed in corde circumfero, timebo in posterum *à timore nocturno*? confidit illa in homine mortali, dicitque ad illius fragilem adsistentiam tantisper solitos metus ponere, & non confirmabit me pariter confidentia *in Deo salutari meo*, vt nil vmbrosum deinceps expauescam? tam profundè animo iuuenculæ insedit robusta hæc cogitatio, tam funditus euacuauit congenitam formidandi procliuitatem, vt ex eo momento seipsam mirata sit Rosa, quòd noctu, interdiu, domi, foris, ad nullius periculi, monstri, belluæ pauebat occursum, vnico præsentis Sponsi præsidio animosa.

Rosæ Mater ad spectra lemuresq; pauidissima.

Eadem ex Matre crasis filiæ.

Omnis spectrorũ formido Virgini eximitur.

Digna heroicæ mẽti cogitatio.

Spõsi præsentia tutum vbiq; præsidiũ.

XI. Nec defuit occasio qua manifestaretur illa heroica virginei pectoris soliditas inter discrimina ardua ac repentina. Degebat in quodam Indorum pago cum parentibus duodenis filiola, vbi die quadam cum Matre ac fratribus domum rediens in patenti area obuiũ vidit Taurum ferocissimum, qui elapsus stabulo vinculisque partim ruptis partim raptatis cursu præcipiti illuc ruebat vnde veniebat cum comitibus Rosa. Exanimis subito pauore Mater cũ filijs circumspiciebat fugam. Sola Rosa impauido gradu fixa perstitit, Matremque ne fuga periculum iam nimis propinquum irritaret hortata est, vnà promit-

Animosæ in Domino fiduciæ experimentum.

Promittit, Taurum innoxiè transiturum.

tens, immanem belluam innoxiè transituram. Nondum Rosa (: fixis interim in cœlum oculis.) verba finierat, cum ferox ac torosum animal terrifico mugitu instar turbinis prætervectum procul in alias personas impetum fecit, velut si Rosam eiusue imbellem comitatum ne vidisset quidem. Palpitabant ceteris anhela præcordia etiam post periculum, at Rosa nec mutato leuiter colore monuit sperandum firmiùs in adiutorio Altissimi, & maximè tunc, quando periculi vicinitas omne effugium interclusit.

Incolumi Rosa & comitatu bellua in alios diuertit.

XII. Alia vice Limæ cum Matre ac honestissimis Matronis in quadriga reuertebatur à festiua celebris Ecclesiæ statione. Transeundum erat per amplissimum vrbis forum, vbi tunc metu dilapsa clamosi populi multitudo ferocienti Tauro spatium fecerat, confusaque vociferatione & lapidum iactu furiosam bestiam pro voluptate spectaculi sæuiùs irritabat. Prosultu cursuque flexuoso dextrorsum læuorsum properabat minax animal, cauda rigidè arrecta, spumante ore, boatu horrisono, naribus ira fumantibus, arenas calcibus iactabat in aera, & sicubi in truncum, pannum, aut studiosè obiectum pileolum offenderat, atroci & crebra impactorum cornium vi infodiebat solo. Denique iam satis omnia terroribus impleuerat Taurus, quando venientem eminus rhedam conspicatus rectà in illam librauit cursum. Expalluerunt quotquot cum Rosa erant fœminæ, prosiliere foras, quæ citiùs poterant, spemque salutis in fuga collocabant, ipse auriga circumspectabat trepidus qua parte tutiùs in terram descenderet seseque in pedes conijceret. Sola iterum Rosa oculis in cœlum iactis & illicò reductis exemit trepidis metum, stitit fugam velut minimè necessariam, affirmans Taurum vsque ad rhedam neutiquam procursurum, sed via qua veniebat retrocessurum. Dixerat & respondit euentus, stupentibus vniuersis non magis Tauri velocem absque nocumento reditum, quàm Virginis animum quouis metu superiorem. At ipsa in summis periculis summè secura occinebat cœlesti Sponso: *non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Alterum alio in Tauro experimentum.

Animalis irritati ferocitas.

Socijs metu dilapsis impauida perstat Rosa.

Paternam domum improuisa premit panis inopia.

XIII. Cui tanta inerat Diuinæ protectionis fiducia in vitæ periculis, vtique in necessarijs vitæ sperandis subsidijs minor esse non potuit. Die quadam in paternis ædibus defecit numerosæ familiæ panis, neque vel tempus coquendi supererat

vel nummi ad manum erant vt aliunde procurarent. Nunciatum fuit Rosæ vacua esse penuaria, neq; vel crustam reliquam esse ab vltima pistura. Mirabatur Virgo tam celeriter absumi potuisse annonam quam pridie reposuerant, vtique in biduum suffecturam. At iam certior facta penuriæ, nihilque territa breui labiorum motu visa est rem Deo commendare. Mox ingenti fiducia panariam arcam aperuit, plenamque reperit panibus vltra domus illius morem candidis, azymis, ac saporosis, testante eorumdem figura illic inusitata ac peregrina, hos nequaquam à domestico panificio prodijsse.

Virgo rẽ Deo cõmendans arcam panibus refertam inuenit.

XIV. Alio tempore in eadem domo pernecessarium illis regionibus condimentum mel defuit, eiusque cupa fundo-tenus exhausta arescebat. Maria de Oliua seu ignara seu immemor penuriæ bis ter in caueam misit qui de vase omnibus noto mel adferrent; renunciarunt singuli, nonnisi vacuam sese ollam reperisse. Compatiebatur Rosa communi tot capitum necessitati, & secretissimo instinctu iussa sperare optimè de Dei prouidentia dixit matri: si mandas, descendam ego in nomine Domini, visura num quid residui mellis inueniam. Descendit, ipsamque cupam inuenit vsque ad supremum labrum recenti melle plenam. Hæsit in spectaculo verè mellifluo tota domus attonita, eòque magis, quòd nouo prodigio mel cœlitus datum integris octo mensibus toti familiæ sat fuit in vsum quotidianum. Ecquis vidit vmquam, à Rosis suppleri apũ officia?

Ibidem cupa mellis inspératò defecerat.

Hanc Rosa plenã reperit, in octo menses suffecturam.

XV. *Gasparem Flores* patrem Virginis premebat molesta ægritudo corporis, simul marcebat afflictus mœrore animus ob 50. librarum debitum cui præ inopia soluendo non erat. Tristabatur perplexa mater, hinc importunitati creditoris inde necessitatibus domus, & cumprimis ægri mariti sensim impar. Vtriusque angorem vt resciuit filia, claue qua solebat cordialis in Deum confidentiæ tentauit opulentum æterni Prouisoris gazophylacium: vixque in Templo preces fuderat, cum inde domum redeunti adstitit vir planè ignotus at vultu modestè decorus ac voce comis; hic Virginem obiter salutans, simul inuolutum strophiolo argentum porrexit, iubens illo præsentem necessitatem parentum subleuari; nec aliud moratus illicò abscessit. Videbatur ex pondere & permodico inuolucri tumore parum metalli inesse sudariolo, at vbi Rosa id domi explicuit, ipsam argentearum librarum quinquagenam quam

Patrem Virginis angit æs alienum.

Pater

Debito Patris adæquatè respondēt nummi peregrini.

Pater debebat reperit, ægrique lectulum cum nummis adiens idemtidem repetebat, plurimùm Diuinæ bonitati fidendum esse, hanc modò succurrisse medio peropportuno, quantùm sufficiat ad amoliendam duri creditoris molestiam. Videbantur Gaspari narrari insomnia, donec filia explicato linteolo 50. libras vti acceperat promptè adnumerauit.

Frequens hic DEI succursus in necessitatibus.

XVI. Eiuscemodi peregrinis ac inexspectatis subsidijs pluries egena domus recreata fuit, ne sanctæ filiæ constans ac robusta in Deum confidentia fraudaretur. Hoc nimirum suæ quondam nouellæ Sponsæ inter paraphernalia & antidora pollicitus erat cœlestis Lapicida, de quo supra Cap. XI., adeò quòd Gundisalui Quæstoris vxor, quæ Virginis arcana præ alijs nouerat, rem in familiare adagium conuerterit, dicere solita: *numquid iterum empyreus Lapicida tuo monitu excussit loculos?*

Vastus animus Rosæ confidentis in Domino.

Quinimò erga locupletissimum hunc Sponsum ea erat Rosæ fiducia, vt ausu liberali Virgo pauperrima frequenter & palam in se receperit prouidere de toto sumptu ad excitandum à fundamentis nouum sanctæ Catarinæ Senēsis Monasterium, dummodo in diebus suis appelleret quod solum tunc deerat Regiæ permissionis diploma.

XVII. Verùm ex quo in huius mentionem incidimus, seorsim Cap. seq. narranda sunt, quæ circa fundandum illud Monasterium Virgini cœlitus & promissa, & ostensa fuerunt: hìc breuiter quod præsenti capiti sufficit superestq; in coronidem, subnecto & finio. Domi Rosa cum deuotis virginibus mira ac seria fiducia sermocinabatur de fundatione prætacti Monasterij; at Mater fastidio impar filiam quasi manifestè insomnijs rerum impossibilium delirantem obiurgauit coram omnibus, desine (inquit:) ineptire fatua, memento non esse plebeiæ sortis, aut patrimonij vulgaris negotium Cœnobia fundare; tu verò ea præfidentia loqueris, ac si in tantæ fabricæ sumptuosa impendia tibi in promptu iam essent bis centies mille libræ argenti. Humiliter replicuit modesta filia: vtique si ad mortalem opem, si ad hominum manus respicerem, faterer vltro impossibilia esse quæ tracto, at scito Mater, me altiùs collocasse fiduciam meam; illum- ipsum *in quo omnes thesauri*, fideiussorem habeo, huius liberalitati diffidere mihi iam non licet. Successum videbunt hi oculi tui; lætaberis, imò tuopte experimento probabis quod dico.

Seriò & crebrò agit de fūdando Limæ Monasterio.

Obiurgatur à Matre.

Respondet ex tabulario supernæ fiduciæ.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Rosæ diuinitus reuelatur efflorìturum in Vrbe Limana S. Catarinæ Cœnobium, tempus occulitur.

I. ILlustrioribus Limensis emporij ornamentis demum accessit nobile, spatiosum, elegans Beatę Catarinæ Senensis Monasterium, numeroso sacrarum Virginum collegio dicatum sub regulari S. P. Dominici instituto. Anno salutis MDCXXII. (: hoc est quinquennio post Rosæ beatum ad superos abitum:) fundatrice illustri & opulenta vidua *D. Lucia Guerra de la Daga* loco situque commodissimo stetit in Lima celebre hoc Cænobium, & introducto candidi velaminis nouitio Gynæceo cœpere Diuina celebrari. Creuit subitis ac prodigiosis augmentis recens Parthenon, ita quòd hodie vltra ducentas numeret Sanctimoniales Sponso Deo sub inuiolabilis clausuræ religiosa custodia militantes. Viget in hoc casto pietatis Sacrario diurnus & nocturnus Dei cultus, deuota festorum pompa, canonicus officiorum ordo, iugis virginei chori psalmodia, sacræ supellectilis Ecclesiæ accuratus nitor, apparatuum magnificentia copiosa. Nec ab extimo decore quidquam dissidet interior exactæ obseruantiæ pulchritudo, orationum, mortificationum, exercitiorum assiduitas, perfectionis studium, vniformis morum puritas & sanctimonia, disciplinæ rigidus tenor, perque omnes angulos viua & prorsus angelica virtutum omnium exemplaria. Porro celeberrimo tot illustrium heroinarum contubernio dignè aptèque respondet augusta nobilissimæ fabricæ amplitudo, fontes, horti, vireta, porticus, dormitoria, peristylia, officinæ, item possessiones, latifundia, seruitia, prouentus annui & instructissima totius abundantiæ œconomia, sic quòd inclytum hoc Monasterium intra primam annorum quadragenam tot cœli benedictionibus perpetim irrigatum exemplo, fama, splendore in eum profecerit gradum quo possit grandiori-

Limanum S. Cat. Senens. Monasterium

Eiusdem religiosa disciplina

bus præcipuisque totius Europæ Monasterijs æquiparari.

Diuinitus Virgini Rosæ præostensum.

II. Denique istud est, quod integro ferè ante fundationem decennio toties Rosæ nunc per symbola & figuras, nunc manifestè in propria forma ac typo fuit diuinitus præmonstratum. Istud est, quod Virgo tam securè, ac fidenter, tam crebrò & palam, tam libenter ac liberè dulci suæ patriæ vaticinando promittebat, ea quidem asseuerationis firmitate atque constantia, quasi illud iam constructum ante oculos habuisset. Sola temporis & anni quo construendum erat circumstantia ob altiores Diuinæ Sapientiæ fines Virginem diu latuit, seròque didicit se illud corporeis oculis non visuram; ceterà complures qui visuri essent digito monstrauit, personas quæ illic Deo famulaturæ essent (: ac inter has Matrem propriam) designauit, numerum diffiniuit, locum prædixit, futuræ ibidem fabricæ plantam ac systema in tabella delineauit, primum incruenti sacrificij mystam nominatim expressit, quid multa? primam futurarum Monialium Præfectam (: *Priorissam* dicimus) ex vultu agnouit, spiritu suo imbuit, osculo pacis quodammodo initiauit. At pressiùs & seriatim currendum per singula.

III. Dudum expertus propheta monuit, *intelligentia opus esse in visionibus*. Dan. 10. Hanc verò in negotio de quo agimus Rosæ non defuisse ad assequendum in symbolicis præuisionibus genuinum ostenti sensum patebit ex sequentibus. Consederat solitaria in horto domestico colligendis floribus intenta Virgo, iamque effrondibus rosis gremium impleuerat, cum arrectis in cœlum oculis, & arcano intus dictante spiritu cœpit non sine deuotis suspirijs iactare in altum singulas rosas, velut superno eas hortulano commendans. Superuenit germanus virginis frater, ac sororem innocenti ludo se oblectare nec serium quidquam subesse autumans accessit familiariter, quidque ageret interogauit. Illa mysterium celans, hoc (:inquit) quod vides me agere; perrexitque vt ante iactare in sublime Rosas. Germanus nil vltra simplicem iocum & animi oblectamentum suspicans replicuit: spargam & ego Rosas in aera, & fortè quàm tu iaciam altiùs. Atticuit Virgo, sed loqui cœpere prodigia, nam ecce quas frater sursum proiecerat leuissimo delapsu mox reuoluebantur in terram, ex altera parte quas Rosa in sublime sparserat, hærebant in aere, ibidē in conspicuā S.Crucis figurā aptissimè coibant,

eidem-

eidemque cruci à succedentibus rosis decorus per circuitum formabatur limbus. Mysterij *intelligentia* hìc fratri defuit, non item Rosæ, quæ postea à conscijs prodigij interrogata, quidnam putarit hoc aerio rosarum suppendiculo portendi, respondit candore impauido, his præsignificari futurum apud Limenses suos insigne Sanctæ Catarinæ Senensis monasterium, in hoc quàmplurimas præstantis sanctimoniæ rosas certatim commigraturas, vt in cruciformem arctioris vitæ regulam coaptatæ è sublimi perfectionis gradu terram despiciant, ipsisque hic mundus crucifixus sit, & ipsæ mundo.

Proiectę à Virgine hęrent supernè.

Quid ex præsignificarint.

V. Alia vice oranti Rosę diuinitus ostensum fuit mirę amœnitatis pratum, vndique liliorum candore ac rosarum purpura (: tametsi sparsim, & sine ordine) variegatum. Placebat Virgini bicolor tot vernantium plantularum venustas & gratia, maximè vbi deintus responsum accepit, omnes & singulas vni *Dilecto candido, ac rubicundo* seruari in coronam. At displicuit patere spatiosum ac nobile pratum cuilibet Viatori, imò communem, & publicum illic tam iumentorum quàm hominum quaquauersùs commeantium frequentari transitum, proinde seriò metuebat flosculos tam decoros, tam eximias terræ gemmulas prætereuntium vestigijs improuidè conculcari. Sed simul timorem exemit superna irradiatio, Rosam erudiens, tempus fore, quo selectum illud germen floridæ propaginis colligatur in vnum Sanctæ Catarinæ Senēsis *hortum conclusum*, septoque proprio segregetur à profani seculi commercio, rosis porrò lilijsque significari puras ac Deo dilectas Limensium Virginum animas, quę quidem hinc inde per Vrbem sine ordine sparsim habitabant, at suo tempore in cœtum claustralem fore congregandas, vbi tutissimæ sint ab omni secularis calcanei protritu, solique æterno Numini fragrent odorem suauitatis, donec inde translatæ in Sponsi paradisum eidem nectantur in immarcescibilem gloriæ coronam. Dum his cœlestium decretorum arcanis auidissimè inhiat auscultatque Rosa, videbatur interim suis manibus floridum hoc sertum paulatim connectere, Sponsoque imponere, qui vicissim ostendit illud sibi gratissimum, & intimè charum esse. Rosam ingenti solatio perfudit hæc visio, quòd obliquè per eam intelligeret, suo præcipuè labori ac merito hoc donari à Deo, quòd Lima tali aliquando sacrarum Virginum asceterio velut monili pretioso

Pratum floridum Rosæ ostensum.

Præsignat futurum Monasterium.

Quales in eo Rosæ, quæ lilia.

A Virgine nectuntur in corollam.

condecoranda. Et quotiescumque hoc suaue ostentum referebat, vnà testabatur florituras in illo Monasterio præclaras Dei famulas, quæ virtutum odore ac sanctitatis fama gloriosè excellant.

VI. P. Magister Fr. Ludouicus de Bilbao Virginis Confessarius tametsi reliquis eius dictis plurimùm deferret, huic tamen eiusdem vaticinio scrupulosiùs addubitabat, eò quòd ad humana respiciens ne quidem è longinquo videre poterat vel minimam verisimilitudinis stricturam, quæ tanti moliminis vllum aliquando successum promitteret. Quin potiùs omnis vndequaque tum ratio tum regiminis potestas videbatur inexorabiliter obstitura, præsertim cum pro conditione temporis abundè sat Monasteriorum esset in Ciuitate nouella, cuius tunc ætas primam annorum centuriam nōdum expleuerat, plurimùmq; adhuc distabat ab ea qua hodie tumet amplitudinis vastitate.

Ambigit Rosę Cōfessarius de hac visione.

VII. Animaduertit Rosa Patrem incredulum de euentu ambigere, ac grandi fiducia sic eumdem affata est: quid hæsitas mi Pater! te viuo ac vidente stabit in Vrbe hac illud quod sæpe dixi B. Catarinæ Senensis Monasterium. Pone, suppone vt volueris, obstitura vetantium imperia, adde his in obnixum vniuersam hanc nostram Americam, imò totum potiùs terrarum orbem, adiunge per hypothesim totius orci vires, artes, potentiam, deniq; finge animo quidquid obstaculorum potes concipere, attamen te superstite, te viuo & oculato teste Monasterium quod dixi exstruetur, habitabitur, florebit. Locum tibi designaui, illic erit. Et te quidem æterno suo decreto selegit Deus, qui primus ibidem Sacrosanctam litabis hostiam in solemnitate, qua primus illic fabricandæ Ecclesiæ lapis ritu celeberrimo collocabitur in fundamentis. Tunc memineris hęc modò fuisse tibi prędicta à vili muliercula. Totum euenit prout Virgo prædixerat, nam anno 1622. accedens ad eam functionem Ludouicus inter solemnia sub missa recordatus est vaticinij, peractoque sacrificio palam adstantibus enarrauit, quàm asseueranter, clarè, disertè ante complures annos Rosa superstes quod illa die locoque gesserat, prænunciarit.

Confirmatur à Virgine.

Virginis de certo euētu mira securitas.

Experitur in se Confessarius vaticinij veritatē.

VIII. Aliquando coram domesticis inter familiaria colloquia, dum B. Catarinæ Senensis tractabantur gloriosæ prærogatiuæ, & iusta encomia, sensim ad futurum sub eius tutelari nomine Monasteriū deuolutus est sermo. Hìc Virgo primùm

ingenuè

ingenuè fassa ac protestata est, se quidem illud mortalibus oculis minimè conspecturam, attamen quotquot illic adstabant reliqui, certissimè illius intuitu, præsentia, solatio fruituros. Res cum risu excepta ab omnibus, nec deerant quibus Rosa videretur præ nimio in Seraphicam Matrem studio insanire; postquàm is qui in se receperat exorare Matriti facultates Regias nouæ fundationi necessarias, Limam vacuus redijt, ne spem quidem permissionis vmquam obtinendæ secum apportans. Terruissent hæc quamcumque aliam, aut saltim eripuissent loquendi fiduciam, sed Rosam nec terreri, nec timidiusculè silere permittebat ipsa supernæ reuelationis firmissima certitudo, adeo vt quod verbis idoneis adstruere satis non poterat, expressis in assula notis architectonicis conaretur euidentiùs adumbrare. Vnde arrepta coram incredulis tabella & cera futuri Monasterij extemporaneum formauit archetypon, ea tum peritia tum securitate, vt spectantes rapuerit in stuporem. Describebat breui linearum ductu murorum ambitũ, qui prima futuri Cœnobij exordia minori spatio complexurus erat, notabat angulos, flexas, confines, quo loco templum, quo situ porta, officinæ, porticus, dormitoria forent disponenda, nec aliud dolebat quàm quòd ceteri non æquè vt ipsa totam Monasterij imaginem in viuo radio præsentem habebant.

Iterum prædicit fundationem eiusdem Monasterij.

Visa domesticis delirare.

Typũ futuri Monasterij delineat in tabella.

IX. Indignabatur præ ceteris Rosæ Mater, nec æquo ferebat animo tam crebram, & seriam domi forisque mentionem fieri nouelli Cœnobij, quod filia tam assertè & imperterritè notis atque ignotis præfigurabat. Nullus apparebat negotij tam ardui procurator, nemo fundator, nemo fautor aut suasor, nullibi auspex vel patronus; abhorrere omnes tanquàm rem humanitùs impossibilem, taxare Virginem tamquàm aut chymæris delusam aut affectui pertinaciter indulgentem. Ipsemet Doctor Ioannes de Castillo (: quem Rosa ob notam viri sanctimoniam tanti faciebat) conabatur Virginem ab hac persuasione diuertere, quòd opinaretur difficultates planè insuperabiles fore. Idem Quæstoris Gundisalui, idem Confessariorum erat iudicium.

Obiurgatur ab incredula Matre.

Clamant omnes vaticiniũ euentu caritarũ.

X. Hinc Mater anxia, sibique & familiæ probrum metuẽs arguebat filiam, quòd contra tot prudentum arbitria plus sola ipsa sapere velit quàm oporteat; concordi omnium peritorum sententiæ obstinatè refragandum non esse, Rosam ceu vanam

pro-

prophetidem cum dedecore propediem vulgi fabulam fore, denique rationi non contumaciæ in his parendum esse, promissum Monasterium citiùs in Vtopia aut spatijs imaginarijs quam Limæ constiturum.

Prædicit, Matrem in illo Monasterio fore Moniale.

XI. At Rosa tot cõtradictionibus alacrior voce humili sed læta replicuit: eya Mater dulcissima, hìc demum cessent verborum pugnæ, tu magno tuo emolumento experieris quàm durum sit contra stimulum calcitrare, in Sanctæ Catarinæ Limensi Monasterio quod prædico tu-ipsa inter primas candidum Sanctimonialium indues habitum, illic tu velaberis, ibi solemniter profiteberis, ibi Religiosa vitæ reliquum consummabis. His auditis adeo exarsit Mater irritari se putans, vt filiam à conspectu suo abegerit, altùm vociferans, egone Monialis ero! ego ad quam regularis vitæ ac status nulla vmquam cogitatio aditum inuenit, ego necessariæ dotis inops, cantandi ac psallendi ignara, curis secularibus innutrita, spiritu vacua, clausuræ impatiens, onusta prolibus, ego in claustrum me abdam? hac ætate velabor, profitebor religionem seueram, arctam, difficilem? apage, sat nugarum est, ad Calendas græcas hæc impleta videbimus.

Adstomachatur vaticinio Mater.

Impletur in Matre vaticiniũ.

XII. Initium anni MDC. XXIX. non vidit Calendas græcas, vidit tamen Mariam de Oliua Sanctimonialem in nouello Sanctæ Catarinæ Senensis Monasterio, vbi post mariti obitum sexagenaria religiosis S.P. Dominici filiabus deuotissimè aggregata, cum sacra Ordinis veste nomen Sororis *Mariæ de S. Mariæ* assumpsit, exactoque probationis anno solemnia vota emisit, ac plena dierum sancto fine quieuit. Carebat inops vidua dote legitima, quæ quater mille libris argenti in singulas ibidem velandas erat diffinita. Verùm ne Mariæ obstaret egestas prouiderat omniscia cura Numinis, inspirans Fundatrici, vt in ipso fundationis programmate reseruarētur loca nonnulla gratuitæ receptionis digniorum sed inopum personarum, eoque priuilegio gauisa est Rosæ mater.

Ad Monasterium recipitur sine dote.

Occasio prænoscendi futurã Monasterij Fundatricem.

XIII. Superest de ipsamet Cœnobij Fundatrice ac prima eiusdem Præfecta memorabile ac luculentum Rosæ vaticiniũ. Illustri Matronæ *Isabellæ de Mexia* domi famula erat *Mariana* nomine, cui grauiter ægrotanti Rosa (: vtpote illis in ædibus pene domestica) more suo ex charitate ministrabat. Ea occasione honestæ fœminæ tum Isabellam tum ægram inuisurę frequen-

frequentes accedebant. Die quadam inter alias adfuit prænobilis nec virtute minùs quàm parentela & opibus clara *D. Lucia Guerra de la Daga*. Hæc Rosam (: de qua memoranda audierat) illic infirmæ Marianæ seruitio piè distri-ctam conspicata, eidem cœpit deuotiùs affici, & captata affandi occasione, post mutuos vltro citroque vrbanæ comitatis ritùs impensè Virginem rogauit, sui meminisse vt velit in quotidianis ad Deum precibus sanctisque exercitijs. Rosa iam intus moneri se sentiens, affectu reciproco Matronam vinxit, offerendo modicum id quod posset, illaque fortiùs instante promisit, se in singulas hebdomadas peculialiter certum diem selecturam, quo ipsam Deo commendaret. Lucia hoc solatio diues ac domum reuersa quiescere non potuit, dum Rosam planè iam suam denuo conueniret. Venit cum prætextu commendandi maritum & filiolam, nam Virginis apud Deum suffragio tunc forsitan magis indigebant. Rosa, velut si Luciæ cor penitiùs inspexisset, eamdem familiariùs quàm pridie complexa, nil de marito nil de filiola tunc respondit, Matronam verò nouo sibi beneficio implicuit, ipsamque tandem non in lucrum vnicæ per quot-hebdomades diei, sed plenè in omnium suorum exercitiorum amicam communionem, & participium arcano Dei impulsu stimulata admisit. Necdum sat capiebat ipsamet, vnde aut cur ita ageret, donec præter morem oculis à terra in vultum Luciæ attentissimè coniectis cœpit exultare spiritu, suffundi colore inusitatę lætitię, palpitare calidis pręcordijs, ac demum hilaritate modestissima Luciam deosculans, *Euge* inquit, *Mater, ingenti suo operi te Deus reseruauit*. Idque crebriùs liquenti gaudio replicans simul decenti osculo attonitam minimèque repugnantem dissuauiabat.

Lucia Guerra innotescit Rosæ.

Coalesci t amicitia.

Admittitur in omnis meriti participationem.

Prædicitur fore illius Monast. Fundatrix.

XIV. Dici non potest ex Virginis spiritu quos quantosque mox spiritus hauserit felix Matrona: diriguit, sensitque Rosæ tum affatu tum afflatu mutari se medullitus, serpebant dulciter per omnes animæ suæ venas ignotæ flammulæ, cor in varias deliberationes repente dilatatum erigebatur totum ad cœlestia, quasi pulsu citatiori vociferans: *Domine quid me vis facere?* Sic affecta domum redijt, per viam sic Deum alloquens: Domine, si ex tuo æterno placito tuique nominis gloria est, quòd ego à seculari isthoc ad Religiosum aliquan-

Haurit spiritum ab ore Rosæ.

do

do ſtatum tranſeam, perge operari in me quod mirabiliter cœpiſti, en toto cordis affectu meipſam tibi offero, vnà cum prole & vniuerſa mea ſubſtantia, tuum erit dimouere obſtacula quibus me tam ineluctabiliter noſti implicitam.

Accenditur vitæ religioſæ deſiderio.

XV. Exinde in mulieris animum velut connexo agmine immigrarunt ſimul Religioſi ſtatus efficax deſiderium, ſimul ſpes viuaciſſima, ſimul indubia certitudo pertingendi ad hanc metam, euadendi retinacula, perrumpendi innumeros obices quos ſola Diuina manus poterat dimouere. Nondum tunc Lucia trigeſimum ætatis annum exceſſerat, ſuperſtes erat maritus in plurimos (: vti videbatur) annos victurus, circumſtabant matrem ſoboles, nepotes, propinqui, premebat magnarum opum vaſta œconomia, nec tamen hæc religioſę vocationis certitudinem in animo Luciæ ſeu conuellere potuerunt ſeu delibare, adeo quòd de ſanctioris propoſiti executione cum ſuis tam ſecura tractare ſolebat, ac ſi diſpoſitis omnibus de proximo velum ſibi imponendum exſpectaret.

Mira vndequaque obſtacula.

Prodigioſa ſpei ſecuritas.

XVI. Accidit interea, R. P. *Ioannem de Villalobos*, qui tunc Societatis Ieſu Nouitiatui Limenſi Rector præerat, ad ædes D. *Iſabellæ de Mexia* diuertere, vbi in Roſę colloquium incidens, poſtquàm de certitudine futuri Monaſterij Beatæ Catarinæ Sanenſis varius vtrimque alternarat ſermo, didicit à Virgine. ſe illic pridie locutam eſſe cum *Lucia de la Daga* annis quidem iuuene, at maturitate indolis graui; de ea nunc plura ſe nolle dicere. Intellexit vir religioſus ac prudens, quorſum Roſa tum loquendo tum reliqua ſubticendo alluderet, tacuit tamen, donec poſt Roſæ obitum Lucia pro more Sacramentali confeſſione animam expiatura accederet. Hìc Matrona Confeſſario detexit, ſe magni ac perardui moliminis opus animo verſare, fundationem noui Monaſterij ſub Sanctæ Catarinæ Senenſis tutela ac nomine, huc ſe impelli diuinis ſtimulis, quibus omnino parendum ſit, huc ſe vires, opes, cogitationes omnes conuerſuram. Viciſſim Confeſſarius illo temporis puncto memor verborum quæ pridem à Roſa audierat, Luciam edocuit, illud-ipſum eſſe, quod Virgo Matronæ promiſerat, quando eidem prædicebat, magno cuidam operi ipſam à Deo reſeruari. Proinde non diffideret vaticinio tantæ Virginis: rem tam arduam validiſſimis obſtaculis, remoris, ac difficultatibus haud caritu-

Roſa Ioanni de Villalobos aperit Fundatricis notitiam.

Lucia fundandi Monaſterij propoſitum cõfeſſario detegit.

Patefit arcanum obſcuræ prædictionis.

ram

ram, verùm-tamen in ipso tempestatum summo furore ac motu tranquillissimè sperandum fore de superno auxilio quod Rosa iam Sponso immortali conregnans facillimè sit exoratura.

Deus impedimenta mirabiliter submouet.

XIV. Ita fuit: nam Luciæ maritum, paulò post & prolem Deus ab hac luce euocauit, obstacula nouæ fundationis vndequaque innumera, & potentissima sustulit, duros repugnantium animos ad fauorem pij operis flexit: supererat Luciæ nobilissima parentela, quæ viduam generis, ætatis, opumque intuitu ad secundas nuptias ita vrgebat, vt penè adigeret. Verùm ipsa Roseæ prædictionis memor, & consilij tenax restitit, vicit, triumphauit, rebusque ex voto imò supra votum feliciter compositis nouo Sanctæ Catarinæ Senensis Monasterio auspicando, struendo, dotando amplissimas suas facultates, denique & se ipsam dedit, & cum sacro velo nomen *Sororis Luciæ de Sanctissima Trinitate* assumens prima nouelli sui Asceterij Præfecturam gessit, ac Religionis spiritum quem ab osculo Rosæ pridem conceperat, hortatu, cura, exemplo mirificè in subditas Moniales propagauit, ac demum sanctimoniæ fama celebris ibidem extremum clausit diem. Hunc successum habuit Rosæ prædictio, vnde factum est, quòd Sanctæ Catarinæ Senensis Monasterium Limæ ex euentu apud consciam plebem sæpissimè Rosæ Monasterium (: hoc est diu ante vaticinio Rosæ prænunciatum) promiscuè amet appellari.

Nouum obstaculum.

Impletur prophetia.

CAPVT XXVII.

Rosæ alia complura Deo reuelante arcana patefiunt.

Rosa in arcana cordis alieni penetrat.

I. IDem (: de quo paulò ante) R.P. *Villalobos* Societatis Iesu iurata fide testatus est, suo se experimento spiritum propheticum deprehendisse in Virgine. Petierat à Rosa precum suffragium pro felici exitu occulti negotij, sed ardui, quodque vt sileretur à ceteris primus silebat ipse. At Rosa (: quod num-

quam ſolita erat) in loquentis vultum oculis pauliſper defixis, velut ſi illic tamquam in aperto codice legiſſet arcanum, verecundè ſubriſit, ac taliter reſpondit Patri, quòd is haud obſcurè collegerit, illo momento cœlitus innotuiſſe Virgini totam ſecretiſſimi negotij ſeriem; vnde ſtupore attonitus ad P. *Antonium de la Vega Loaiſa* eiuſdem Societatis Virum integerrimum rem detulit, qui R. P. Philippo de Tapia Callaoenſis Collegj Rectori ſimillimum cum Virgine accidiſſe palam aſſeuerauit.

Secretam puellæ cogitationem eidem velut è tabella recitat.

II. Filia Quęſtoris Gundiſalui *Michaela de la Maſſa* ſecretam quamdam cogitationem verſabat animo, quam nulli mortalium communicarat, neque communicare decreuerat. Huic Roſa familiariter ſe applicuit, totamque illam cogitationem velut ex pugillaribus accuratè recitauit, ac ſaluberrimi documenti aphoriſmos miranti præſcripſit.

III. *Maria de Meſta* Pictoris *Medori Angelini* coniux cum ſolo marito nemine conſcio tractarat de vtriuſque profectione in Hiſpanias, deque neceſſaria pecuniarum quantitate ad vitam illic honeſtè & commodè ſuſtentandam. Inde Roſam adijt collocutura de alijs, quæ ſibi tunc preſſiùs inſtabant. Virgo ſermone obiter deflexo etiam ad id, quod latere putabatur, ita reſpondit ac ſi de eo pariter fuiſſet interrogata; nempe approbauit proficiſcendi conſilium, commemorauit ſummam pecuniariam, quam fœmina cum marito in reliquę vitæ ſuſtentaculum pari arbitratu conſtituerant, dixitque hanc ambobus (: eo quòd prole carerent) ſat fore, Mirata eſt mulier, faſſa plus à Virgine dici non potuiſſe, ſi ipſa amborum ſecreto conſilio tertia adſediſſet.

Abdita duorum coniugum conſilia diuinitus reſcit & approbat.

IV. Longè mirabilius videbatur F. Ioanni Miguel Ordinis Sancti Dominici Religioſo, cum è longinqua peregrinatione Limam reuerſus, atque in D. Hieronymi Sacello Virgini ſeorſim colloquens, ab ea ſeriatim, & exactè ſibi narrari audiuit quæ Fratri procul in aliena regione acciderant, nec humanitus inde potuerant in Roſæ notitiam peruenire; quin & abditiſſimas ſuæmet conſcientię latebras Virgini patuiſſe euidenter agnouit.

Recenſet quæ procul inde acciderant.

V. In templo Sancti Dominici Roſa cum Matre honeſtiſque fœminis ſubſtiterat, Deo precibus commendatura extremum agonem *Mariæ de Vera*, quę in ędibus *Didaci de Requena*

Famam de obitu

quena

quena Argentarij decumbens vltimam vitę horam expectabat. Superuenit triste nuncium infirmam expirasse. Territę mulieres dolenter respexere in Rosam, hæc in Cœlum: at subitò ad circumstantes reductis oculis, non plangamus (inquit) nam amica nostra mortua non est, viuit *Maria de Vera*, tantùm oremus Deum, vt conualescat. Vixit, conualuit, sed alio Rosę miraculo, de quo in Mantissa.

Mariæ de Vera subitò vt falsam reprimit.

VI. Cuidam Religioso Societatis Iesu, viro planè Apostolico summisque virtutibus obornato insederat (: nescitur vnde) firma, tenax, & immobilis persuasio, illo se anno, (qui erat 1615.) certissimè ex hac vita migraturum; cupiebat sanè dissolui, & esse cum Christo, vnde captata occasione dum semel Quęstoris coniugi loquebatur adstante Rosa, vtriusque orationibus humiliter & enixè commendabat suum ab hac vita transitum, velut ante proximi anni Calendas indubiè futurum; exhorruit Gundisalui vxor, at Rosa leniter subridens, nequaquam (: ait) mi Pater hic annus te nobis eripiet, ita tibi secura spondeo. Ille ex aduerso contendebat rem fore certissimam, nec aliud sibi accidere posse felicius, quàm si paulò post celebratum Missæ sacrificium iuberetur spiritum suo reddere Creatori, id vnum se ardenter optare, imò & sperare. Inualuit sensim apud optimum Patrem instantis sui termini concepta opinio, vt à Collegio ad Nouitiatum, seu Tyronum domicilium migrans non socijs tantùm, sed ipsis quoque arboribus, muris, tectis valedixerit, velut domum priorem numquam reuisurus. Cruciabant hęc piam Gundisalui coniugem, quæ tantum suę conscientię moderatorem dolebat pręmaturè amittere, proinde in Rosam quotidie anxia respiciens quęrebat millies, verane sint quę illa pędixerat de Confessario suo diutiùs superuicturo. Vicissim millies replicuit Virgo, & Matronam iussit securam esse. Nihilominùs hęc trepidabat, quoties Missæ sui Confessarij intererat, metuens ne ille sui desiderij compos illamet hora peracto sacrificio abiret è viuis.

Mortis prope impendentis firma persuasio.

Negat Rosa illo anno moriturum.

Nihilominùs crescit propinquæ mortis fallax opinio.

Pauet Gundisalui vxor.

VII. Denique in sacratissimo Diuini Natalis peruigilio dum Matrona confessura Patrem adibat, per ipsam Rosa eidem significari iussit, deponeret iam tandem inanissimam vicini sui obitus persuasionem, sciretque se grandioribus Dei obsequijs reseruari, non moriturum priùs quàm foris com-

Rosa prędicit fore diu superstitem.

complures animas operosa conuersione in viam salutis adduxerit, interque illas peculiariter eminere quinque pręcipuas suo Apostolatu dignas, & vero Numini adquirendas. Hoc Rosa centies timidę Quęstoris coniugi ad solatium occantarat, hoc ipse demum euentus plenè comprobauit, nam & Pater post Rosam annis nouem superuixit, & in conuersione perditorum hominum, fructus quos illa prędixerat admirabiles reportauit, vtpotè qui ex viris sui instituti primus adijt montana, quibus hodie nomen *Sancta Crux de la Sierra*, vbi plurimas Dœmoni animas eripuit, ac demum Limę anno MDCXXVI. sancto fine quieuit.

Multiplex prophetia.

Respondet singulis euentus.

VIII. P. Fr. *Bartholomæus Martinez* Ordinis Prædicatorum Limensis Cœnobij Sanctæ Mariæ Magdalenę Prior, & Rosę Confessarius euentu ambiguo luctabatur cum morbo grauissimo, & extremè periculoso, iamque corporis cura ferè deposita Medicis suadentibus accelerabantur vltima migrantis animę remedia. Inuisit ęgrum P. M. F. *Ioannes de Lorenzana*, conceptoque repentinę fiducię instinctu iussit infirmum bene sperare, eo quòd illo momento in Ecclesia viderat coram S. Hostię tabernaculo pro salute ęgri luculentum ardere cereum, Rosam intelligens, quam illic ardentissimas fundere preces eminus obseruarat. Vix verba finierat, cum superueniens Sacrista F. *Ioannes Fernandez* ait à Rosa in Templo coram Sanctissimo Sacramento geniculata illuc se missum, vt Bartholomęum certum faceret, ex illa ægritudine quantùmcumq; iam complorata neutiquam sibi mortem imminere, bono proinde animo esset, valetudinem citiùs quàm sperari poterat redituram, eò quòd priùs ipsum oporteat Diuinę glorię in quodam singulari ministerio strenuè famulari. Bartholomęus, cui Virginis anima intimè perspecta erat, nil hęsitans fidem dictis adhibuit, eadem hora metum, & morbum abiecit.

Prior Limensis in extremis.

Pro illo Rosa procumbit ante SS. Sacramẽtum.

Ægrum conualiturũ prædicit.

IX. Magister Fr. *Ludouicus de Bilbao* itidem per annos 14. Virginis Confessarius sopitis quas extinctas crediderat febribus timere sibi desierat, cum velut ex insidijs morbus redijt multò quàm ante violentior, ac recidiuum ad extrema reduxit pericula. Iam perplexi hęrebant Medici, & pharmaca adhibere destiterant, iam æger (: cui natura vocem dederat sonoram, & liquidam) prę angustia obstructi pectoris,

Lud. de Bilbao à Medicis desperatus.

viriumque

viriumque languore vix quæ intelligerentur proferre poterat, nihilominùs qua licuit vocis tenuitate ac nutibus mandauit indicari Rosæ discrimen suum, quidque ipsa de morbi huius successu, & exitu sentiret, sibi liberrimè renunciare iussit, vt si moriendum sit continuò præparare se possit ad momentum, à quo pendet æternitas. Ceterà Virginem obsecrabat, ne in hoc ancipiti se destitueret, aut quidquam saluti suæ congruum dissimularet, hoc si vllum aliud dicendæ veritatis tempus esse, nunc vel maximè ab ea se filialis beneuolentiæ sancta obsequia expectare.

Rosam consulit de morbi exitu.

X. Virgo tametsi spiritualis sui Patris angoribus condolebat, nihil tamen periculi commemoratione exterrita paucis at vultu alacri respondit: ad serium illud vltimæ respirationis momentum omni annisu, cura, solicitudine se parare numquam intempestiuum, semper laudabile est ac salutare. Verùm tamen infirmitas ista non est ad mortem, conualescet infirmus, & in proximo Sanctissimi Rosarij triumphali festo coram vniuerso populo disertè è suggestu perorabit. Interim mittam illi medicum meum, hunc ad lectuli caput iugiter sub oculis habeat, nec de recuperanda valetudine diffidat. Misit deinde Patri quam vnicè habebat in delicijs breuem paruuli IESV iconem decenter vestitam, suum (: vti aiebat) medicum, quem deinde à conualescente repetijt, nuncians absque hoc sibi nimiùm se solitariam videri. Credidit Rosæ vaticinio Ludouicus, Medicum deuotè coluit, vires omnium admiratione integerrimè recuperauit.

Cordata Virginis responsio.

Quis Rosæ medicus.

XI. Vnicum supererat in quo plurimùm hæsitabat, nimirum haud videns quomodo sibi obuenire iam posset concionandi munus in propinqua Sanctissimi Rosarij solemnitate, quandoquidem pro illo anno hæ vices non suæ erant, sed sui Prouincialis M. Fr. *Gabrielis de Zarate*, nam huic per sortem (: vt ibi moris est) vno mense ante hoc sermocinandi onus obtigerat. Nihilominùs & hoc in Ludouico impleri debuit, siquidem Prouincialis paulò ante festum ægritudine correptus prædicare non potuit, ignarusque vaticinij sermonem habendum Ludouico demandauit.

Vaticinij pars vtraque impletur.

XII. Limæ in Sancti Dominici Cœnobio *Ioannes de Soto* Religionis habitum impetrarat, sed morbum comitialem cui obnoxius erat, silentio presserat. In probationis anno fraus depre-

Nouitij decreta ab Ordine dimissio.

deprehensa *Alphonsum Velasquez* cœnobiarcham permouit, vt de Patrum consilio clam statuerit inutilem Nouitium honestè ad seculum remittere. Iam decreta erat executioni dies, & Nouitiorum Magistro *Petro de Loaysa* iniuncta dimissio, neque humanitus quidquam horum Rosæ innotuisse poterat. Adfuit tamen pia Virgo primo diluculo, & per Fr. *Blasium Martinez* Sacristam rogauit vnà cum Priore Magistrum Nouitiorum ad se in Templum descendere, priusquàm opus conceptum exsequeretur. Venere ambo, mirati quid Virgo hora tam insolita ac præmatura sibi vellet. Respondit illa, se accurrisse supplicaturam pro Nouitio iamiam exuēdo, simulque rogauit decretum expulsionis rescindi. Substomachans ad hæc Patrum vnus replicuit: nescis Rosa quàm malè hoc intercessionis beneficium colloces, at scito iuuenem pro quo rogas, emittendæ professioni prorsus inidoneum esse. Æquanimiter hanc repulsæ asperitatem tulit mitissima Rosa, attamen subiunxit: Videbitur decretum Altissimi diuersum esse, vestroque fortius, nam Nouitius ille ad solemnem Professionem ritè pertinget, & Ordinem Pietatis ac Religionis exemplo insigniter illustrabit. Totum euenit vti Virgo prædixerat.

Rosa obsecrat ne dimittatur.

Prædicit fore hunc Ordini suo honorificum.

XIII. Tres germanæ sorores, *Philippa*, *Catarina*, & *Francisca de Montoya* Rosæ conuersatione & exemplo erudiebantur ad pietatem. Ex his *Philippa* & Catarina desiderabant spreto seculo Religiosum sancti Dominici habitum ac tertij Ordinis amplecti institutum. Sola *Francisca* paulò tenaciùs adhærescebat mundo, totisque præcordijs abhorrebat à seculi diuortio: displicebat religiosæ vestis pannosa simplicitas, oblectabat nitidioris cultùs fimbriata ostentatio, tenebat venusti capillitij fœmineus amor. Coarguebat interdum Rosa nimium Franciscæ in crispanda cæsarie studium, ac dicebat: hos tuos, quos tanto nunc affectu colis capillos ego recisos aliquando visura sum, ne dubites. Demum prędixit apertiùs, Franciscam (& si tunc repugnantem) vnà cum germana sorore Caterina tertij Ordinis Sancti Dominici Monialem fore, at Philippam quę tunc eiusdem instituti flagrabat desiderio in oblatas tandem honestas nuptias consensuram. Respondit successus vaticinio, nam Philippę ardens Religiosi status desiderium cunctis adstupentibus migrauit in Franciscam, illa mari-

Francisca Montoya seculo addictissima.

Increpatur à Rosa.

Prædicitur renunciatura seculo.

maritum, hæc sancti Dominici habitum vnà cum Caterina Sorore obtinuit, capillos, pompam, seculum feruore ac lætitia inenarrabili eiurauit.

XIV. Aliud nobile par Virginum, *Maria & Ioanna Vrtado de Bustamante*, quamquam intima ac familiari Rosæ amicitia gauderent, nil minùs quàm de amplectendo Religionis statu cogitabant. Attamen cum his die quadam in domestico horto coambulans Rosa impetu superno ac repentino sic vtramque affata est: scitote bonæ Sorores, vos ambas vnà cum Auia vestra *Ludouica* Sanctimoniales fore in Monasterio quod dicimus SS. *Trinitatis*, & ego diem illum victura, ac visura sum. His tertia supererat germana Soror *Francisca* nomine quam è contra tantum accenderat desiderium subeundi tertium Ordinem Sancti Dominici, vt vix aliud cogitare libuerit, aut loqui. Communicato demum cum Rosa consilio responsum ab ea retulit, quod postmodum euentus comprobauit, nimirum ipsam nec Sancti Dominici nec alterius Ordinis Monialem sed legitimi mariti coniugem fore: Ità accidit; nam anno MDCXV. nempe biennio ante Rosæ obitum binæ Sorores Maria & Ioanna vnà cum Auia in Sanctissimæ Trinitatis Monasterio velatæ sunt, ac prior *Mariæ de la* O, altera *Ioannæ à Iesu*, vltima *Ludouicæ à Cruce* nomen assumpsit. Francisca nupsit *Hieronymo de Villalobos*.

Simile in alijs duabus germanis Sororibus.

Harum tertiæ nuptias prædicit Rosa.

XV. *Ioanni de la Raya & Mariæ Euphemiæ de Parejas* vnicus adolescebat filius *Rodericus*, quem ipsi à teneris destinarant sacræ militiæ Societatis Iesu tempore suo adscribendum. Creuit puer, at nullo religiosæ inclinationis indicio. Applicatus scholis manifestiùs tam Ecclesiasticum statum quàm literaria quæuis exercitia abhorrere visus est, quidquid ex aduerso vterque parens seu palam cuperet, seu operosiùs suaderet. Afflicta mater delitescentem in hortensi cellula Rosam adijt, dolorem exposuit, precum subsidia enixè flagitauit. Rosa, vt erat accelerandis mœstorum solatijs promptissima, statim quidquid suæ apud Deum orationes valerent Euphemiæ addixit. Mox aliquantulùm cœlos intuens, postque breuem morulam in se reflexa, nil (inquit) ambigito, Rodericus tuus post menses admodum paucos Religiosam induet togam, sed non illam quam tu vnicè volebas Societatis Iesu.

Rodericum parentes Societati Iesu destinant.

Repugnat adolescentis ingenium.

Religiosum sed alterius Ordinis fore promittit Rosa.

XVI. Sau-

XVI. Sauciarunt poſtrema hæc verba Euphemiam, vnde replicuit: ah quàm medullitus mecum triſtabitur maritus meus, vt audierit filium noſtrum illi Societati non fore aggregandum. Reſpondit blandè commiſerans Virgo: quin tu potiùs adora Diuinam prouidentiam quæ tibi hæc tempeſtiuè conſtare voluit, vt ſenſim maritum ad iuſtam æquanimitatem diſponas, ne fruſtra obſtrigillet ſpiritui vbi vult ſpiraturo. Sinite in Roderico operari Diuinam potiùs voluntatem quàm veſtram; & quàmprimum filius tuus regulare inſtitutum amplexus fuerit, vide me moneas, vt Altiſſimo grates referam pro beneficio quo nos affecit.

Spiritus vbi vult ſpirat.

XVII. Tres circiter abiere menſes quando Rodericus inflammari ſe ſenſit impetuoſo ac ſubito Religioſæ vitæ deſiderio, iamque vltro parentes, quandoquidem ita ipſis collibitum erat, incunctanter ſerióque agerent cum Patribus de ſua in inclytam eorum Societatem admiſſione. Reſciuit hoc Roſa, iterumque dixit Euphemiæ: certo certiùs Religioſum videbis filium tuum, at æquè certum eſt, ipſum Societati Ieſu adſcriptum non iri, rudior Seraphici Franciſci tunica illum expectat. Nil minùs tunc aut cogirabat Rodericus, aut optabat cum marito Euphemia. Quin potiùs cum primoribus Societatis iam pertractata, concluſa, parata erant omnia, ſolæ conſenſuri P. Prouincialis expectabantur litteræ, ſed (: Numine ſic diſponente) tardarunt illæ, atque interea Rodericus clam parentibus Cœnobium Sancti Franciſci adijt, habitum petijt, admiſſionem obtinuit, monitiſque & demum flexis ad conſenſum parentibus octiduo poſt ſolemni ritu in pauperem Fratrum Minorum Ordinem adlectus eſt.

Rodericus ſeculum deſerere conſtituit.

Agitur de ipſo in Soc. Ieſu recipiendo.

Ordinem S. Franciſci amplectit vt Roſa prædixerat.

XVIII. Mater de Nouitij conſtantia mœſtè anxièque ſubdubitans, quòd delicatum puerum tantis metuebat auſteritatibus vix parem fore, denuò Roſam adijt, ſolicita, puſillanimis, inquieta, præſertim ex quo reſciuerat filium inter Quadrageſimales rigores nonnihil infirmari. Sed Virgo diffidentiam mulieris leniter perſtringens, tam modicam (ait) fidem habes in auxilio Reginæ Sanctiſſimi Roſarij, cui nouitium Rodericum commendaui? ſcito illum in Ordine ſuo perſeueraturum, & ſuppone te illum iam videre profeſſum. Quid multa? Rodericus mox vt lineam ſubuculam cum lanea commutauit, conualuit, exacto probationis anno ſolemnia

Roſa promittit eius in Ordine perſeuerantiam.

vota

vota emisit, diuque in Seraphica Religione pius & exemplaris Sacerdos superuixit.

XIX. Nobilis Hispani Leonardi de Roya mancipium Maria Perez cum hero clam viuebat in statu damnabili; Compuncta demum, suæquæ animæ salubriùs prospectura, cum modum non videret quo aut periculoso contubernio se explicaret, aut seruili conditione pressa ingenui viri legitimas assequeretur nuptias, Rosæ calamitatem suam fidenter aperuit. Compassa Virgo ancillam bene de Dei misericordia sperare iussit, fore quòd Leonardus ritè ipsam vxorem duceret. Credidit aflicta mulier in spem contra spem, felicique experimento comperit, Rosam non ex vano prompsisse solatium.

Maria Perez implexa pellicatui.

Ei Rosa honestas prædicit nuptias.

XX. *Mariæ de Mesta* Medori Angelini Pictoris coniugi duę simul ancillę Æthiopissę domo aufugerant, earumque altera Antonia nomine etiam claues heræ tunc pernecessarias asportarat. Questa est Virgini iacturam suam, quòdque domum rediens aut arcam vestiariam cuius clauis subducta erat vi effringere, aut in diem posterum aliunde necessariam vestem mutuò petere cogeretur. At subitò respondit Rosa: neutrum facies, nam reuersa ad limen tui domicilij priusquàm de sella prodeas, occurret tibi in *ostio*, qui Antoniam à fuga sponte in ædes redijsse nunciabit; alteram fugitiuam scitocras ad te reducendam. Abijt *Mesta*, & in domus suę limine, antequam gestatoria sella exscenderet maritum in valuis obuium habuit nunciantem redijsse cum clauibus Antoniam. Vicissim marito reposuit *Mesta*: & crastinus dies alteram nobis restituet profugam. Vtrumque vno contextu Rosa prędixerat, vtrumque *Mesta* postridie impletum vidit.

Fugitiua mancipia sponte reditura heræ pollicetur.

Redit ancillarum vna.

Redit postridie & altera.

XXI. Decreuerat Peruani Regni Excellentissimus Prorex Gundisaluum de la Massa Quæstorem implicare procul à Lima functioni honorificæ at perarduæ, quęque virum exigebat summæ tum experientię tum fidei ac integritatis. Misit igitur qui Gundisalui consensum elicerent Regiæ (: quam vocant) *Audientiæ* Senatorem, & Fisci procuratorem, quibus honoris & auctoritatis gratia proprium suum adiunxit Confessarium. Quęstor legationis dignitate perculsus, simulque tum seriam Proregis mentem tum negotij difficultatem probè intelligens, spatium quasi deliberaturus petijt, maxi-

Gundisaluus de la Massa arduo negotio destinatus.

mè quòd tunc ob classem propediem inde Hispanias petituram expediendis infinitis litteris suiq; officij ratiocinijs distringebatur, ne domo vel ad vnum diem abesse posset: reuera autem hæc prætexebat; vt per longioris moræ inducias effugeret ipsum periculosæ plenum opus aleæ. Profecta classe tres supradicti non iunctim sed singuli ad Gundisaluum rediere, ac pluries quidem, premebat enim negotij grauitas & Regis obsequium. Tandem 15. Aprilis quasi peremptoriè monitus, postridie hora pręfixa sese à Prorege ad colloquium in palatio exspectari, facile agnouit iam nullum superesse exosæ profectionis effugium, vnde illomet vespere post cœnam cogitabundus ac tristis angorem sui animi solis coniugi Rosæque aperuit.

Nectit moras vt suffugiat onus periculosissimum.

XXII. Vxor metu dispalluit, sed neutiquam Rosa, quæ die postero ab Oratorio veniens, Quæstorem iam-iam domo exiturum ac Proregi sese stiturum vultu alacri affata est: vade inquit, nec formides, lętior ad nos redibis è palatio, quàm hinc exieris, & ne superfluis te morer, securus esto, arduum illud negotium quod subuereris, in alium transferetur, tu planè immunis eris. Dubitanti Quęstoris coniugi idem bis ter constantissimè inculcauit, adijciens: nec si videris vtrumque mariti pedem immissum stapedi, aut plateæ iam adequitantem, credideris profecturum. Manebit is tecum Limæ, nec emittetur foras ad molestissimæ functionis periculum. Mira res: Quæstor subitò intromissus ad arcanum Proregis colloquium, ab eodem varijs sermonibus detentus per horam & dimidiam, illo momento temporis quo iam adamantini decreti insinuationem pauidus exspectabat, comiter dimissus est, nec Prorex toto seriæ confabulatiouis spatio odiosam illam commissionem verbulo attigit, tametsi quatuor integris mensibus studuisset hanc per supramemoratos Quęstori inuito efficacissimè persuadere. Eadem longo post tempore sic alteri iniuncta fuit, ac si de illa numquam tractatum fuisset cum Gundisaluo.

Metum odiosæ commissionis abigit Rosa.

Coram Prorege mirum de commissione silētium.

Transfertur in alium.

XXIII. *Ferdinandus Flores de Herrera* germanus Rosæ frater Patris exemplo militiam secutus vsque in *Chilæ* Regnum penetrarat, vbi & vexilliferi honore in sua centuria functus est. Huic leucis plus-minus quingentis *Lima* distanti Rosa soror epistolam scripsit, (: nam diuinitus didicerat,

Rosę germanus frater in Regno Chili.

illum

illum in *Chilæ* honesto matrimonij iugo succollasse). Hac solicitè hortabatur fratrem, quandoquidem hunc statum amplexus erat, Christiani patrisfamilias obligationi inter militares strepitus accuratè satisfacere haud negligeret, domum suam ad Dei timorem ac pietatis obseruantiam studiosè formaret, liberos quos illi superna benedictio datura erat, optimis moribus imbuere, sanctèque educare satageret, ac primum quidem matrimonij sui fructum filiolam fore, a Deo peculiariter signatam in facie, quam videlicet purpureus conspicuæ rosæ character esset ornaturus. Hanc itaque mox ab ortu parens dicaret offerretque Augustissimæ Deiparæ, siquidem hæc filiola puritate & innocentia vitæ multùm placitura erat Altissimo.

Hunc Rosa per litteras officij ad monet Christiani.

Prædicit ei nascituram filiolam cui Rosa in facie.

XXIV. Ita euenit: nam post biennium circiter nata est Ferdinando prima hæc soboles, secumque ab vtero matris attulit rosæ typum in vultu tam bellè & accuratè effigiatum vt nec penicillo venustiùs depingi potuisset. Adoleuit cum hoc signo paruula, mirantibus quotquot Rosæ litteras pridem viderant. *Didacus Gonzales Montero*, *Christophorus de Aranda Valdiuia*, alijque centuriones ac Chilensis militiæ Prefecti certatim adibant *Ferdinandi* ædes, deuoto hoc spectaculo coram fruituri, nam & puella (: iuxta Rosę vaticinium) mirè à teneris propendebat in religionis ac pietatis exercitia. Tandem prematurè vtroque parente orbata remansit sub tutela pupillari, donec *Franciscus Lasso de la Vega* Chilensis Regni Gubernator & præses ob Rosæ tunc defunctæ piam & vsque in Chile celebrem memoriam in se officium curamque suscepit vltro, vt orphanam suo sumptu è Chile Limam transmitteret, vbi Auiæ *Mariæ de Oliua* (: iam tunc Moniali) in S. Catarinæ Senensis Monasterio sanctissimè conuixit, ac singulari virtutum exemplo mirabiliter coruscauit.

Puella mirè addicta pietati.

E Chile transmittitur Limam.

XXV. *Isabellæ de Mexia* nobili Matronæ ancilla erat Æthiops, *Speranza* nomine, quod vltro sibi (: ac si Christiana esset) imposuerat. Hæc à promontorio Africę (Hesperium olim, nunc *Caput viride* appellatur,) ab interiori Lybia per mare Atlanticum abuecta in Indias, primùm quidem in Isthmo *Panamæ* seruierat, exinde Limam deducta iam à sexennio ancillabatur Isabellæ. Accidit eam grauiter infir-

Speranza ancilla se fingit alibi baptizatam.

mari, quapropter supplex Rosa tum Isabellam tum suam Matrem exorauit, concedi sibi Speranzam in maternis ædibus suo ministerio commodiùs procurandam. Vt allata fuit, repente Virgo perplexum quid secum mussitans, demum apertè dixit Matri: sentio, Speranzam non esse baptizatam. Ægra ex aduerso malum pudorem obstinatione peiori obarmans contendebat peruicaciter, in *Panamá* se sacro Baptismo tinctam fuisse, & vt fidem conciliaret mendacio, fingebat nomina plurium quos interfuisse iactabat, comminiscebatur Patrinos numquam natos, locum, annum, ritum, omnia, prɐter veritatem.

Diuinitus innotescit Rosæ, non esse Christianam.

XXVI. Perfacile ipsi fuit tum Dominæ suɐ tum Mariɐ de Oliua ceterisque imponere, adeo vt Rosam velut importunè molestam arguerent. Verùm ingemiscebat Virgo idemtidem suspirans ac palam deplorans infirmam non baptizatam. Superuenit prouidente Numine post dies vndecim Gundisalui Quɐstoris mancipium Franciscus qui Speranzæ ex Africa Panamam, inde Limam iugiter comes fuerat: is interrogatus respondit simpliciter, se semper credidisse, quòd vtique intra hoc sexennium Speranza Limæ baptizata sit, nam quòd in Panamà Baptismus ei non obtigerit, habere se compertissimum. Hìc tandem conuicta mendacij, sed admirans vnde id Rosa potuerit diuinare, sic coram omnibus orsa est loqui: dum ex Panamà huc in ædes Isabellɐ veni, reliquɐ ibidem Æthiopes me per ludibrium *equam* appellitabant quòd baptizata nondum essem; at ego conuicij impatiens replicui audacter, æquè vt illas Christianam me esse. Abinde ne pudefierem, mendacium meum pertinacia tueri conata sum vsque in hodiernum diem. At nunc à Rosa (nescio quo modo) deprehensam me fateor, & Baptismum flagito. Confestim Virgo acciuit vicinum Sancti Sebastiani Parochum Licentiatum *Quixanum*, huic rei seriem infirma annuente exposuit; baptizatur Speranza, moriturque postridie.

Patescit noxium ancillæ mendacium.

Fatetur se simulasse, & quare.

Baptizatur & postridie moritur.

XXVII. Nemo audebat interrogare lætam hoc successu Rosam, vnde arcanum Speranzæ statum didicisset, nam hunc ei non potuisse humanitus Limæ innotescere, apud omnes in confesso erat, ex altera parte Virgini cœlitus infundi abstrusas notitias pridem constabat Matri, quæ inter alia

legendi

legendi scribendique scientiam non acquisitione sed Diuina infusione irrorasse minorenni filiæ grato experimento compererat. Res demum ita patuit. Docuerat Mater filiolam Rosam vtcumque singulas nosse alphabeti literas, iamque in eo erat, vt de ijsdem in syllabas combinandis puellam instrueret, simulque in pagella rude exemplar dederat, vt inde calamo characteres formare disceret. Malebat Rosa totum hoc tempus orationi dare, sed Mater suspicans filiolam puerili more discendi tædium ac laborem defugere, induxit Confessarium vt coram se iuuenculam de neglectu redargueret. Fecit ille bona fide quod iussus fuerat, sed Rosa postridie oratione præmissa Matrem adijt librum oblatum expeditissimè legit; insuper programma exhibuit sua manu eleganter conscriptum; nempe meliùs docuerat Vnctio quã *Oliua*, & idem qui Sanctæ Catarinæ Senensi artem legendi scribendique supernè infuderat, dignatus est & Rosam pari infusionis compendio diuinitus erudire. Porro ne his minutioribus immoremur, tandem hoc Magistro suę mortis diem locum, horam edocta nemini dulciùs quàm sibi suoq; funeri felix vates præcinuit. Verùm id commodiùs proximo Capitulo seruatum esto.

Rosa legẽdi scribendique peritiam adquirit diuinitus

S. Catar. Senensi etiam in hoc suppar.

CAPVT XXVIII.

Rosa mortis suæ præscia grauem vltimæ ægritudinis luctam fortiter excipit, inuictè sustinet.

I. DVriùsne premat certitudo mortis, an horæ ac diei incertitudo, problema sit, illic decretum hìc secretum affligit mortales, nisi quòd solis Dei amicis mori sit lucrum, & insuper nonnullis horum eximio fauore Numinis secretum diei & horæ reueletur. Hinc & Rosæ quotannis festum Diui Bartolomæi (: quo se morituram præsciebat) tam pretiosum & charum fuit; hoc studio singulari colebat deuotiùs, nec suo contenta

Cur festũ S. Bartolomæi tantopere amarit Rosa.

Quomodo solita eius celebrare peruigilium.

ta ieiunio, aliquot innocentes puerulos induxit, vt secum in huius festi peruigilio ieiunarent, hi verò etiam post Rosæ obitum perrexerunt eiusdem Apostoli recurrentes Vigilias spontaneo celebrare ieiunio, nec aliam norant piæ consuetudinis rationem dare, quàm quòd sic à Rosa fuerant instituti. Mirabatur curiosa Mater, quid filiæ tam peculiare cum Sancto Bartolomæo verteretur, donec tandem audiuit à Virgine, hunc sibi diem aliquando fore nuptialem, quo ad Sponsi thalamum esset euocanda.

Rosa cum morte luctatur, nondum moritura.

II. Adhuc mortalitati Virginis supererat circiter triennium, quando ex graui morbo decubua videbatur omnibus iam vitæ marginem extremum attigisse; nemo dubitabat intra pauculos dies è viuis abituram: domestici velut iam mortuam plangebant, cum subinde num adhuc spiraret ambigerent. Adstitit inter alios Confessarius P. Magister Fr. *Ludouicus de Bilbao*, cœpitque voce lachrymosa affari Virginem ijs formulis quibus ad postremum agonem solicitiùs animari solent moribundi. Audiebat quietè & auidè Patris spiritualis vltima solatia gemens Rosa, illiusque hortatui promptè se accomodans nunc contritionis actus feruentissimos, nunc humillimæ resignationis tranquilla suspiria, nunc anhela supernæ Patriæ desideria facili conatu frequentabat. Verùm vt vidit circumstantes velut re perdita liberiùs singultire, ipsumq; Confessarium lachrymas tenere non posse, cohibere nec ipsa potuit roseum commiserationis affectum, vtque consolaretur ceteros, ita allocuta est Patrem: depone metum, abige intempestiuum mœrorem, ac certus esto, me nequaquam ex hac licet tuo omniumque iudicio complorata ægritudine morituram. Heu! longiùs abest meta ad quam propero, attingam demum, sed non modò. Quòd si nunc morerer, bis mihi moriendum foret, nam qui vltimò lethum mihi allaturus est dies, procul distat, nec opinandum, hanc Sponsi voluntatem esse, vt bis moriar. Mirabatur Confessarius hæc tanta cum securitate ac fiducia proferri a Virgine, quam sciebat nec temerè loqui solitam, nec in re tam abdita quidquam asseueraturam, nisi diem sui transitus diuina reuelatione compertum habuisset.

Attamen docet modum bene moriendi.

Securè prædicit, victuram se diutiùs.

III. Annum denique suæ ætatis trigesimum secundum Rosa attigit, quem minimè se finituram dudum prænouerat.

Vnde

Vnde quatuor ante obitum mensibus valens ac sana Gundisalui vxorem sic allocuta est: scito Mater, me quarto ab hinc mense viam vniuersæ carnis certò ingressuram. Vltimæ infirmitatis meæ dolores qui me conficient atrocissimi erunt, sed omnium erit immanissimum tormentum sitis, cui vt tunc subuenias, ex nunc obnixè & anxiè te precor. Memento ne mihi torridis faucibus aridisque visceribus tua materna viscera imploraturæ lympham deneges qua indigebo. Pollicere hodie Mater, quòd in illo mortifero extremæ sitis incendio me non destitues, quin poscenti aquam præbeas. Attonita his dictis Matrona, & Virginem attentè intuita, vt vidit tam seriò cernuèq; supplicem, promisit fide bona, se poscenti daturam quoties & quantùm aquæ foret petitura. Interim dolebat tam prope imminere decretorium Rosæ diem.

Tractat Rosa de sua vltima infirmitate.

Clariùs prædicit obitus sui tempus.

IV. Porro & locum (: sed integro anno ante) eidem Matronę prædixerat: nam quodam vespere inter spiritualia colloquia subitò præter morem interpellans Rosa vultu amœnissimo modestisque lætitiæ signis diducto in hæc verba erupit: scito Mater, me non alibi quàm hìc in domo tua & hoc loco naturæ debitum soluturam, & si videris me in parentum meorum ædibus vltima ægritudine corripi, non ambigas, hìc non illic soluar mortalitatis nodo. Nunc ergo per omnia nostræ amicitiæ iura te obtestor, ne quando hìc expirauero corpusculum meum alijs fœminis committas vestiendum feretroque aptandum, soli tibi ac genitrici meæ hanc curam pro amore Dei assumito, vobis solis vltimum hoc pietatis in me officium supplex commendo.

Et locum.

Curam sui funeris committit.

V. In celebri arcuum visione (: de qua supra Cap. XVII.) pius Saluator tempestiuè coram fulgido innumerabilium Angelorum exercitu reuelauit Virgini totam seriem immanium dolorum quibus vltimò lancinanda ac præparanda erat ad beatam immortalitatem; hos tam acutos, sæuos, multiplices fore, vt ceteri quos illactenus pertulerat istis collati vix nomen doloris mereantur, singula exhausti sui corpusculi membra proprium habitura equuleum, vt nullum alteri aut succurrere possit aut cruciatum naturali consensu partiri, sitim eamdem quæ in Cruce exanguem torsit Redemptorem arida Rosæ viscera faucesque occupaturam, intimas os-

Rosæ dolores ante obitum sustinendi.

sium

sium medullas ardore intolerabili depascendas, nec vllum ex tot simul atrocibus morbis solitum naturæ ordinem, periodum, leges, aut interualla admissurum, eò quòd præternaturalis futura sit tot mortalium tormentorum exlex congeries. Rosa ne tantæ amaritudinis calicem expauesceret in Sacello Rosarij velut in horto Gethsemani sese tum voluntati Patris æterni, tum adiutorio Virginis Matris ardenter commendauit, quando annuente Deipara ibidem apertiùs didicit prope adesse diem, quo totum hoc mortiferi promulsidarij absynthium sibi strenuè sit epotandum. Superuenit fortuitè *Ioannes de Tineo Almansa* familiaris, qui Virginem obiter salutans eius se precibus commendabat. Vicissim Rosa flammante vultu (: quem serium istud Deiparæ colloquium vehementer accenderat) precum subsidia ab illo flagitauit perplexè aliqua interserens, quæ Ioanni sat erant, vt intelligeret, tunc Rosæ præcisum vicini obitus sui diem fuisse reuelatum.

Rosæ ad illos excipiendos præparatio.

VI. Denique triduo ante fatalem postremæ ægritudinis syncopem Rosa vltimò adijt parentum ædes, fortè clam valedictura suæ ibidem hortensi cellulę tot secum cęlestium deliciarum conscię. Illic se Virgo solitariam ac sine arbitris putans cygnæos exorsa est modulos, suęque morti iam propinquę dulciter pręcantillauit. Obseruabat insciam è vicino angulo Mater, audijtque filiam arguto fluidorum rythmorum iubilo blandientem Sancto Patri suo *Dominico*, cui impensè commendabat Mariam de Oliua Matrem suam, crebrò inculcans ac repetens, hanc breui (: se moriente) mansuram solam; proinde huic orbę ac derelictę suam è Cœlo impenderet tutelam, quam tandem adoptaturus esset in filiam. Percelluit Matrem arcanus horror, & tunc quidem dissimulauit, fortè subdubitans non admodum seria esse, quę metricè ac per cantilenam efferuntur non quia vera, sed quia obuia: donec tertius dies (: qui mensis Augusti primus erat) aperuit non poeticè sed prophetice cantatos fuisse migraturi oloris thręnos, ni mauelis dicere iubilos.

Valedicit hortensi Celluiæ.

Matrem ibi commendat S. P. Dominico.

VII. Calendis Augusti Rosa sub vesperam sana ac vegeta suo sese cubiculo incluserat, exspectatura illic promissos vltimi sui accubitus dolores, quorum anteambulones ac strategos sentire iam cœperat. Et ecce sub noctis medium auditur

tur

tur miserrimè eiulare. Accurrit Quæstoris vxor cum filiabus & ancillis, inueniuntque ægram toto corpusculo extensam per solum; rigebant membra sine motu, sola pectoris anhela palpitatio & languidæ vocis querula raucedo Virgini scintillam vitæ inesse arguebant. Instabat anxia Matrona, iuterrogabat, vbi quid potissimùm doleret, quid demum haberet mali, sed Rosa præ tenuitate spiritus tunc respondere aliud non potuit, nisi quòd verbis intercisis diceret: malum quidem se nullum habere, at ipsissimam mortem in intimis viscerum suorum penetralibus liberrimè dominari. Interrogata, velitne aduocari Medicum? *Cælestem* respondit, & obticuit. E terra interim sublata in lectulum nec mouere se poterat nec quiescere, frigidus sudor stagnabat in pallida fronte, luctabatur velut ingenti mole pressa spirandi facultas, discordes arteriarum temporumque pulsùs certabant de palma vehementiæ, & incertis interuallis nunc tumor nunc tremor exangue corpusculum oberrabant. Tantùm in hoc Virgini bene erat, cum subinde libero suspirio IESV nomen tenerrimè pronunciabat. Manè facto acciti Confessarij infirmæ adstiterunt, mirantes viuum illud ac taciturnum omnium dolorum simulachrum. Adfuere & Medici, statimque explorata vi pugnantium morborum hærebant in mutuo intuitu marcidi, fatentes aceruum tot cruciatuum omni humana patientia superiorem videri, neque dolores illos omnino naturales esse, altiores hìc sæuire paroxysmos quos artis suæ experientia nondum agnouerat. Nimirum hic ille calix erat quem Sponsus biberat, quem Sponsæ miscuerat, ac tam diu ante præmonstrarat.

Mortis præambula Rosam inuadunt.

Solum Cælestem petit Medicum.

Crisis Medicorum.

VIII. Confessariorum vnus rogauit Virginem, saltim Medico exponeret quid sentiret; cunctantem adegit imperio, credens ab humili modestia non à tormentorum excessu prouenire silentium. Audito præcepto mox obedientia doloribus robustior fuit, & quamquam Rosa creberrimis experimentis omnium penè morborum nomina didicerat, hunc tamen (: vtpote peregrinum) nonnisi per similitudinum periphrases explicare valens ita respondit: scio me commeruisse quæ patior, at nesciebam tantùm pœnarum in corpus humanum cadere ac per singulos ar-

Iussa morbum exponere quid responderit.

tus diſtribui poſſe; videtur candentis ferri globus mihi per tempora adigi, & à ſummo vertice vſque ad infimam plantam dextri pedis ignitum veru tranſmitti, cuius me vehementia quodammodo in altum attollit: ſimili ardore tranſuerſim à ſiniſtro latere per meditulliũ cordis ignitus pugio me peruadit, (: obſeruet lector in hoc duplici ac decuſſato ardoris tormento Crucis formam exprimi) caput meum candenti galeæ videtur incluſum, illic ſine intermiſſione validis puncturis ceu malleorum ictibus vndique contunditur; oſſa mihi ſenſim reſoluuntur in puluerem, medullæ inſtar cinerum aruerunt, ſingulas iuncturas ſinguli obſident cruciatus quibus nec nomen, neque tormentum cui eos comparem inuenio. His quidem ad extrema paulatim me deduci comperio, ſed quia dolorum meorum intenſioni acceſſura eſt certa in pluſculos dies extenſio, ſimul efflictim compatior labori ac moleſtiæ qua domum iſtam diutiùs quàm vellem oneratura ſum. Ceterà conſummet in me Dominus totum quod collibitum eſt ſacroſanctæ voluntati ſuæ, ego neque mortem nec morte diriora ſupplicia hæc recuſabo.

Cruciforme tormentum Roſæ.

IX. Auxere hi ſermones vertiginem Medicorum, fluctuabant in mutuo aſpectu confuſi, perplexi, attoniti, nam hinc notiſsima Roſæ virtus & ſanctitas non ſinebat quemquam de dictorum ſuorum veritate ambigere, inde aberant indicia quæ lethalis morbi ſuſpicionem confirmarent, cum nec febrile quidquam pulſaret in venis, nec inſolita tot ſimul alterationum viciſſitudo vllum foras emitteret critirion alicuius morbi quem ſchola Æſculapij noſſet. Ceterùm Virgo clam ſuo Confeſſario P. Magiſtro de Lorenzana aperuit, fruſtra Medicos in exploranda huius morbi ſpecie laborare, cum totus præter naturam eſſet, ac aforis immiſſus via multiplici vndequaque à peripheria ad centrum tenderet, mutuiſque occurſibus alij alios paroxyſmi ſumma affectionum varietate interſecarent, proinde non alia hìc quàm immedicabilis Iobi patientia ſibi opus fore, vt quoquo modo ſingulos Crucifixi Sponſi ſui dolores membratim experiretur. Ergo rogauit obnixè Gundiſalui coniugem, ſibi permitterent ſaltim per aliquot dies ſic iacere abſque humano alloquio, forte vt ſub ſolitario

Vis morbi omnẽ naturæ ordinem ſupergreſſa.

hoc

hoc silentio quietiùs intimos & inexplicabiles suos dolores intingeret vltimis doloribus crucifixi Amoris, cui se membratim confixam in Cruce sentiebat.

X. Verùm interrupit qualemcumque istam crucis quietem superueniens Rosæ Mater, quæ intromissa ingenti suo terrore infirmiorem reperit filiam quàm sibi fuerat nunciatum; itaque molestè & anxiè vrgebat ægram, diceret qua parte grauiùs doleret. Breuiter respondit filia, omni ex parte sibi malè esse, hoc solo dempto quòd verè hi crucis dolores erant. Sed neutiquam hoc responso contenta Mater, ac fortè persuasa ex taciturnitate patientis filiæ retardari opem medicinæ, voluit exponi sibi minutim singula, vidensque luctari infirmam, eò quòd nesciret vnde incipiendum aut quæ nomina danda morbo tam anonymo ac præternaturali, imperiosiùs per virtutem sanctæ Obedientiæ adstrinxit filiam eloqui secreta quæ non nouerat. Rosa memor nullibi quàm in Cruce ampliorem obedientiæ patere locum, ab ipsa mutuauit loquendi vires & spiritum, perque eadem similitudinum compendia (: siquidem aptiùs non poterat) explicuit Matri, se velut oblongo ignito iaculo à vertice vsque ad calcaneum transuerberari miris ardoribus, quibus totum sinistrum latus videbatur eleuari, simillimo torre sese transuersim penetrari à latere ad latus, hac vstulatione sibi ossa incinerari, (: nimirum Crucis holocaustum erat) medullas ac tendines frustillatim candenti forcipe euelli, passim per fibras oberrare acutissimum gelu, ipsaque tot flammularum antiperistasi sæuiùs irritari, mandibularum cardines tamquam filo chalybæo arctissimè strictos ad omnem oris motum luxari à iunctura, aures & tempora velut ingesto candenti orbiculo dispunctim torreri, os & fauces interiùs hiantibus plagis cruentè vlcerari, guttur cum tunsillis instar pumicum emarcuisse præ ariditate ac siti, (: & quidni in cruce audiatur *Sitio*?) cranium velut incudem ictibus creberrimis ac lacertosis affatim contundi, nec vllum ex omnibus his supplicijs vel ad momentum interquiescere. Hæc sunt (: inquit) Mater mea dulcissima, quæ tibi vtcumque adumbrare potui, vt obedirem, cetera ne ruditer quidem possum, nec si possem caperes. Fleuit turbata Mater, hoc maximè plorans

Rosæ mater de qualitate morbi filiam examinat.

Quid Matri præcipienti responderit.

Sitis extremum tormentum Rosæ.

quòd præter lachrymas non habebat quo filiæ dolores inungeret. Sed Virgo pietate saucia conabatur has inutiles afflictæ Matris lachrymas sistere, rogans cohiberi fletum, quasi Sponsi verbis diceret *Nolite flere super me.*

XI Illuxit interea sextus Augusti dies, Christi Transfigurationi sacer, at Rosam is non in Thabor sed in Caluariæ monte inuenit, fortiùsque defixit. Videbantur intimi Virginis dolores aduocasse in suum adiutorium reliquam naturalium morborum cohortem, ne aut vllum pœnarum genus tantæ patientiæ deesset, aut vlteriùs ambigeretur infirmitatem Rosæ lethalem esse. Prima adhoc festum accita comparuit lateris sinistri paralysis, qua totius corporis læua pars à summo deorsum eneruata in lethalem stuporem distabuit, vt inde inciperet Rosa per partes emori. Sola lingua singulari Dei beneficio intacta ad pietatis vsum viguit vsque ad extremum halitum, reliqua ex eo latere membra sic obtorpuere vt nunquam ad officium redierint, quidquid demum vnguentorum, defrictionum, fomentorum magis ad cumulandam molestiam quàm ad conciliandum leuamen impenderetur. Ex solo pondere sentiebat ægra, adhuc se brachium pedemque alterum habere, ceterà siue erigenda tantisper in lectulo, siue in alterum latus vertenda manibus egebat alienis, plus condolens aliorum incommodo quàm dolens ex proprio. Successere aut potiùs accessere paralysi varia minoris notæ symptomata, verùm 17. Augusti inflammata vtrimque costarum membrana notabilem adiunxit pleuritidem, huic se paulatim adsociauit raucum angusti pectoris asthma, vt ardores qui intus velut in clibano assabant viscerum reliquias, non sine nouo cruciatu leuamen admitterent rari suspirij. Pleruritidem auxit ischiadum acerbus dolor, cholica, hypochondriarum dira conuulsio, accensa in pede dextro nodosa arthritis; denique continuæ febris caustica intemperies reliquorum morborum confudit distinctionem, tamque potenti, varia, & concumulata vredine opus fuit, vt vnica hæc Rosa fatali demum marcori succumberet; mirum, non succubuisse citiùs, at gloriosissimum martyrii genus est lentè, imò articulatim mori.

Accedit reliquis morbis paralysis.

Deinde Pleuritis.

Item Ischiatica cholica, arthritis &c.

XII. Aceruatos tot dolorum ac morborum cumulos æsti-

æstimabat, acceptabat resignato animo serena & constans Rosa, velut manu Christi admensos sibi ex illa mirabili statera, quam in visione Arcuum attentissimè obseruarat, secura tantis afflictionibus successuros totidem cumulos gratiarum, nempe *æternum* illud *gloriæ pondus*, de quo Apostolus 2. Corin. 4. cui nomen *Gratia consummata*. Hinc illa inter acerbissimos cruciatus placida ac suauis animæ quies, hinc illud fiduciæ ac spei infractum robur, quod multos, ac præcipuè spirituales suos Patres abripuit in stuporem, hinc illa festiua & blanda cum Dilecto soliloquia, *Domine plus, plus: imple adorandum & sanctum beneplacitum iustissimæ voluntatis tuæ, imple trutinam, superaccumula doloribus dolores, at memento simul augere meam patientiam*. Suspirabat interdum, at sine gemitu: *Domine in adiutorium meum intende, nam sine illo nil possum.* Subinde cum laterum dolore vrgebatur ad sanguinis vomitum, familiari idiomatis sui rythmo alloquebatur Sponsum, *Domine, tantùm ne in ira corripias me, nec arguas in furore, dum vis quòd mea crimina detergam hoc cruore.* Audita est aliquando Crucifixum quem iugiter gestabat inter amplexus, dulci teneritudine sic affari: *mi Iesu, quando à te poscebam dolores, credebam illos mihi mittendos quibus à prima iuuentute me exercuisti, at nunc aliter tibi visum est, benedicta sit abundantia tam copiosæ misericordiæ tuæ.* Cuidam ob rigidos paralysis stupores sibi familiariter compatienti mira vultus animique serenitate respondit: aliquando se tractasse cum Deo, de adoptando mendico puerulo, quem ipsa educaret in spem Euangelij inter barbaros propagandi (: vt supra Cap. XXIII. narratum est) verùm nunc binos sibi datos esse, quorum vnum sinistro genu, alterum læuo brachio exceperat portandum ac nutriendum. Hoc penè ioco indigitabat molem emortui genu & brachij, quibus grauiori pondere sua paralysis insederat.

Rosa inter hos angores quietissima.

Eiusdem cum Deo soliloquia

Faceta responsio

XIII. Paulatim subuerebatur (: nec sine causa) Virgo sapiens, ne tot simul morborum continua & atrox violentia sibi rationis vsum eriperet, totamque cerebri temperiem dissiparet; maximè vbi tot dies noctesque planè insomnes, tot motuum vicissitudines, tanta occipitis inflammatio, ac temporum inquietudo certam ferè caliginem ac

iudicij

iudicij eclypsim minabantur. Itaque humilis Rosa voce tremula flebilique supplex obsecrauit domesticos, secum rogarent Deum, vt ex ea dumtaxat parte mitigaret vim morborum qua menti liberoque vsui rationis nocere poterant. Respexit humilitatem ancillulæ suæ Diuina pietas, illique integrum expediti iudicij & linguæ vigorem peculiari prodigio inter assidua exhausti cerebri deliquia immunem seruauit vsque ad extremum halitum. Attamen sæpè inter hos angores Virginem ab vsu exteriorum sensuum abduxit vel morbi vehementia vel contemplationum excessus, adeo vt somno leniter sopita putaretur, vnde nonnullis etiam de infirmæ salute paulò meliùs sperare collibuit, quòd eam crederent pauxillum dormiuisse. Præ ceteris solicita Mater laborabat persuadere filiæ, hæc rediture valetudinis signa esse. Verùm subridens, morique certa Virgo replicuit, nil minùs quàm soporem fuisse quod viderant, nec tales esse cruciatus suos, qui aut vnici momenti starent inducijs, aut cum somno possint vel tantillam inire societatem; proinde non dubitarent breui se consummandam iri, at priùs amarum hunc passionis suæ calicem amore Sponsi ad imum vsque fundum sibi exhauriendum fore.

Rosæ vsus rationis & lingua à tot morbis non impedita.

Spem vlterioris vitæ placidè refutat.

XIV. Crucis archipincerna sitis immanissimè Rosam torquebat imò torrebat in dies vehementiùs; itaque in Gundisalui coniugem obtutu miserabili, cernuo, lachrymoso, frequenter, languidè, dolorosè respiciens orabat supplex, tantillum aquæ ad refrigerium sibi porrigi, fel (: cui pridem assueuerat) cum aceto iam in delicijs reputatura, si impetrari potuisset. Matrona quàmuis commiseratione efflictim saucia negabat id sibi per Medicos licere. Vrgebat Rosa, meminisset datæ fidei, qua quarto ab-hinc mense promiserat valenti ac sanæ, quantùm aquæ in vltima ægritudine flagitaret, se promptè daturam. At excusabat illa, se iam promissum implere non posse. Vnde Virgini cruciabiliter arescenti vnum id superfuit, cum moriente Sponso clamare: *Sitio*.

Sitienti Rosæ aqua denegatur.

CAPVT XXIX.

Roſæ marcor extremus, ſuaue deliquium, & mors pretioſa.

I. ADfuit demum acceptabile tempus, quo Roſa non tam Sirij, quàm ſitis ardoribus exſucca, dolorum ſpinas cum vita exueret in Sponſi Paradiſo amœniùs renaſcitura. Lethalia decumbentis ſigna diſſimulari iam non poterant, erantque Virgini acceptiſſima, quòd his quaſi fideiuſſoribus liberior ſibi concedebatur campus ſubmota corporis cura tractandi de ſola anima. Igitur crebriùs acciris Confeſſarijs tenerrimam conſcientiam exomologeſi pluries iterata quàm-diligentiſſimè expiauit, ſemel quidem generaliter de tota vita ſua, deinde frequentiùs at breuiùs, ſemper tamen cum ſonoro pœnitudinis intimæ ſingultu & lachrymis ſe accuſans, ita quòd procul auditi gemitus non paucos compunxerint, mirantes Virginem in ſummis corpuſculi tormentis adeo gemendi parcam nunc in leuiſsimis animi morbis enarrandis tam amarè altùmque ingemiſcere.

Adrepit non obrepit mortis hora.

Abijcitur omnis cura corporis.

Frequens & lachrymoſa Cõfeſſio.

II. Poſthæc triduo ante felicem tranſitum complicatis in ſupplicandi ritum manibus, voce flebili Diuinum Viaticum, extremamque Vnctionem petijt. Vt audiuit, epulum Euchariſticum ſibi adferri, viuido colore ſuffuſa coruſcantis auroræ inſtar gratioſè rubuit, mox gaudio ſuo impar in altiſsimam extaſim diriguit, attonitis quotquot aderant, quòd nihilominùs aptè expeditèque reſponderet Sacerdoti qui de more Sacratiſsimam Hoſtiam manu tenens interrogabat quæ ſub illo articulo ſolent interrogari. Suſcepto Diuino Sacramento pallida & exanguis nullo vel minimo labiorum motu ſic fixa hæſit, vt diu inter adſtantes dubitatum fuerit, num Sacram Hoſtiam in ſtomachum tranſmiſiſſet: denique P. Magiſter *de Lorenzana*, metuens nè fortè Virgo tam aridis morboque adſtrictis faucibus glutire non poſſet, quæſiuit ſolicitè quo ſtatu res eſſet.

Sacro munienda Viatico abit in extaſim.

Roſa

III. Rosa ad Confessarij vocem repentè sibi reddita respondit, iam Hostiam sacrosanctam per guttur ad intima descendisse. At ipse memor admirabilium effectuum quos instar solis operari solebat in Virgine hoc viuificum Sacramentum, (: vt fatentem ipsam retulimus supra Cap. XXII.) breuissimè illam hortatus est, frueretur nunc Sole suo. Appositè; nam vno eodemque die in Zodiaco Sol mensis Augusti ex *Leone* transibat in *Virginem*, & Sol Eucharisticus verè Augustus vltimò Virginem Rosam virgineo suo corpore adimplebat. Certè & hæc Virgo inter morbum & mortem velut inter *Leonem & Libram* media erat, nam ille *quasi Leo sic contriuerat omnia ossa eius*, hęc æternum gloriæ pondus appendebat Virgini in statera, de qua Cap. XVII. sed ad alia.

Sacramentum instar solis Rosã vegetat.

Sol in Virginẽ.

IV. Quàm immobilis riguit dum sacrum Viaticum sumebat in extasi, tam alacri omnium sensuum officio Extremam Vnctionem moribunda excepit, verè *oleum letitiæ*, quo sese potiùs ad triumphum quàm ad agonis conflictum sensit animari, vtpote salutis adeo iam certa quòd insuper nosset absque Purgatorij ignis contactu se recto itinere ad Sponsi nuptias profecturam. Sæpiùs coram adstantibus voce quantùm potuit elata & clara orthodoxæ Fidei professionem replicuit, non sine iubilo ac pene addito cygnæo cantu protestans, se vti hactenus vixerat ita iam mori filiam Sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ, se credidisse semper & credere quidquid credendum proponit ac docet Magistra fidelium Apostolica Sedes, numquam se (: dum sui compos sit) ab huius fidei solidissima firmitate recessuram.

Extremè inungitur.

Præscit absque Purgatorio se sursum euolaturam.

Læta professi Fidei.

V. Proxima huic cura fuit, se palam ac deuotè S. P. sui Dominici sobolem profiteri, vnde candidum sui Ordinis intersigne quod *scapulare* dicimus, foris super stragulas coram se continuò & patulè extensum videre ac videri voluit, tamquam proprium religiosæ militiæ vexillum, sub quo meruerat vsque ad extremum spiritum, estque hæc vestis illa, qua Virgo-Mater nascentem Fratrum Prædicatorum Ordinem ceu pannis infantiæ suismet manibus inuoluerat. Porrò gauisa est Rosa, cum à P. Lorenzana suo Confessario quod numquam sciuerat tunc primùm didicit

Sub Ordinis sui veste mori eligit.

Vnde hęc vestis Ordini data.

hunc

hunc perpetuum in Ordine morem esse, quòd moribundis Religiosis illo modo sacrum Scapulare insternatur. Hinc Rosa moritura teneriùs suum osculabatur scapulare, quo quasi *viam lacteam* sibi signari ad sedes empyreas sentiebat.

VI. Inuiserat Rosam morti vicinam P.F. Bartolomæus Martinez Prior Limensis Cœnobij ad Sanctæ Mariæ Magdalenæ, vir admodum religiosus & Dominicanæ ibidem Obseruantiæ vigil zelotes, cui per quinquennium Virgo conscientiæ suæ latebras solita fuerat aperire. Ab hoc ægra humillimis precibus flagitauit sibi verbatim prælegi formulam exquisitissimam summèque efficacem, qua moribunda veniam à Deo exoraret pro omnibus, qui Rosam in totius vitæ suæ decursu molestiis, damnis, vlloue genere iniuriarum affecerant. Annuit pius Pater, illiusque præeuntis verba sequebatur Virgo Crucifixi iconem manu stringens, nec satiari poterat his verbis tenerrimis: *Pater ignosce illis*. His illanguebat tota affectuum dulcedine, horum repetitione inardescebat medullitus, nec fatigabatur orationis prolixitate, modò in eadem verba sæpius recurreret.

Moriens orat pro ijs qui ipsam in vita afflixerant.

Dulcescunt palato Rosæ verba Christi in Cruce.

VII. Expleto hoc pietatis officio blandè ac suauiter Patri gratias egit, quòd in opere tam pretioso ac serio aptam sibi methodum viamque recitando præiuerat, qua vtcumque imitaretur Diuinum in Cruce Agnum pro suis aduersarijs extremè deprecantem. Hinc in se reflexa domesticos Gundisalui Quæstoris acciri demissè petijt, & quamquam ex his neminem verbulo aut minimo vnquam nutu offendisset, à singulis & omnibus voce lachrymosa ac supplici orauit sibi condonari, si qua in re vlli nocuerat siue incomposito morum exemplo, siue tarditate obsequiorum, aut tetrica singularitatis molestia; dolebat se ipsis adhuc ferè per biduum oneri fore, rogabatque ne prope terminum amittere velint longanimitatis suæ fructum, ac patientiæ meritum, haud procul abesse horam quæ domum Gundisalui à fœtidæ Rosæ longo fastidio inutilique pondere liberaret. Nemo aderat, cui tantę humilitatis verba lachrymas non excuterent, nam vt tenerrimè Rosam suam diligerent, sat fuerat singulis ipsam nouisse, eiusque sanctitatem, innocentiam, animi demissionem, candorem, &

Veniam à domesticis efflictim petit.

Compunguntur ad fletum.

obſequendi affectum tantis experimentis comprobaſſe.

VIII. Sciebat Quæſtor Virgini (: prout ſub Dominicani Ordinis habitu atque Obedientia vixerat) in votis eſſe, non alibi quàm ad Fratrum ſuorum pedes ſepeliri, at metuebat vir prudens, nè fortè poſt Roſæ obitum de condendo tanti funeris theſauro lites inter Parochiam & Sancti Dominici Conuentum exurgerent, nec tamen audebat humillimę Virgini honorificum illud periculum aperire. Tandem ingenioſo conſilio ſuggeſſit Virgini quòd legitimum obtinendum apud FF. Prædicatores ſepulturę deſiderium potiùs mendicando quàm teſtando notificaret per ſcripturam in hunc vſum à Gundiſaluo iam præparatam. Facile conſenſit ac ſubſcripſit Roſa, exiſtimans agi de ſolo humilitatis exercitio, eumque Ordinis ſui morem eſſe. Aliàs de corporis ſui aut cura aut loculo ne quidem cogitabat, intenta ſoli ſpiritui, adeo vt familiares Matronarum viſitationes difficiliùs quàm noua dolorum auctaria admitteret, ſiquidem vt illas tanquam oneroſas ac ſuperfluas honeſta ſępius excuſatione rogabat impediri, ita hæc magis magiſque gaudebat cumulari. Hinc inter acutiſſimos iſchiadum cruciatus vox illa frequens: *vre, preme, ſtringe Domine, ne parcas, quantùmcumque pungas aut vellices, pro meo demerito parum eſt.*

Cura de loco ſepulchri.

Eum Roſa humiliter mẽdicat.

Mauult à nouis doloribus quã à notis Matronis viſitari.

IX. Notarunt plerique in Virgine, ijſdem gradibus quibus debile corpuſculum fatiſcebat in mortem; attolli ſpiritum in vigorem & ſecuram hilaritatem, adeo vt penè horaria lętitiæ incrementa nec voce nec vultu ſatis potuerit diſſimulare, velut proteſtans cum Apoſtolo, *cum infirmor tunc fortior ſum*. Quidam vir Religioſus diris eius torminibus compatiens hortabatur pati fortiter, terminum iam in proſpectu eſſe, hoc ęſtu animam feliciter purgari à cruditate vt Sponſi palatum æternùm oblectet. Reſpondit Virgo: at hoc-ipſum eſt quod Sponſum rogo, ne ceſſet me exquiſitis ardoribus excoquere, donec ei matureſcam in fructum qui rectà hinc menſæ ipſius inferri mereatur.

Dum corpore infirmior, tunc ſpiritu fortior.

Optat excoqui, dũ Spõſo ſapiat.

X. Sub vitę finem crebriora Virgini fuere dulciſſimorum raptuum interualla quibus paratę cęleſtis glorię ſapores iam ſummis labijs pręlibabat. Paucis ante obitum horis ab eiuſcemodi prægustu in ſe rediens ac ſuis gaudijs im-

Prælibat dulcedines Patriæ.

impar P. Fr. *Francisco Nieto* cum alijs iuxta ibidem vigilanti ingenuè at secretò dixit: proh! Pater, si residuæ vitæ meæ breuitas id permitteret, quàm excelsa, quàm pretiosa iucunda, eximia tibi de Dei suauitate, de læta ipsius Curia, de regione æternitatis narranda haberem! vado nunc cum tripudio ad perenniter contuendam pulcherrimam illam faciem, quam toto peregrinationis meæ exilio quæsiui, toto desideriorum æstu concupiui.

Securum & felix ad superos iter.

XI. Aderat morienti filiæ afflicta mater, aberat Pater, quem lecto decubuum propria infirmitas continebat domi; attamen rogatu Virginis, quæ vltimam vtriusque parentis benedictionem exspectabat, ad Gundisalui ædes portari se fecit: Hìc ad primum conspectum attenuatæ & exanguis filiæ itum in singultus & lachrymas, nec vlli circumstantium ea fuit pectoris durities quam ista lugubris spectaculi teneritudo non emolliret in plorandi societatem. Interea fletuum nimbo vtcumque discusso Rosa placidè summaque reuerentia Parentis manum deosculata est, simul blandè ac imperturbatè exposuit, sibi nunc modicissimam vitæ quam parens dederat partem superesse, in huius extrema linea sese amborum benedictionem supplici demissione præstolari.

Vterque parẽs moribundã inuisit filiam.

Vtriusq; benedictionẽ vltimam petit Rosa.

XII. Hanc vbi obtinuit, pari obseruantia in Gundisaluum eiusque vxorem respiciens, quandoquidem & hos vti secundos parentes coluerat, pariter ipsorum benedictione voluit ad arduum illud iter communiri. Deinde propiùs accitis qui aderant duobus suis germanis fratribus seriam, grauem, ac sententiosam parænesim dixit, ac inter alia solicitam parentum curam, honorem, obsequium efficacissimè commendauit; quasi ad Crucifixi Sponsi exemplum dixisset: *Ecce mater tua*. His expeditis aduocauit ambas Quæstoris filiolas quas ob innocentiam rectamque indolem impensè amauerat, his energia mirabili inculcabat timorem Dei, virtutis studium, amorem parentum, quibus satagerent tranquillam & lætam conciliare senectutem. Nec minori emphasi reliquos per ordinem domesticos affata est, quemque decenter admonens officij & christianæ pietatis; videbatur non fœmina sed Apostolus prædicare.

Hortatur suos germanos fratres.

Vltima ad domesticos parænesis.

 Tan-

Rosæ vigor inter verba exhortationis.

XIII. Tantus in Rosa concionandi spiritus ac vigor P. Magistro de Lorenzana Confessario persuaserat, ipsam ea saltim nocte haud morituram. Nox erat, & Sancti Bartolomæi peruigilium, vnde Confessarius solemni Matutinarum officio domi interfuturus parabat discedere ad cœnobium, postridie rediturus. At Virgo sciens non integras quatuor horas sibi tunc superesse, postremam ab eo benedictionem enixè flagitauit quasi paulò post ad Dominum migratura: respondente illo commodiùs hanc differri posse in crastinum, tempus non defore, sat tempestiuè se postero manè adfuturum, Rosa grauiter modestèque arridens subiecit: scito mi Pater, hac nocte cum ineunte Sancti Bartholomæi festo me abituram ad festa sempiterna; iam cœlitus inuitata sum ad splendidum illud ac solemne conuiuium. iam præfixa est hora, & non vis quòd vadam dum patent fores? Hæc vultu tam sereno ac gratioso, tranquillitate tam secura & hilari proferebat, quasi iam in Paradisi vestibulo expectaret cum lampade, dum *media nocte clamor fieret: ecce Sponsus venit.*

Momentum sui vicini transitus manifestat Patri.

XIV. Et reuera vbi medium noctis adfuit, Rosa hoc sese clamore sensit accersiri, candelam benedictam placidissimo nutu petijt, crucis signaculo velut rem magnam aggressura, frontem, os, pectus communijt, germano fratri quid ageretur adhuc dubitanti innuit se migrare, iussitq; ceruical subtrahi, vt capite ad nudum lecticæ lignum acclinato sentiret in cruce se mori: denique sensibus planè integris, pleno iudicio, fixis in cœlum oculis, nullo vel minimo pauoris aut horroris signo in facie, dum postrema hęc verba pronunciabat: *Iesus, Iesus, Iesus mecum sit*, quietissimè expirauit. Nimirum vt Rosa infans ab his verbis auspicata fuerat primam orandi formulam, ita his ipsis immortua quasi tesseram suæ innocentiæ ac infantilis simplicitatis ad Limen supernæ patriæ inuariatam reportauit, anni sui trigesimi secundi quinto mense vix inchoato.

Res verè magna, mori.

Placidè emittit spiritum.

Vltima morientis quæ prima infantis oratio fuit.

XV. Eodem festiuæ noctis diluculo *Aloysia de Serrano* procul in ædibus parentum matutino somno implicita resciuit deposuisse tunc Rosam cum S. Bartholomęo mortalitatis exuuias. Inter vtramque pactum fuerat, quòd quę prima ex hac luce migraret, Deo permittente alteram sui tran-

Apparet Aloysiæ indicans se obijsse.

transitus admoneret. Stetit promissis Rosa, & illamet nocte in forma corusci luminis Aloysiam suauiter excitans sese ad lucis regionem tunc perrexisse indicauit. Verùm de luminosis Rosæ post obitum apparitionibus sermo copiosior Mantissæ reseruetur. Redeundum hìc ad virgineum Rosæ cadauer, quod respirare credebatur quando spirare desierat. Viuidus faciei color, labella rubentia modicèque velut in suauem risum diducta, oculi integri lucidaque amœnitate subfulgidi diu ambiguam reddidere præsentibus Rosæ mortem, donec adhibito speculo nullum in ea superesse halitum innotuit. Apud Rosam, vt vltimus sic primus hic speculi vsus fuit.

Cadauer mortis indicijs carens.

XVI. Dum vestitur tractabile cadauer, dum aptatur in feretro, dum floribus inspersum effertur in anterius conclaue spectante Matre, ingerebatur vniuersis luctuosa plangendi licentia, nec tamen vlli præsentium libuit planctibus indulgere, siquidem repentino prodigio sic omnes peruasit arcanus quidam lætitiæ sensus, vt tota domus insperata metamorphosi deuotis turgere solatijs, ac nuptiali propemodum gaudio innatare videretur. Matri quid acciderit iam superiùs in fine Cap. III. relatum est. Idem reliquæ Gundisalui familiæ, idem extraneis quotquot aderant intimæ ac secretæ iucunditatis inhæsit stimulus. Vniuersim decem & nouem personæ ingenuę pręter domestica promiscui sexus mancipia Rosæ morientis lectulum mœsto silentio ambierant, & vbi Virgo spiritum reddidit, singulę occulta quadam spiritus suauitate à planctu in plausum vltro se adigi compererunt.

Funeris planctum festiua præoccupat lætitia.

XVII. Vna præsentium vt viderat exspirantis Rosæ grabatum numerosa Angelorum corona circumdari, ita notauit iam circa defunctæ feretrum eosdem alternante concentu festiuissimè tripudiare. Eadem Quæstoris coniugi clam fassa est, aulam peramplam in qua prostabat expositum Rosæ cadauer, vndique totam micuisse luminoso illapsu cælestis gloriæ, item iuratò asseruit, religiosæ cuidam personæ triduo ante felicem Rosæ transitum à Christo fuisse reuelatum, Virginis mortem fore admirabilem & sepulturam gloriosam, insuper vetuisse ne Virginis funeri circumponantur panni atro colore lugubriter pullati,

Circa feretrum ostenta cęlestia.

Christus pro lugubri festiuam adhiberi pompã iubet.

ti, sed candidi, niuei, solemnes, quique non exsequias indicent sed triumphum. Denique inualuit eousque prodigiosa lætandi sympathia, quòd dum exspectabatur diei adradiantis diluculum, nonnullæ ibidem deuotæ fœminę sacrorum hymnorum sonoro cantu per vices liberrimè se oblectarint, protestantes non lesso illic sed iubilo esse locum.

Spontaneus populi affluxus.

XVIII. Illuxit demum clarior dies, & ecce Quæstoris palatium subito hominum concursu plenum fuit nemine vocante. Mirabantur domestici, vnde aut quo modo nuncium defunctæ & calentis adhuc Rosæ tota Vrbe diffundi potuerit hora tam intempestiua. Nec publici præcones, si vicatim emissi fora & compita stentoreis implessent clamoribus, primo manè tam densum collegissent populum, quantus vltro ex omni platea ad Gundisalui ædes confluxit, nulla humana diligentia excitus.

Ad funeris conspectum subita Confessarij panegyris.

XIX. Adfuit inter primos vir grauissimus *P. de Lorenzana*, & in feretro similem dormienti Rosam conspicatus vocem tenere non potuit, quin palam exclamaret: benedicti genitores qui te procrearunt, benedicta hora quæ te nascentem excepit, benedicta tu à Domino felicissima *Dominici* filia, quæ nunc frueris vultu beatifico tui Creatoris; obijsti prout vixisti, baptismalem gratiam nulla vmquam lethali noxa interpunctam, immaculatam totius vitæ innocentiam, virginei candoris infantilem puritatem intulisti cœlo, sequere sequere nunc Agnum quòcumque ierit.

Certatim ruunt in oscula sacri cadaueris.

XX. Interea circumfusi promiscuè nobiles, ignobiles, aduenæ, ciues, Indi, Hispani certatim Rosaria sancto corpusculo applicuerunt, flosculos religiosæ iacentis vesti instratos carptim vndique diripuere, hic manum ille pedes raptim deosculari studebat, nec deerant qui pio furto hinc limbum tunicæ, inde veli extremitates paratis forficibus modò clam mox palam inuaderent, vt breui stipatoribus opus fuerit contra rapacem deuotionem. Qui remotiùs substiterant, defixi hærebant in niueo & gratioso Rosæ vultu, quem florida corona velique candor venustissimè commendabat. Tentarant pluries familiares Matronę adductis palpebris oculos defunctæ Virginis obtegere, sed

Diripiuntur insperfi flores, truncantur vestes.

frustra

frustra, nam sensim eò redibant vnde attractæ fuerant, solamque oculorum medietatem operiebant, quasi Limenses suos etiam post mortem Virgo pupillis columbinis amaret dulciter intueri.

Occludi recusant palpebræ exanimes

XXI. Creuit accurrentium multitudo & cum multitudine importunitas, vt nec ostia domus sat laxa paterent confertim irruentibus, nec abituri exitum in tanta pressura inuenirent. Omne atrium, ambulacra, angulos confusa turba impleuerat, vt Gundisaluo necesse fuerit, posticum suarum ædium aperire, quo per aliam viam sese euoluerent qui venturis locum cedebant. Aliquàmdiu remedium istud profuit, donec etiam illa ex parte ingressum tentare cœpit confluxus spectaculi auidissimus, qui neque insignioribus personis intromittendis aut emittendis spatium dabat. Igitur Peruani Regni Excellentissimus Prorex armatæ suæ custodiæ prætoriam cohortem eò celeriter destinauit, portisque ædium adstare iussit, ne indigesta tot agminum collisio exardesceret in tumultum. Mirata est vniuersa ciuitas, tantopere se totam sponte commoueri ad cohonestandum funus pauperrimæ Virginis, obscurorum parentum humilis filiæ, quæque dum vixit adeo sese ab omnium oculis, notitia, plausu occultarat; sed impleri debuit, quod cælitus prædictum erat, fore sepulturam illius gloriosam.

nec admittendo nec emittẽdo populo portæ sufficiunt.

Submittit cohortem Prorex tumultui submouẽdo.

Sãctis tutiùs à morte quàm in vita applauditur

CAPVT XXX.

Rosæ funebris conductus, exsequiæ, tumulus.

I. TOTI iam Limæ buccinante fama innotuerat, Rosæ cadauer sub vesperam Quæstoris domo efferendum esse ad sepulchrum, & ecce plateas, fora, vicos quà transeundum, aliquot horis ante impleuerat effusa populi multitudo. Viæ pro dignitate Vrbis spatiosæ & amplæ; à Quæstoris domicilio vsque ad

Plateę Limẽses turbis angustæ.

ſacram Ædem Prædicatorum mille circiter paſſuum iter erat, nec tamen ſat capiebant numeroſam plebem tempeſtiuè per omnia compita agglomeratam, quam nec præco, nec templorum excelſa tintinnabula, ſed ſola cuiuſque ſingularis deuotio inuitarat. Illuſtriſſimus Limæ Archiepiſcopus prodierat funebri pompæ honorem ſuæ præſentiæ imperititurus, ſed vſque ad Gundiſalui ædes per denſiſſimas ſpectatorum myriades eluctari diffidens, permeatu fruſtra tentato maluit ad D. Dominici Templum deflectere, ibique virgineum funus ſub valuis expectare.

Archiepiſcopi ſpiſſa turba accedere prohibetur.

II. Interim non ſecus atque ad publicam ſupplicationem longis agminibus diuerſiſque vijs ad ædes Quæſtoris confluxere pia variorum titulorum Sodalitia, nemine aut iubente aut rogante, vel ſtipendium offerente; Proceſſerunt & Religioſorum Mendicantium Ordines ſub diſtinctis Labaris; mox & Metropolitanum Collegium vltrò adfuit præter exſpectationem, & morem, cum aliàs numquã (: niſi dum effertur proprius Archiepiſcopus,) ſoleat humandis corporibus interuenire. Acceſſit demum ampliſſima Senatorum Curia ad obſequium, quod vix alteri præterquam ſuis Proregibus vita functis præſtare conſueuit. Cæterorum qui eadem ſpontanea deuotione confluxerant illuſtrium ex omni equeſtri ordine virorum ratio aut numerus in conferta multitudine iniri non potuit; cunctiſq; vnum fuit ſtuporis argumentum, illic ſe videre congregatos quo nullus conuocarat.

Vltro ad cõductum veniũt Sodalitia.

Item Religioſorum Ordines.

Capitu ũ Metropolitanum.

Curia Senatorum.

III. Eadem Matronarum cæteriſque fœminei ſexus ambitioſa pietas, ac viſendi ardor: quàcumque funebris proceſſio ducenda erat, vtrimque palatiorum ac domuum feneſtras, pergulas, arcus occuparant numeroſæ proſpectantium facies, vndequaque ex porticibus, muris, tranſennis eminus venturo ſpectaculo inhiabant centeni milleni oculi, ipſa ædium tecta leniter accubua ſub imbelli ac populoſa omnis ætatis turba procul nigricabant. Tanti nimirum erat, obſcuri & vix noti militis pauperem filiam efferri ad ſepulturam. Certè numquam aliàs ſic viſa eſt vniuerſa Lima commoueri.

Populantur ędium tecta ſpectando funeri.

IV. Prodijt denique ſub veſperum è Gundiſalui laxatis foribus mortuale pretioſi pignoris feretrum, cui ſpon-

taneos

taneos humeros primum suppoſuit Capitulum Metropolitanum, eo honoris obſequio quod ſolis Archiepiſcopis vita functis præſtare ſolet. Inde poſt emenſam graui tardoque inceſſu primam plateam ventum ad quadriuium, vbi feretro depoſito ſucceſſit in piæ ſarcinæ baiulatum Senatus Curiæ Secularis. Poſt hunc deuotiſſimè ſuccollarunt primores Ordinum religioſorum, partiendo vices per vicos & terminos compitorum.

Qui funeris portitores.

V. Muniebant vtrimque portantium latera Excellenlentiſſimi Proregis armati ſtipatores, tum vt per denſam multitudinem vi & clamore laxarent vias, tum verò vt à deuota rapacitate populi reliquias poſcentis protegerent virgineum cadauer, nam vt ſinguli velut in tumultu Roſam acclamabant *Sanctam*, ita violentiores ac valentiores paſſim inhiabant ſandapilæ, auidi paratique inde decerpere quidquid poſſent, ni haſtatorum bipennes quaſi ſepem obieciſſent. Certè ſi cupidiſſimę huic turbæ quod libuit licuiſſet, periculum erat ne ſacri corpuſculi pars modica aut nulla ad Templum perueniret. Nec tamen ſub tam vigili ferreaque cuſtodia caueri potuit, ne vbi ad Valuas Eccleſiæ ventum eſt, cadaueri partes veſtium, corona, & palma deeſſe notarentur, ibidemque pro ablatis alia fuerint reponenda.

Stipat vtrimque militaris custodia.

Nec ſufficit auertendæ rapacitati populi.

VI. Dum in Templi limine (quod Roſa adhuc mortalis tam ſedulò triuerat) mortua ſiſtebatur, ad aſperſionem luſtralis aquæ quibuſdam videbatur noua hilareſcere iucunditate virginea facies in niueo veli candore roſea, inque puriſſimi amictus nitida ſerenitate formoſior, collo totoque corpore flexilis, vt pene exclamaretur: *non eſt mortua puella, ſed dormit*. Illatam Sacello maiori excepit tumulus gradatim à pauimento eleuatus, at illuſtriori oſtento ibidem Virgo Deipara videbatur excepiſſe Roſam ſuam, nam ſub ijs ferè motibus in alio Sacello prodigioſæ Imaginis cui à Roſario nomen eſt, repentè ſplendidus vultus micuit ſpectantibus qui propiùs adſtiterant vniuerſis. Mox eò confluxit torrens ingentis populi, & pauori gaudioque medius palam ſoluitur in lachrymas; inualeſcit ſupplicum clamor, vt non defuerint qui ſuſpicarentur Imaginem portentoſo inſuper ſudore commaduiſſe; ſed

Templò illatæ Roſæ facies renidet.

Micat Imago Deiparæ in Sacello Roſarij.

Hinc noua populus deuotione inardeſcit.

re diligentiùs explorata compertum fuit nonnisi meros splendores esse, at insolitos, festiuos, benignos, quibus Virgini ea ipsa Regina Virginum publicè applaudebat.

Mortuali pegmati admouentur debiles, surdi, manci.

VII. Sed redeundum ad Rosam in suo iam tumulo spectabiliorem, & reciproca accensi vultus suauitate renidentem, huc enim totus populi refluxus incumbebat, sed opportunè tumulum circumsederant cœnobij Patres dignitate ac senio grauiores, tum ne thesaurus ille diriperetur, tum vt eidem decenti ordine admouerent debiles & mancos, qui spe (: haud inani) obtinendæ curationis accedebant. Verùm de his Mantissa. Paulò remotiùs consliterat hastatum Proregis satellitium, vt confusam molem irruentis populi distineret si posset. Vix tamen potuit, nam prementium tanta vis fuit, vt Lessi mortualis cantoribus in altaris crepidinem eluctandum fuerit ad lugubre officium vtcumque solito cantu explendum.

Hastatam custodiã vix non opprimit multitudo prementium.

VIII. Assistebant ritui funebrium Limanus Archiepiscopus, Regius Senatus quem *Audientiam* vocant, Collegia Metropolitanum & Curiale, Regularium Prælati, & equestris ordinis nobilitas conspicuè numerosa. Itaque dispositis omnibus, dum inchoandum erat officium sepulturæ quo Rosæ corpus è Templo efferretur ad fossam in Aula Capitulari præparatam, subitò per omnes latissimæ Ecclesiæ angulos tanta insonuit promiscuæ multitudinis vociferatio, tam inconditus ac flebilis deprecantium viulatus, vt metu confusionis ac tumultus supersedendum, funebrique processione abstinendum fuerit, admonito populo, vsque in posterum diem charissimi illius pignoris sepulturam differri.

Frustra tẽtatur elatio funeris ad sepulchrũ

IX. Sub huius promissionis ac certæ spei solatio persuasum multis vt domum secederent postridie ad tumbæ spectaculum commodiùs redituri. Sic agminatim, & sensim dilapsa plebeia frequentia proceribus aperiri cœpit liber aditus spatiumque accedendi propiùs ad venerandum corpus famulæ Dei, manusque innocentissimas deosculandas. Rursus interea succreuit curiosa multitudo, rursus etiam circa tumulum conglomerabantur impetuosæ turmæ, quas vt vidit Archiepiscopus, gestu, signis (: vox enim audiri præ sonoro strepitu non poterat) Patribus innuit, vt

Dilapsis turbis succeduntad feretrum Primores

Redeunt turbę.

corpus

corpus Virginis in Sacristiam deportarent. Verùm nec ibi sat tutum fuit sequente ac premente turba. Igitur ad securiores pluribusque valuis disclusos recessus intra Nouitiorum adyta comitante cum paucis Archipræsule transportandum fuit; instabant sequacium agmina; vim portis illatura, nisi Religiosorum cuneus locique reuerentia intercessissent. Demum etiam inde vltimo simplicium Nouitiorum Oratorio illatum est, ibique sub excubitoribus à Priore constitutis pernoctauit.

Deportatur corpus ad Sacristiam.

Inde ad Septa nouitiorum

X. Hìc tandem Archiepiscopus solitudine pium feruorem acuente in genua procubuit, manui Virginis reuerenter apprehensæ pluries deuota oscula fixit, eamque non solùm in iunctura, sed in singulis digitorum articulis ac si viueret, tractabilem sensit. Aderant nonnulli è Senatorio ordine, magnæque felicitatis loco habebant, posse illic de genu fimbriam virginei habitus osculari, nec vlli horum ea fuit pectoris constantia quæ lachrymas temperaret.

Archiepiscopus ac Senatores procumbunt in oscula.

XI. Postridie adliuente matutino crepusculo iussi custodes venerabile pignus è Nouitiorum domicilio in maius Ecclesiæ Sacellum vbi pridie constiterat retulerunt, inque eiusdem tumuli reclinatorium sublimarunt. Deinde laxatis templi foribus admissus populus vndatim irruit, cãcellos omnes, subsellia, pegmata, scamna confertim impleuit, felicem se quilibet arbitrabatur, sicubi loco editiori potuisset stationem occupare. Verùm vbi æs campanum solito maturiùs funebri Missæ & solemni exsequiarum officio signum dedit, subitò reliqua templi capacissimi amplitudo superuenientibus angusta fuit, neq; enim (: vti pridie) soli incolæ, sed & remotiores accolæ à sex & ampliùs leucis accurrerant, nemine inuitante.

Corpus refertur ad Templum.

Globatim irruit conferta multitudo.

XII. Circumstetere denuo Proregis stipatores, at ij si pridie impetum plebis sustinere vix potuerunt, hac die ne vix quidem potuere. Certatim omnis ætas & sexus vrgebat aditum, hic calculos precarios, ille cerea Agnorum Dei amuleta, alius sudarium, numisma, coronulas & quidquid charum ad manus erat, contingendo sacro corpori eminus cominus suppliciter prætendebat. Hinc turba languentium aut mutili corporis vitio miserabilium penè cum iurgio flagitabat accessum, vt feretrum contrectan-

Laborant omnes cõtingere sacra lipsana.

do ſperatam apprehenderet ſanitatem; inde infantes per obſtantium capita ſublimes mittebantur ad ſalutiferum contactum ſacri cadaueris. Nec tanta militum ac religioſorum cautela, vigilia, cuſtodia ſat fuit ne pluries Roſæ defunctæ vela, capilli, veſtes fruſtillatim a ſolertioribus diriperentur captandarum reliquiarum prætextu, adeo vt ante ſepulturam de integro ſexies fuerit reueſtienda. Tota deinceps cura erat ſaluandi exanime illud corpuſculum ne ante ſepulturam importunis vellicationibus diſcerperetur, iam enim notatum erat, vnum ei deeſſe digitum, ferro an morſu occultè detruncatum, non liquet.

Applicantur infantes à morbis curandi.

Direptis veſtibus S. Corpus ſexies reueſtiendũ fuit.

XIII. Inter hos motus collectis in chorum cœnobitis proceditur ad ſolemne Miſſæ ſacrificium, adſiſtente in Pontificalibus ornamentis Illuſtriſſimo D. Petro de Valentia Chaquiabæ Epiſcopo, qui aduenerat (: intromiſſus per Sacriſtiæ poſticum; nam aditus per oppletum multitudine templum haud patebat) officium ſepulturæ poſt Miſſam proprijs manibus peracturus. Reſonabat vndequaque Eccleſia perpetuis vocibus Roſam *Sanctam* proclamantium, ita vt neque canentem Religioſorum Chorum foris audiret populus, neque ad chorum pertingeret vox Sacerdotis aut Miniſtrorum Altaris; pulſu ac tintinnabulis ſignum dabatur choro cum reſpondendum erat Sacerdoti, ſed fruſtra fuere omnia præualente ſecularium clamore: tandem neceſſe fuit cantores choro egreſſos ipſummet altare vbi litabatur circumdare, vt è propinquo viciſſim audirent & audirentur. Sic ægrè demum inter ſonoros templi ſtrepitus quaſi canoro quodam ſilentio ac rituum nutu conſummata fuere Diuina myſteria.

Miſſa funebris inchoatur.

Cantorũ voces intercipit iugis vociferatio populi.

XIV. Deinde Antiſtes è throno progreſſus ad feretrum, thuris & luſtralium aſperſionum ceremonias inter conſuetos Pſalmorum & Reſponſoriorum modulos obibat decenti pompa, velut mox ad vltimam efferendi humandique ſacri corpuſculi proceſſionem accingendus. At rurſus nouis ac validioribus ingemuit clamoribus ſtipata turba, rurſus denſato cuneo vndique irruebatur in ſuggeſtum tumuli, Roſam ſuam alij vltimò contrectare, alij extrema eius manibus (: ſi poſſent) aut veſtibus dare oſcula, alij ſaltim poſtremo eam intuitu eminus ſalutare importuniſſimè

Rurſus tẽtatur officium ſepulturæ.

Sed obſtat validior importunitas populi

nissimè contendebant, iterum laborabatur sub auido tot Rosariorum, crucum, numismatum affrictu, denuo Virginis habitus tentabatur forficibus.

XV. Ergo prudens Antistes vlterioris violentiæ procliui metu conuersus ad Priorem & grauiores Patres, monuit diuertendum esse præsens periculum hac altera dilatione sepulturæ, sibi nequaquam id tempus videri idoneũ, quo possit sacrum illud cadauer per tot hominum globos ac manus integrum deduci ad fossam. Assensere consilio Patres, statimque nutu, signis, vocibus persuasum vulgo, Rosæ sepulturam ex placito Illustrimi Præsulis in horam commodiorem consultò reseruari. Gratissimis auribus hoc nuncium admisit turba, maximè vt vidit Episcopum depositis omnino Poutificalibus ornamentis rhedam conscendere, ac domum properare.

Dilationis consilium probatur vniuersis.

XVI. Fauebat confirmandæ populari credulitati publicum argumentum ex constanti virginei cadaueris tum pulchritudine, tum suaueolentia miraculosa, quæ duo veluti fide iubebant nullum fore seu deformitatis seu corruptelæ aut graueolentiæ periculum si vel in plusculos dies sepultura differretur. Omnium hactenus patebat oculis inuariata defunctæ Rosæ species qualis à primo exhalati spiritus momento fuerat, per triginta & sex horas idem perstiterat placidissimi oris decor, labiorum venustas, oculorum semipatentium viuax fulgor, & manuum candor; inter tot suffitus halitus & lumina, sub aere tam humido, calido & ex concurrentium refluxibus puluerulento nulla Rosæ vultui insederat fuligo, nulla genas tinxerat flauedo vel horridus pallor, in maxillis, in naribus, in palpebris nil flaccidum, decolor, triste, aut emaciatum, perseuerarat eadem flexilium membrorum tractabilitas, eadem niuei vultus gratia & amœnitas, denique videbatur adhuc non mortua sed sopita.

Cadaueris pulchritudo & suaueolétia nil mutata.

36. horis absq; vllo marcoris indicio.

XVII. Porro mirifica cœlestis odoris, qui à sacro corpusculo spirabat, fragrantia ne quidem cessauit in sepulchro, nam post decem, & nouem menses (: vt cap. seq. narrabitur) exhumata Rosa eumdem seruabat ac præsentibus adhalabat odorem, quem quidem in die sepulturæ alij rosaceo simillimum, alij velut ex liliorum, rosarum, balsa-

Fragrat odore nullis suffitibus comparabili.

balſamorum totiuſque florilegij mixtura compoſitum perceperunt; verùm cordatiores his altiorem, ſuauiorem, nobiſque Paradiſi exulibus peregrinum & incognitum iudicarunt.

XVIII. Hinc populus dilationis iam ſecurus imminente meridie à templo diffluxit ad ædes proprias: Euacuata vtcumque Eccleſia de more adductę peſſuliſque firmatæ ſunt fores, nec alia ſperari poterat tumulandæ Roſæ opportunior hora, quàm qua totus Religioſorum Conuentus regulariter pranſurus exiſtimabatur. Itaque vbi tantilla ab incurſibus libertas fuit, repentè adornatur funebris proceſsio, ſilent campanæ, at cantu ſubmiſſo pſallunt Fratres, deportantur in ædem capitularem pretioſa Virginis Roſæ Lipſana, illic in præparatam è cedro arcam reclinata ferreis vndique clauis occluduntur, denique foſſa obturatur, & cocti lateres tenaci calce reuincti inſternuntur. Sic tandem in tuto locatis Roſæ exuuijs, omnique precum & hymnorum ritu ex rubrica Ordinis peracto itum ad refectionem.

Neceſſarium ſtrategema, ne impediatur ſepultura.

Clam terræ mãdatur Virginis corpuſculũ.

XIX. Verùm non diu ſtetit vnda populi, quin poſt meridiem velut ex inducijs ad templum copioſior afflueret. Aſt vbi illic quæſitum oculis charum pignus abeſſe conſpexit, turmatim in clauſtri periſtylium irruit, ædem capitularem impleuit, & Roſam liberrima vociferatione *Sanctam* inclamans, dum plus non poterat, puluerem ſepulchri terramque reliquiarum loco certatim aſportauit. Inde continuo rhedarum ordine & commeatu per menſem & ampliùs perſonæ illuſtriores proficiſcebantur ad paternam Roſæ domum, viſuræ ac veneraturæ hortenſem cellulam quam Virgo ſolitudinis ſtudio inhabitarat; conquiſitum vndique apud Roſæ parentes, apud Quæſtorem Gundiſaluum, ſi quid ſuorum vtenſilium, pannorum, aut pauperrimę ſupellectilis obtineri poſſet, grata memoria aſſeruandum.

Redit populus ad inanem ſandapilã

Accurſus ad Virgini humile ſepulchrum.

Conquirẽdarum vndiq; reliquiarũ venatus ac feruor.

XX. Augebatur quotidianis incrementis deuota populi frequentia circa ſepulchrum, ob eximia quæ palam inde crebreſcebant beneficia curationum, nec videbatur tantæ Virgini debitis honoribus ſatisfactum, quoaduſque ſolemniores exſequiæ (quibus ipſe Prorex intereſſe po-

Solemniores apparantur exſequiæ.

poſce-

poscerat) nondum fuerant celebratæ. His igitur constituta dies 27. Augusti, velut quæ Proregi minùs videbatur negotijs suis impedita. Sed quia hæc Dominica erat, quæ (: nisi pro præsenti defuncto) lugubribus officijs interpolari facile non debet, hortatu Archiepiscopi eligitur dies vicinior minùs impedita. Verùm hæc deinde non vacauit Proregi, sicque pluries inter hunc & Archipræsulem variata die tandem ambo in quartam proximi Septembris ex abrupto conueniunt, quod vtrique postea tanto fuit iucundius, vbi intellexere hanc diem ex Romani Calendarij censu alterius S. Rosæ Viterbiensis anniuersario honori esse dedicatam, neque in illam se humano consilio sed diuino impulsu concorditer incidisse.

Sed de cõstituenda earũ die reciproca difficultas.

S. Rosæ Viterbiẽsis festum mirabiliter electũ.

XXI. Adfuere igitur ambo die præfixa, cum vniuerso tum Ecclesiastico tum seculari Magistratu. Rursum tota sedibus emota ciuitas Sancti Dominici ecclesiam impleuit. Dictum illic pro concione de felicis Rosæ mirabili vita & encomijs, peractum pompa funebri Altaris ministerium, temperauit sonoras confusi populi inquietudines dolorifica sacri cadaueris absentia, sed nihilo segniùs itum in vota, & dum ad Aram Sacerdos pio Numini commendabat defunctam Rosam, voce non impari sese populus commendabat Rosæ.

Interueniunt Archiepiscopus, Prorex, vterq; Magistratus.

Vota acclamantis populi

XXII. Quando hæc agebantur Limæ, celeberrima Rosæ fama rapido cursu totius penè Regni oppida, vicos, municipia permeauit, vbique festiuis applausibus ac publicæ lætitiæ signis nouæ cœlorum ciui acclamatum. *Potosi* trecentis leucis à Lima dissitum illactenus Rosam neque de nomine nouerat, verùm vbi beatum Virginis transitum percepit, totum repentè impulsu altiori in communem gratulationis impetum efferbuit, sonuere in turribus æra campana, micuere luminaria, increbuere voces, & laudum acroamata. Sic passim regio Peruana (: etiam vbi Rosa dùm vixit penitus ignorabatur) mortuam celebrauit vniuersali iubilo, acclamatione, votis, quòd sibi cuncti populariter ab ea solatium, tutelam suffragium pollicerentur. Nec fefellit pia fiducia, vt in appendice Mantissa summatim recensebitur.

Rosæ nomen post obitũ toto Regno diffunditur.

Potosi & aliæ longinquæ regiones festiua edũt signa publica lætitiæ.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Rosæ ſepulchrum Ordinarij autoritate mutatum ſolemni Corporis translatione.

Conſtans populi erga Roſã deuotio.

I VLtimis Exequijs tam magnificè ſplendidèque peractis credebatur, populum ſenſim à confluxu & importunitate deſtiturum, vt pleraque ſolent tractu temporis elangueſcere: ſed contra euènit; nam ipſa miraculorum celebritas & multitudo in dies ad inuiſendum Roſæ ſepulchrum plures pluresque accerſebat. Quin vulgaris tota Vrbe fremebat querimonia, ſacrum Virginis corpuſculum loco nimis abdito ſitum eſſe, vbi ob clauſuræ leges nec omnibus horis nec ab omni ſexu viſitari poterat. Idem paulatim cum querula plebe cenſuere nobiles ac primores, demum & Eccleſiarum Prælati, Præfecti Regularium, Senatores, alijque celſioris notæ priuatis ſuffragijs in eam conuenere ſententiam, conſtantibus tam accolarum quàm incolarum votis condeſcendendum aliquando fore, de pretioſi illius pignoris in locum celebriorem Translatione iam feriò tandem eſſe cogitandum, *Roſam* communem Limenſium thesaurum, piorum ſolatium, afflictorum remedium publico deberi.

Non patitur ſub terra Roſã occultari.

II. Sed exſpectandum erat Limenſis Archiepiſcopi officioſum arbitrium. Is verò de ſtatu rei ardentiſsimoque omnium ſtudio admonitus confeſtim eadem die 27. Februarij 1619. Decretum expediri iuſſit huius tenoris: *Coram Illuſtriſſimo Dom. Bartolomæo Lobo Guerrero Archiepiſcopo Limano Regiæ Maieſtatis Conſiliario &c. lecta & inſpecta fuit petitio &c. Dixit, quòd attentis rationibus in ea relatis, vniuerſaliq; & publica acclamatione, qua in tota hac ciuitate & Regno Roſa de S. Maria monialis tertij Ordinis S. Dominici proclamatur* Sancta, *dabat facultatem,*

Decretũ Archiepiſcopi de corpore transferẽdo.

A tota ciuitate & Regno Sancta proclamatur.

tatem, illius corpus è sepulchro quod nunc occupabat, transferendi in alium decentem locum intra S. Dominici Ecclesiam, vbi magis videbitur Patri Magistro Fr. Augustino de Vega dicti Ordinis Prouinciali. Signatum ab eodem D. Archiepiscopo coram me Doctore Ferdinando Vecerril. Gratis:

III. Ergo Translationis actui designatur ipsum S. Patriarchæ Ioseph peruigilium, dies nimirum xviij. Martij; citiùs enim noui conditorij fabrica cum suo ornatu absolui non poterat. Vt obitus Virginis mortem Christi exspirantis in Cruce per complura symbola expresserat; ita & sepulchrum eius fore gloriosum diu ante fuerat reuelatum. Nunc verò etiam quædam Resurrectionis dominicæ reuiuiscebat imago, nam vt Christus parte feriæ vj. toto Sabbatho, & initio Dominicæ iacuerat in tumulo, sic Rosa parte anni MDCXVII. toto anno MDCXVIII. & initio anni MDCXIX. quieuerat in sepulchro, in quo & datum ei fuerat non videre corruptionem, & corpus æquè odoriferum inde prodijt sicut intrarat. Solæ Virgineæ manus tot osculis fidelium millies obtritæ, (: forsan & auidorum ferro dentibusue vndique pertentatæ) nonnihil de primo candore remiserant. Hæc notata fuère ab ijs qui ipso Translationis die summo manè effossum Rosæ cadauer è veteri tumba lignea transposuere in nouam itidem cedrinam at intus forisque deauratam & duplici sera præmunitam,

Rosæ paratur decentior tumulus

Triduum Christi in sepulchro Rosæ verò triennium.

Spirat eundem odorem cum quo fuerat tumulata.

IV. Igitur omnibus ritè ordinatis die qua supra domesticus Religiosorum cętus frequentissima vndique cęterorum Regularium caterua stipatus à Choro rectà processit ad Ædem capitularem, præeunte Crucis vexillo cum acolytorum quaternione, binisque thuribulis, subsequente Prouinciali in sacra diploide cum sacris Ministris itidem pretiosè tunicatis. Adfuit paulò post Archiepiscopus cum suis, comitante S. Officij Iudice ordinario D. Feliciano de Vega Canonico Metropolitano, & Archipræsulis Vicario Generali. Recitatis de more Orationibus, dataque aspersione & suffitu sex Sacerdotes linteati stolisque ac manipulis decori Arcam cedrinam subleuarunt in humeros, itum ad Ecclesiam conchiliatis peristromatis, holosericis aulęis,

Itur ad corpus Virginis extumulandum.

Defertur ad Ecclesiam.

velis byssinis à summo deorsum obpalliatam. Premebat, baiulantium vestigia Archiepiscopus, inde reliqui ex ordine proceres Virique illustres, vbi sub templi foribus tumba deaurata promiscuæ multitudini in conspectum venit, festiuus vndique clamor ad astra increpuit, confusæque vociferationes plaudentium, lachrymantium, implorantium omnem reliqui cantus ecclesiastici auditum surripuerunt.

Populi clamor attollitur viso sarcophago.

V. Dum sarcophagus coram principe Ara in sublimem tumulum huic vsui sumptuosè adornatum attollitur, Archiepiscopus ad latus Euangelij consedit in throno; Prouincialis assumpta *casula* cum Ministris ad altare facturus accessit, Phonasci & cantores ex dispositis odæis symphoniæ modulos inchoarunt, verùm populus vni Virginis tumbæ iconibus ac Rosarijs contingendæ intentus circa tumulum laborabat. Huius circuitum faces cereæ xxx. occuparant, tumbæ verò gradatim circumstabant in xxiv. argenteis candelabris totidem bilibres candelæ; totum denique contabulationis systema contegebant phrygij operis peripetasmata, & stragula auro turgido latè fimbriata. Denique vniuersa hæc scena non tam funeris, quàm triumphi videbatur.

Pegmati imponitur sumptuosè ornato.

VI. Post decantatum Euangelium in editiori suggestu comparuit facundus prædicator dicturus ad populum; is erat P. M. Fr. Ludouicus de Bilbao primarius Limanæ Vniuersitatis Cathedraticus, & in S. Officio Censor, qui vt pluribus annis Rosæ confessiones exceperat, ita plùs ceteris illius spiritum, exercitia, arcana lumina, Sponsique fauores habebat exploratos. Vidisses mox omnes arrectis auribus diriguisse immobiles, & in multitudinis tam verbosæ frequentia repentinum silentium desertæ solitudinis quietem figurabat, solo ardentissimo studio auscultandi. Dictum ibi de Virginis baptismali innocentia nullo vmquam mortali piaculo violata, de illibato mundissimæ pudicitiæ flore, de pœnalium exercitiorum austera duritie, de miris illustrationibus, de seraphicis ardoribus, & quidquid intra horarij sermonis compendium substringi potuit. Rari erant, quos sub concione tum sacri cadaueris præsentia tum recens ac viua gestorum memoria non medul-

Concio funebris.

Auditorũ quietissima attentio.

Horariæ dictionis multiplex argumentum.

medullitus compungeret, multis etiam lachrymæ fluebāt, ab omnibus reuerentiæ repetitum in suggestu Rosæ nomen patulo sed taciturno gestu excipiebatur.

VII. Finita panegyri, & solemni sacrificio ad Aram consummato Archiepiscopus Pontificalem assumens habitum cum pedo & infula processit ad tumulum, sacris Ministris & quatuor ex Metropolitano Collegio dignioribus medius. Peracto ibidem reliquo precum, antiphonarum, psalmorumque ritu Prouincialis cum ceteris religiosorum Ordinum Prælatis (: Sacerdotali singulos amiciente stola) tumbam è tumulo demissam suscepit in humeros, sicque adstante Archiepiscopo, & circumstante diuersorum Tribunalium & ciuilis Curiæ Magistratu illata fuit propriæ cryptæ ad dextram summi altaris affabrè in hunc vsum elaboratæ, quæ tota intus oblita auro reddebat fulgores quos arcuato sinu recipiebat à luminibus. Eamdem foris muniebat ferrea crates itidem inaurata, & inclusi pignoris tam patula prospectui, quàm raptui arcta & aduersa. Sanè deuoto populo nil hac translatione gratius potuisse accidere testatus est confluxus, qui exinde vt liberior sic quotidie numerosior fuit, adeo vt tandem de alia translatione fuerit cogitandum, ne vicini summi Altaris ministeria interturbarentur quotidie immodesto concursu populorum, quos partim veneratio partim miraculorum & gratiarum frequentia attrahebat.

Rosæ corpusculum nouo Mausolęo immittitur.

Populus voti iam compos accurrit frequentior.

VIII. *De Altari ad Altare* tantisper se transire protestabatur S. Hieron. quando à suo tractatu de Altari thymiamatis transibat ad scribendam epist. 8. Virgini Demetriadi. Idem videbatur circa Virginem Rosam accurrentium sensus: nam ab ara maxima subitò conuertebantur ad propinquum Virginis sepulchrum velut ad secundam aram, hìc perpetuus tumultus erat offerentium vota, suspendentium anathemata, deponentium grallas, & scipiones, denique aliter consulendum fuit reuerentiæ sacri Tabernaculi prostantis in ara maiori, ne huic assiduè obuerterentur dorsa hærentium ad Virginis sepulchrū, quod & locum presbyterij incommodabat, siquidem hoc in Ordine Prædicatorum *ad cornu Epistolæ* (: vt vocant) construi solet. Ergo collocandis Rosæ exuuijs alius demum

Populus erga maius altare fit irreuerentior.

Incōmodatur Prębyterij sedes.

commodior electus est locus, ipsum videlicet B. Catarinæ Senensis Sacellum ab ara maxima ad læuam sat dissitum; Videbatur tam simili filiæ deberi iste sinus Seraphicæ suæ Matris ad quietem, si tamen quies dicenda erat, cui tanti quotidie strepitus, & clamores deuotæ plebis circumsonabant, licet minori impedimento rituum Ecclesiasticorum, quibus solis aræ maximæ spatium esse liberrimum oportebat.

Transfertur Rosa ad Sacellũ B. Catarinę Senensis.

IX. Interea Limam peruenere litteræ Apostolicæ, quibus autorati Iudices commissarij nouum ibidem erexere tribunal ex formula à S. Rituum Congregatione præscripta, ad effectum examinandi Testes de Vita & gestis ancillæ Dei Sororis Rosæ à S. Maria. Itaque examini datum initium anno MDCXXX. die xvij. Maij, sed ob multitudinem Testium (: CLXXXIII. fuere :) variosque morarum obices vsque in Maium anni MDCXXXII durauit perquisitio; cui de more ad complementum supererat visitatio tumbæ & reliquiarum famulæ Dei.

Litteræ Apostolicæ pro examinandis testibus.

Totobiẽnio durat examen.

X. Igitur deputati inspectores Ioannes de Texeda & Ioannes de Vega Doctores Medici, Ioannes de Valenzuela & Bartolomæus de Tiuico Secretarij cum Aloysio de Molina chirurgo. Hi coram P. Magistro F. Gabriele de Zarate tunc Prouinciali aperta arca lignea repererunt Virgineum corpusculum expleto ferè post obitũ anno quintodecimo consumptis vndequaque indumentis, at ossibus integris, & adhuc sicca hinc-inde carne obductis. Porro odorem exhalabant non qui cadauerum esse solet, sed quo fragrant siccatæ ad Solem rosæ, Iurauit tamen primus Medicorum, peculiarem simul interhalasse suaueolentiam, quæ præsentium non olfactum dumtaxat mirificè recrearit, sed & animos improuiso solatio perfuderit, atque arcano deuotionis sensu omnes demulserit.

Sacrorum lipsanorũ instituta disquisitio.

Ossa spirant odorem mirificum.

XI. Hinc ijdem inspectores aulam Capituli adiere lustraturi primum Virginis sepulchrum, è quo fideles certatim hauriebant puluerem ad varia morborum genera depellenda. Illic singuli successiuè manu immissa explorarunt cauam modicæ scrobis profunditatem, ex qua nonnisi quatuor aut quinque pondo terræ videbantur eruta, aut asportata. Cæterùm aliundè plurimis constabat testimonijs,

Primum Rosæ sepulchrum exploratur.

monijs, complures pulueris modios ex illomet foramine (: quod vnicum patebat, vbi Virginis defunctæ caput iacuerat) fuisse illactenus effossos varièque per Regnum distributos. Vnde non leuis coniectura fuit, vt S Raymundi ita & Rosæ veteri sepulchro hoc datum esse diuinitus, quòd in locum sublati pulueris alius continua scaturigine perpetim subnascatur.

In eo salutiferi pulueris indeficiẽs scaturigo

XII. Accidit demum anno MDCXL. quòd Ord. Prędic. in Romana Curia Procurator Generalis litteris priuatis Limam scriptis admonuerit Patres, habendam esse rationem exactissimam Apostolicæ Constitutionis Vrbani VIII. anno MDCXXXIV. die v. Iulij emanatæ, quæ incipit: *Cælestis Hierusalem ciues &c.* Doluerunt Patres, integro ferè sexennij spatio nullum penitus exemplar imò nec tenuissimam famam huiuscemodi Constitutionis in illum vsque diem Limensibus innotuisse: sed quid mirum in tanta regionum distantia, perque tot hostium classes, piratarum insidias, & naufragiorum crebra discrimina? Verùmtamen Patres ad primum saltim priuatæ illius epistolæ conspectum subitò parendum rati, ex norma dictæ Constitutionis, quidquid intempestiuum Venerabilis Rosæ cultum sapere forsan videbatur, eadem nocte aboleuerunt.

Constitutio Vrbani VIII. innotescit Limę

Remotæ a tumulo Virginis votiuæ tabellæ.

XIII. Repentina isthæc mutatio postridie deuoto populo visa est intolerabilis, quærebat loco solito Rosam, asylum ac solatium suum, reposcebat à Sancta Catarina Senensi alteram hanc Limensem Catarinam, impletur Sacellum questibus, & quæ vulgi sub pietatis obtentu esse solet suspicandi, iudicandique temeritas, spargitur, Rosę veneranda lipsana aut furto inscijs Patribus sublecta, aut his conscijs clam in Hispaniam destinata esse. Inde credula & ignara multitudo densatur concursu, inualescit fremitus, nec leue imminuit periculum innoxijs Religiosis, dum rudis & impetuosa plebs iam ad conuicia & minas ferociter progressa primo affatu aut non capiebat aut abnuebat capere facti rationem.

Querelæ ac suspicio ignaræ plebis.

XIV. Tardè demum, nec sine labore persuasum est importunis, sic consulendum fuisse illustrioribus qui ab Apostolico throno sperantur Rosæ honoribus, nullum in

Aegrè placatur fremitus ciuitatis.

Roma-

Romanorum decretorum obedientia detrimentum esse, inobedientiam sanctæ Virgini placere non posse; huius pretiosas exuuias loco tutissimo sub primi sepulchri custodia Limensibus adseruari, verùm circa illas (: Summi Pastoris mente in similibus iam percepta) nihil extra lineam SS. Rituum audendum fore vel permittendum. Ægerrimè adquieuit vis populi, hoc vno contenta, quòd acceperat, Rosæ suæ reliquias in tuto esse.

CAPVT XXXII.
Et vltimum.

Rosæ elogia ex pluribus notiora.

I. ANNO quo Rosa mortalitatem exuit, Prouincia Peruana Ord. Prædic. Limæ in Comitijs suis congregata libello Actorum ibidem impresso apud Frãcum à Canto 1617. §. *Denunciationes* hæc primo loco inseruit: *Denunciamus, admirabilem quamdam Sororem nostram obijsse*, &c. post pauca: *habitu tertij Ordinis nostri (: anno vigesimo ætatis suæ decurrente) recepto, ita vitæ monialis institutum in domo paterna manens, & Regulæ & S. P. N. Dominici constitutionibus inhærens obseruauit, vt omnibus alia Catarina Senensis (: quam ab ineunte ætate totis viribus imitari conabatur) in hoc terrarum orbe degens videretur. Orta fuit celebris hæc Virgo pijs parentibus Limæ anno Domini* 1586. *à quibus religiosè educata, & maximè à Diuino Sponso ita illuminata, vt quintum annum agens ad perfectionis culmen assiduis ieiunijs ac pœnitentiæ asperitate pertingere conaretur. Pertigit ergo mirabili abstinentia, pœnitentiaque insigni. Pro lectulo equuleo varijs testulis intertexto vtebatur, argenteam coronam ad modum spineæ coronæ capiti circumpositam habebat; ferrea catena vsque ad sanguinis effusionem corpus singulis noctibus crudeliter affige-*

Denũciatio 1. Limẽsis Capituli Prouincialis.

flige-

fligebat. Patientia fuit incredibili, humilitate rara; puritate tam animæ, quàm corporis insignis. Diuinis reuelationibus admirabilis, Orationi ac contemplationi ita semetipsam dedit, vt ad vitam vnitiuam summa cum animi tranquillitate & omnium admiratione peruenerit, ad cuius orationis exercitium eam per multum temporis sacra Deipara Virgo singulis noctibus excitauit. Prædita fuit spiritu prophetico, quo multa futura prædixit. Ac tandem cæteris virtutum generibus insignita, præclara sanctitatis suæ relinquens exempla, feliciter in eadem ciuitate obdormiuit in Domino, die 24. Augusti. Humata est in hoc nostro Conuentu eiusdem Limensis ciuitatis in Capitulo Fratrum. Adfuit Illustrissimus Archiepiscopus Limensis & Illustrissimus Episcopus de Guatimala; cætusque Cathedralis & Secularis proprijs humeris feretrum Sanctissimæ istius Virginis magna animi deuotione portantes: cuius purissimum corpus præ multitudine gentis, languentiumque omnium incredibili & inaudito affectu illud tangere ac deosculari desiderantium biduo insepultum remansit &c. clarissimis miraculis illustratum.

II. Anno dein proximo, nempe MDCXVIII. Generalia eiusdem Ordinis Comitia Vlyssiponæ celebrata in suis Actis Hispali apud Franciscum de Lyra 1619. impressis, §. *Fratres & Sorores qui gloriosè obierunt*. succinctè idem denunciant his verbis: *In prouincia S. Ioannis Baptistæ de Pirù obijt Soror Rosa de S. Maria tertij Ordinis, quæ in omnibus S. Catarinam Senensem ad viuum expressit.* Eadem ad verbum habet appendix Dominicano Martyrologio *Indiculus Beatorum &c.* pag. 103. §. *Soror Rosa de S. Maria* &c. Ijsdem vtitur Illustrissimus F. Ioannes Lopez Episcopus Monopolitanus in sua Historia Ordin. Prædic. par. 5. lib. 3. cap. 31. Rosam appellans *viuum ectypon seu effigiem vitæ ac Sanctitatis B. Catarinæ Senensis.*

Capitulũ Generale Vlyssiponæ.

Piurima & grãdia paucis dicta.

III. Venerabilis Conuentus Limensis religiosorum PP. S. Mariæ de Mercede captiuorum, litteris ad Vrbanum VIII. Pont. Max. prolixè, at eleganter se diffundit in laudes huius Virginis: merebantur illæ: (: cum alijs aliorum haud imparibus) totæ huc transcribi, sed ne in panegyrim

PP. Ordinis S. Mariæ de Mercede captiuorũ

gyrim videatur desinere Synopsis historica, sufficiet hic pauca excerpsisse. *Rosam* (: inquit) *auream* Sanctitatis Vestræ manibus immittit quarta *Dominica* Quadragesimæ, ijsdem hodie *D. Dominicus Rosam* pariter immittit *auream*, quæ vt auro cœlesti abundauit, *post aurum* terrestre *non abijt*; *fecitque mirabilia in vita sua*. Hanc suo *Rosario* implantauit Deipara, promouendo eam ad gloriosum habitum Prædicatorum, in quo admiranda suorum heroicorum operum *mysteria* ipsammet in *Rosetum* aptè transformarunt, (: vt de Eugenio dixit Cassiodorus) *gerebat nomine quam possidebat meritis dignitatem*, sicque (: vt in B Agnete quondam mirabatur Ambrosius:) *eius ne nomen quidem vacuum est luce laudis*. Sic totus hic nouus orbis sentit de benedicta Virgine Rosa, cui (quod terra non potuit) cœli dedere nomen *Rosa de S. Maria*, Crucem ipsius filo appenderunt rigores verberum, cilicia, claui, aculei, zona ferrea, obsonia fellea. Tota illius vita protestabatur cum Paulo: *absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi*, siquidem nil ei iucundum erat extra crucem, in hac vnica cum *Dolorosis* versabat *mysteria* tum *Gaudiosa* tum *Gloriosa*. Mirum; huic Rosæ tam humili sese inclinasse procerarum arborum cacumina dum orabat in horto, sed mirabilius, quòd eadem *sicut Palma exaltata* (: vel iuxta aliam lectionem *maritata*) fuerit *in Cades*, quando pronuba Cœli Imperatrice *Rosam* sibi *in Sponsam cordis sui* subarrhauit Filius Dei. Hæc filia *Oliuæ* numquam oleo caruit, *neque extincta fuit in nocte lucerna eius*, nam gratiam in Baptismo semel accensam vsque ad obitum nulla ei obtenebratio interpolauit. Prophetici sui spiritus æternum monumentum est Limense S. Catarinæ Senensis Monasterium, in quo demum & Mater Virginis (: vti hæc prædixerat) velum assumpsit: potita sacræ clausuræ *horto concluso*, quem filia optarat sibi, dum quinquennis votum puritatis virginalis emisit: at Sponsus maluit ipsam *speciosam in campis*, vt plurimas adolescentulas odore secum traheret ad sequelam. Lima Regum ciuitas felicissimam se arbitratur, dum Sanctitati Vestræ supplex hanc Virginem sibi dari flagitat Tutelarem, ambit habere Matrem, quam genuit filiam,

Ciui-

Ciuitas Regum Reginam florum, ita huic Rosæ inscriptum nomen Ciuitatis Regum lepidè soluet ænigma Menalcæ apud Virgilium: *Dic quibus in terris nascantur nomina Regum inscripti flores?* huiuscemodi floribus quidni sperare liceat *fructus honoris & honestatis*? nec tuis Beatissime Pater *gentilitijs Apibus* quidquam ad mellificandum offerri potest aptius hac Rosa, quam iustis Ecclesiæ honoribus insigniendo mira dulcedine fideles implebis vniuersos. Hoc orant

Præsentatus Fr. Didacus de Boorques Commissarius Prouincialis.

Magister Fr. Gaspar de la Torre.

Magister Fr. Ludouicus de Vera.

IV. Anno MDCXXXI. litteris prima Iunij Limæ exaratis Don Petrus de Bedoja & Gueuara suo & reliqui Limensis Magistratus nomine sic eundem Pontificem alloquitur: *Gratias immensæ Dei potentiæ, cui in his remotis Occiduarum Indiarum partibus quondam idololatriæ spineto obsitis complacuit plantare R sam tan æ virtutis odore celebrem, quæ sub tertio Ordine Fratrum Prædicatorum, vsque adeo horum irrigatione profecit, vt ad perfectionem sæculo nostro rarissimam pertigerit, fidem in dies magis magisque faciente cælo, per noua prodigia quibus sepulchri sui terra coruscat. Debet natalem suum huic Ciuitati Regum Angelus iste incarnatus, & nos illius vrbani Gubernatores attenta tam ciuium nostrorum quàm vniuersi Regni communi acclamatione Sanctitati Vestræ humiliter supplicamus &c.* Eodem tenore ac publico nomine iterum Limensis Senatus anno MDCXXXII. xij. Iunij supplices ad Vrbanum VIII. litteras dedit.

Senatus Limensis.

V. Hoc pariter anno MDCXXXIII. die xx. Aprilis, Ordo B. Ioannis Dei epistolam qua Rosæ apotheosim efflagitat, sic orditur: *Beatissime Pater, Venerabilis Rosa de S. Maria tertij Ordinis Sancti Dominici, nata in hac Peruana Metropoli, Virgo fuit tam admirabilis virtutis in vita, & post mortem tam miraculis illustris, vt ad omnes Limæ incolas quà seculares quà Regulares pertineat eius procurare honorem & exaltationem &c.*

Ordin. B. Ioannis Dei.

VI. Eodem anno, 1. Iunij ex nomine totius Societa-

Societas Iesu. tis Iesu in Regno Peruano Nicolaus Mastrillus Duran Prouincialis Apostolico throno sic preces suas exposuit: *vt communibus Vrbis & Regni huius desiderijs mea meorumque adiungam, obligatione trahor, singularem cum ceteris fauorem ac spirituale solatium in eo recepturus, si Virgo à Deo huic regioni data in peculiarem omnigenæ virtutis idæam, postque felicem suum transitum dotata cælitus tot eximijs prodigijs per manus Sanctitatis Vestræ honorem Canonizationis ac Titulum Limanæ Tutelaris adepta fuerit, quo vigor ac stimulus addetur eiusdem patriotis, vt maiori ardore imitentur fidem & virtutem Sanctæ Virginis, &c.*

Prouincialis Eremitarum S. Augustini. VII. Eodem anno ac die Prouincialis PP. Eremitarum Sancti Augustini, *hæc* (: scribit:) *fertilis Rosa primus est partus, quem cum notoriæ sanctitatis auctario hæc patria cælo dedit, ceu fidei suæ primitias. Tametsi enim inter huius regionis vernaculos plurium & porro insignium Seruorum Dei veneremur memoriã, antecellit benedicta hæc Virgo in iure patriæ. Nata est in hac Peruana Metropoli, in eadem adoleuit & vixit approbante simul natura & gratia. Sanctitas in ea annorum prætergressa est terminos, ac moriendo in ætatis vere, demonstrauit eximijs miraculis quantùm cursus suarum virtutum temporis velocitatem anteuerterit. Ad eius sepulchrum infirmi & ærumnosi vitam & salutem inueniunt &c.*

Prouincialis Ordinis Minorum. VIII. Quinta Iulij eiusdem anni Minister Prouincialis PP. Minorum S. Francisci ex nomine sui Ordinis atq; Prouinciæ suis ad Vrbanum VIII. litteris hæc interserit: *Canonizationi ancillæ Dei Rosæ de S. Maria tertij Ordinis Prædicatorum causas suggerunt vita eius tam inculpata, mors tam gloriosa, miracula tam numerosa & eximia, denique summa & incomparabilis ædificatio huius Regni tam in Fide nouelli &c.*

Limensis Metropolitana. IX. Die xij. eiusdem mensis & anni epistola nomine Ecclesiæ Metropolitanæ Limensis eidem Christi Vicario inscripta sic orditur: *Iustum non est, vniuersali horum Regnorum acclamationi vocem deesse huius Aedis Metropolitanæ, pro apotheosi Venerabilis Virginis Rosæ de Sancta Maria conciuis nostræ, cuius vita admirabilis & post obitum*

obitum prodigiosa miracula tantum in omnibus his Regnis accenderunt deuotionis affectum, vt perspicuè appareat, velle Christum D. N. eamdem pariter glorificare in terris, perque liberalissimas manus Sanctitatis Vestræ dare nobis Tutelarem & Aduocatam huius patriæ suæ, cuius ex hoc primo fructu præclarus honor velut à capite harum amplissimarum Regionum ad singulas pertingat, &c.

X. Anno MDCLIII. Antonius de Leon Pinellus in supremo Indiarum Regio Senatu Relator &c. Libro suo de Vita Serui Dei Turibij Alphonsi Mogrouecij Limensis quondam Archiepiscopi impresso Matriti sic de Virgine nostra commentatur: *Soror Rosa de S. Maria tertium Sancti Dominici Ordinem professa monialis, Virgo purissima, Limæ patriæ suæ splendor, pænitentia, oratione, exstasi, supernis illustrationibus admirabilis, cœlo in eius vita ac morte grandia per ipsam prodigia operante. Obijt coronata virtutibus, opulenta meritis &c. Illius funebribus interfui, ibi is fuit concursus & acclamatio, qualis Sanctorum corpora solet comitari &c.* Refert se deinde ad Didacum de Corduba in Theatro Limensis Ecclesiæ cap. 11. Bonauenturam de Salinas in memoriali Peruano cap. 5. & alios qui huius Virginis cum laude meminerunt.

Antonius de Leon Pinellus.

XI. Denique huic tum Capiti tum Libro grauem ac decorũ aptet epilogum honorifica Relatio facta per Eminentissimum ac Reuerendissimum D. Cardinalem Azzolinum in Congregatione Sac. Rituum habita coram S. D. N. die xv. Septembris, anni MDCLXIII. hoc tenore: *Serua Dei Rosa de S. Maria die* 20. *Aprilis anno* 1586. *Limæ orta catholicos, honestos, ac pios parentes habuit Gasparem Flores & Mariam de Oliua. Nomen ei ex baptismate Isabella: sed propter roseam vultus speciem à Matre Rosa nuncupata, ex suo in Deiparam obsequio Rosa de S. Maria voluit appellari. Sexus ætatisque ineuntis teneros adhuc sensus firmauit virtute robusta, & parentum monita simul ac vota adulta probitate, & multiplici pietatis vsu præuenit puella, iuuenis excessit. Tantus enim eius amor in Deum, tantus in Deiparam cultus, tanta sensuum & carnis castigatio, morum & cogitationum munditia, vt argentea corona caput redimita, ad instar spineæ quam Chri-*

Relatio Eminentiss. Card. Azzolini.

stus passus est, ferreaque catena Virgineum corpus singulis noctibus dilanians, sicut lilium inter spinas virginitatem custodierit, quam cum se totà & Deo vouit perpetuam & seruauit.

Annum agens vigesimum Sancti Dominici tertio Ordini nomen dedit, cuius institutum in ædibus paternis miræ pietatis & virtutum omnium exemplo coluit. Oratio, rerum Diuinarum contemplatio, ieiunia, corporis afflictio, Mundi contemptus, proximorum bonum, Deo per charitatem prorsus heroicam adhæsio eius vita fuit, pro statu via perfectissima. Ac proinde prophetico spiritu, extasi, raptuque multiplici, signis, alijsque supernaturalibus donis à Deo aucta, in hæreditatis suæ consortium tandem euocata, post prolixi morbi constantem in Domino tolerantiam, Ecclesiæ Sacramentis ritè pièque susceptis obijt die 24. Augusti anno 1617. insignem in ipsa morte suæ sanctitatis famam relinquens, quæ & in eius vita & post obitum plurimis fuit signis à Deo cœlitus confirmata.

De Sanctitate, Virtutum ac Miraculorum fama, Processibus autoritate ordinaria confectis, & referente bo. mem. Cardinale Peretto in S. Rituum Congregatione examinatis decretum fuit die 22. Martij 1625. posse si Sanctissimo videretur ad specialem inquisitionem autoritate Apostolica deueniri. Precibus inde Regis Catholici, ciuitatis Limanæ, & Ordinis Prædicatorum prodijt Commissio fel. rec. Vrbani VIII. & eius vigore datæ fuerunt litteræ Remissoriales & Compulsoriales ad Archiepiscopum Limanum, eoque impedito vel absente ad Episcopum Guamangæ cum duabus Dignitatibus. Confectus itidem coram Archiepiscopo, Decano, & Archidiacono Ecclesiæ Limanæ Processus in specie anno 1632. die 12. Iulij, & 23. Iulij anni 1634. Sacræ Rituum Congregationi Romæ exhibitus, seruatis seruandis recognitus, apertus, & per interpretem à Cardinale de Torres (: Peretto defuncto) subrogato explicatus. Verùm superuenientibus anno 1634. nouissimis eiusdem Vrbani decretis destitum hactenus in causa.

Cum autem fama sanctitatis Seruæ Dei, deuota in eam populorum studia, vnà cum diuina signorum confirmatione in dies augeantur, per Procuratorem ad id specialiter

con-

constitutum humillimè petitur à Sanctitate Vestra admitti & signari commissionem, quæ proponitur pro reassumptione Causæ in statu & terminis in quibus reperitur, ad formam nouissimorum Decretorum,

Et videtur esse locus gratiæ, cum omnia afferantur ex ijsdem Decretis prærequisita, nempe supplicationes

Nouem diuersorum Ordinum, ac illustrium Virorum Limensium.

Tres Regis Catholici,

Tres Reuerendissimi Cardinalis de Aragonia.

Binæ Magistri Generalis Ord. Prædic.

Fides decreti Capituli Generalis eiusd. Ord. ad idem à Sanctitate Vestra communi nomine petendum;

Mandatum Procuræ in personam F. Antonij Gonzalez specialiter per solemne instrumentum constitutum, à Generali Ordinis confirmatum.

Demum perseuerantia & augmentum famæ Sanctitatis, Venerationis, & Deuotionis populorum, & Miracula supra CXIX. ex processu Remissoriali in specie autoritate Apostolica confecto, inter quæ habetur sanatio à lepra, & plurimæ à paralysi alijsque grauissimis morbis.

(L. S.) D. Cardinalis Azzolinus.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Cong. Secr.

Clausit Virginis Rosæ mortalem vitam annus ætatis suæ trigesimus secundus, claudat pariter vitæ historiam Caput trigesimum secundum. At liceat finire mellifluis Bernardi verbis, serm. de S. Malachia: O Rosa electa, *magna fuit super Te Diuinæ dispensatio pietatis, quæ Te paruam fecit in oculis tuis, magnam in suis; quæ magna fecit per Te saluans patriam tuam, magna fecit Tibi introducens Te in gloriam suam.*

F I N I S.

MANTISSA

Signorum, Gratiarum, Miraculorum, quibus DiuinaBonitas ROSAE ſuæGloriam immortalem dignata eſt ab eius felici tranſitu mortalibus inſinuare.

BEATÆ ROSÆ fragrantem *Sanctitatem* (quam viuens ipſa & virens tantopere occultarat) operoſiùs ab eiuſdem obitu prodidere tot illuſtres *Apparitiones*, & poſthuma in-dies *Miracula*, quibus ex autentica viſorum *Proceſſuum* fide recenſendis prima noſtra Editio Mantiſſam dedit appendicem. Eadem hic verbatim apponitur, ſed cum graui ſub finem Auctario, nempe *Canonizationis Bulla Clementina*, quæ dum celebriora S. ROSÆ miracula compendio recitat, de reſiduis aut hìc relatis aut præ multitudine omiſſis neminem ſinet vlteriùs dubitare.

CAPVT I.

Roſa poſt mortem & ſæpiſsimè & multis apparet Glorioſa.

Aloyſiæ de Serrano mox ab obitu apparet Roſa.

I. ALOYSIA de Serrano (: cuius memini ſupra Cap. XIX.) vt Roſæ adhuc mortali familiaris & chara fuerat, ita ab immortali meruit frequenti apparitione familiariùs honorari. Inter eas hæc illuſtrior fuit, qua vidit coram Diuino ſolio auguſtiſſimam cœli Reginam ſtantem, ac miri fulgoris coronam manu geſtantem, velut nouam hoſpitem expectaret ad illius ſolij limbum ſolemniter coronandam. Parte altera niueus candidarum Virginum chorus mediam complexus Roſam tunc recèns defunctam hilari & canoro agmine deducebat ad Deiparam. Singulis Virginibus ſingulæ

Adducitur Deiparæ, coronanda.

gulæ erant in manibus palmæ, in verticibus coronæ, Rosa palmam deferebat vt cæteræ, at nondum coronam. Aloysia gaudio ac stupori impar dum reliquo inhiat coronationis spectaculo, disparuit visio. At postridie tertia Rosæ apparitio gaudium cumulauit. Nimirum vidit tunc Aloysia Rosam eodem quo pridie nuptiali ac festiuissimo Virginum agmine decorè circumdatam, nec sola iam palma, sed & immensæ gloriæ corona insignitam, cui seorsim applaudebant dispositæ Angelorum phalanges, & beata plurimorum Sanctorum caterua iubilo publico suauissimè gratulabatur. Aloysia sibi reddita, at sibi non fisa spiritualium suorum Patrum arcano examini vtramque visionem exposuit: hi verò ex effectibus concorditer decreuerunt, fuisse immissam diuinitus, omnique fallaciæ periculo caruisse.

Rursus appareti coronata

II. Quæstori Gundisaluo de la Massa (: qui coram Apostolicis Iudicibus id verbo scriptoque testatum reliquit) secretò fassus est vir illis diebus mysticæ Theologiæ peritia & contemplationis sublimitate clarus, quòd intra tres hebdomadas ab obitu Rosæ proximas minimùm viginti & duabus vicibus conspicua sibi fuerit gloria huius Virginis intuitu nunc imaginario nunc intellectuali; at inter reliquas visiones vnam excelluisse purè intellectualem, qua puritatis suæ virgineus candor cum sua inæstimabili dote, & floridissima aureola ostendebatur absque omni figura corporea, perque simplicem irradiationem tranquillę notitię. Hunc reuelationis modum vt planè defæcatum sensuque superiorem, ita ineffabilem fuisse, talique obiecto apprimè dignum existimauit, & vt par erat ęstimauit.

Alteri plus quã 22. vicibus in sua Gloria.

Cum Virginitatis aureola.

III. Doctor Ioannes de Castillo Medicus, anno post felicem Virginis transitum quintodecimo iurauit coram Apostolico secundi examinis Tribunali, sibi per visionem imaginariam apparuisse Rosam in medio cuiusdam fulgidissimi luminis quod ipsammet Diuinę Maiestatis claritudinem ac speciem referebat. In huius amœnissimo centro comparebat Rosa amicta habitu S.P. sui Dominici mirabiliter candente ac radioso, cuius incomparabilem decorem protestabatur se verbis assequi non posse. Facies

Ioãni del Castillo cõspicua Rosa in diuino lumine.

Virgi-

Virginis gratia ac splendore micabat infinito, corpus eiusdem vndique circumdederant rosę candidę atque purpureæ sine numero; manum dexteram occupabat ramus index nitidissimæ virginitatis, nec minùs è ramo quàm de rosis continuò scintillabant densa gloriæ fulgetra. Quin & pluries sub eiuscemodi visione Rosa suauiter affata est spectatorem suum, multa ac sublimia illi edisserens de felicitatis suæ excelso fastigio, quæ humanæ linguæ idiomate efferri non possunt. Quidam ex Virginis Confessarijs ab ore eiusdem Doctoris accepit, plus quàm quinquagies gloriosam beatæ Rosæ apparitionem sibi cœlitus illuxisse. Ipsemet vltro in postrema anni 1631. depositione coram ijsdem Iudicibus persanctè asseuerat, integro sex mensium spatio interdiu noctuque se diuinitus admissum ad tantæ Beatitatis spectaculum; ac toties, quoties mentem destinatis horis eleuabat in adyta contemplationis, ostensam sibi fuisse Rosam inter agmina Beatorum. Vt paulatim cessauit hæc apparitionum gratiosa frequentia, non cessauit tamen ex lege vrbanitatis Rosa per aliquot exinde dies cęlesti ephæbo suas vices committere: Angelus erat tenera duodennis pueruli specie quotidie inuisens Doctorem ex Rosæ nomine, deque huius ineffabili gloria semper nouũ aliquid edisserens. Sicque his demum visionibus comiter impositus est finis.

Plus quã quinquagies.

Ex Rosæ nomine eundẽ inuisit Angelus.

IV. Porro eamdem Rosam videre in Sponsi sui Paradiso vernantibus rosis floridè circumseptam, aureoque diademate redimitam pluribus à Deo concessum fuit: prę-sertim Viduæ cuidam fama virtutum tunc celeberrimæ, cui se Rosa sæpius in cęlesti lumine stitit conspicuam, non sine officioso Angelicarum myriadum comitatu: Semel hanc in imaginaria visione sic allocuta est virgo: *Laborandum est ò Mater, nam permagna res est cæleste præmium. Mihi quidem hìc abundè retributum est pro eo quod laboraui.* Dixit facie in serenum risum festiuè diducta, ac niueo Dominicani habitus sui nitore admodum speciosa: Interdum huic visa est Rosa in hortis empyreis iucundè spatiari cum Christo, qui pauculis passibus ante se Virginem præmittebat. Aliquando conspiciebatur deliciari inter garyophyllos & lilia, velut cum ijs certans de floridæ

Deuotæ Viduæ apparet rosis circũdata.

Doctrina omni viatori necessaria.

Rosa cum Christo visa spatiari.

ridæ amœnitatis immarceſcibili prærogatiua.

V. Conſideratione haud perfunctoria dignum puto, quod in his viſionibus de Roſæ erga patriam affectu ac ſolicitudine compertum lego. Vidua ſupradicta paucis à Virginis obitu diebus priuatim orabat in Eccleſia, ac Roſæ quam pluries in Choro Beatorum conſpexerat, Limanam ciuitatem & Regnum Peruanum ſupplex commendabat: mox rapta, intellectuali viſione conſpicata eſt Roſam Diuina luce coruſcam; audijtque blandè reſpondentem ſibi: *Planè ſic fiet ò Soror, & quidquid conſentaneum fuerit gloriæ huius dulciſſimi Numinis quo fruor, me petente ſumma illa Bonitas concedet. Probè memini eorum quæ mihi vt peterem fuere commendata.*

Roſa promittit iugiter orare pro patria.

VI. Concordat huic viſioni altera, quæ ex depoſitione iurata Sororis Caterinæ de S. Maria refertur in Proceſſu: nimirum, piæ cuidam perſonæ ſæpius (: at per ſoporem) apparuerat felix Roſa, edocens quàm iucundo bonoque ſtatu res ſuæ erant. Bis tamen eidem ſolito clarior illuſtriorque apparuit, primò quando venerat illius animum confortatura inter aduerſitates quas quidem tunc patiebatur grauiſſimas. Secundò, cum ſupra Virginis ſepulchrum manifeſtè eamdem vidit in aëre flexis poplitibus ritu ſupplicum intercedentem apud Deum pro Lima dilecta patria ſua. Nec mirum, duabus his vicibus Roſam ſolito fulſiſſe glorioſiorem, nam vbi in priori de patientia agebatur, oſtendenda fuit eodem quo Seraphica Mater ſua *patientia ſpeciali priuilegio decorata*, in poſteriori quæ patriam concernebat, debuit vtique ardentiſſimus erga conciues amor poſt mortem luculentiùs rutilare. Porro vt viſionis ſyncera aſſereretur veritas, in muliere comperta fuerunt à peritis vera diuinæ reuelationis critiria, profundior humilitas, agnitio ſui nihili, alta mentis tranquillitas, gaudium ſpirituale nouis diuini amoris incendijs inflammatum.

Solatur Moniale afflictionibus inuolutam.

Viſa in aëre Deũ orare pro patria.

Viſionis minimè fallacis certa critiria.

VII. Prodigioſius eſt, ac plurium ſignorum benefico concurſu fœtum quod referam. Decumbebat in Limano SS. Roſarij cœnobio, iamque extremis agonibus ſe præparabat P. Magiſter Fr. Auguſtinus de Vega Ord. Prædic. tunc Prouincialis Peruanus. Conclamatum erat de vita

hominis, cessatum à pharmacis, & ab omnibus Medicis desertus infirmus, sola Rosa sui iam in paradiso secura curam ægroti totam in se transtulit. Dormiebat procul suis in ædibus Christophorus de Ortega homo secularis ac fortunæ infra mediocrem; huic Rosa nocte concubia se clarè visibilem obijcit, mandat primo diluculo cœnobium adeat, Prouincialem moribundum conueniat, ei denunciet, ex hac quantumuis complorata infirmitate nequaquam ipsum è viuis abiturum, priùs illi sub Episcopali infula tantisper sudandum fore pro Dei gloria, antequam huius mortalis vitæ molestijs exuatur. His dictis gloriosa Virgo disparuit. At Christophorus tantæ præsentiæ mira dulcedine ac cœlesti gratiosæ dignationis affatu præproperè destitutus erupit in clamores: ah (: inquit) Sancta Virgo Rosa nunc nunc à me recessit. Expergefactus hac vociferatione filius Thomas de Mesa qui propè dormiebat, à Patre totam rei gestæ seriem percepit, sed incredulus multis obtestatus est Patrem vanitati insomniorum temerè ne crederet. Replicuit Pater, se verò non per insomnia, sed expeditis liberrimisque sensibus & vidisse & audisse Rosam hæc sibi seriò præcipientem. Instabat filius, saltim interea quieti ac sopori se redderet. Negauit se posse Christophorus, ac visione ruminanda intentissimè occupatus vigili impatientia diem expectabat. Vt illuxit, monita à filio coniux omnia dixit egitque, ne maritus visionem relaturus domo abscederet, nunc obsecratione nunc iurgio Virum interpellans, ne ludibrium sibi ac familiæ ineptissima fallacis somnij narratione accerseret, nil fore certius, quàm ipsum febrilis enthusiasmi aut delirij arguendum iri. Verùm Christophorus tàm propositi sui tenax quàm de nocturni spectaculi veritate indubius hilari fiducia cœnobium adijt, infirmum salutauit, imperata exposuit, ea frontis constantia, animique securitate, vt breui vel sola dicentis alacritas omnem ambigentibus excusserit credendi formidinem. Mirares, non tardarunt manifesta experimenta conciliare dictis integram fidem, nam ab illo ipso momento quo Christophorus loqui desierat, cœpit æger Prouincialis morbi discessum lentis indicijs aduertere, deinde Virgini Ro-

Christophorũ de Ortega in sõnis monet.

Aegro Prouinciali vitã & Præsulatũ pollicetur.

Filius & vxor Christophori visionem explodũt.

Promissis adæquatè respõdet euentus.

ni Rosæ se commendans totus conualuit, denique ad Episcopalem mitram assumptus in Paraguay satur vitæ in Domino obdormiuit.

VIII. Doctor Balthasar de Padilla Metropolitanæ Limensis Canonicus & Pœnitentiarius de mandato sui Archiepiscopi domum viduæ cuiusdam adierat cum Notario, sub iuramenti fide excepturus quæ de Rosæ vita ac prodigijs afferrentur. Dum igitur examen peragitur, apparet viduæ fulgida Rosa, vultu hilari ac familiariter iucundo, gestu verò ac nutu hortatorio, velut mulieri animum faciens ad dicenda quæ poscebantur, & singula approbando ratificans quæ de suis encomijs in tabulas referebantur. Seorsim id postea anno 1630. Vidua Iudicibus Apostolicis aperuit, addens, Virginem tunc quidem sibi fuisse conspicuam eo vestimentorum schemate quo viuens dignosci ac tegi consueuerat, facie tamen multò lætiori & exporrecta, quasi quæ pro obsequio gratiam spiraret.

Balthasar de Padilla inquirit in miracula Virginis.

Cõparet Rosa testẽ viduã festiuè adhortans.

IX. Alteri personæ spiritualibus exercitijs gnauiter addictæ obtigit alibi conspicari visione imaginaria Beatam Rosam eo loco quem tunc deputati Iudices excipiendis testium de ea responsis ac depositionibus destinarant. Videbatur ipsamet Virgo conclaue perambulare, cum cura omnia circumspicere, suis candidis manibus ordinatè singula disponere, polire, adornare, simulque indicabat ista se agere, quòd illic iusta honoris ac veritatis tributa à mortalibus eo die erat receptura. Simillimum est, quod refert D. Maria de Vsateguì Gundisalui Quæstoris vxor, hoc addens, gloriosam Virginem in ea functione visam alacriter ipsa graphiaria instrumenta Notarijs disponere, chartamque digerere, protestando gaudium, quo ex Diuinorum in se beneficiorum iuridica in terris comprobatione mulcebatur. Verùm an hæc visio à superiori diuersa sit an eadem, haud facile discreuerim.

Simile, at festiuius in alio examine.

X. Hìc verò subticendum non est, quod anno 1631. Mariæ de Bustamante in Limensi Sanctissimæ Trinitatis Monasterio professæ Moniali accidit, ipsa iuratò id referente. Bona fide hæc coram Apostolicis Iudicibus in causa Venerabilis Rosæ explicarat omnia quæ norat. Verùm

Maria de Bustamãte monialis.

vt ſexus iſte ad ſeueram publici iuramenti religionem facile trepidat, ac velut inter fulmina cenſurarum ſuæ conſcientiæ metuit, poſt examen anxiamMariam graues inuaſere ſcrupuli,ne fortè aut per imperitiam reſpondendi,aut per linguæ memoriæue ceſpitationem plus vel minus quã exacta veritas & rigor illius Tribunalis exegerant, dictitaſſet. Fluctuabat miſera inter ſaxum & ſacrum; hinc vrgebat animi inquietudo ad nonnulla ex dictis ſeu moderanda ſeu retractanda, ſed vnà cum reluctante ſumma verecundia obſtabat, quòd determinatè quid in ſuis dictis corrigere teneretur neſciebat; inde dictabat animus nulla opus eſſe retractatione, at interim delicatæ conſcientiæ deerat ſecura tranquillitas. Inter has anguſtias dum nocte quadam in ſua cellula ſolitaria obdormierat, ſenſit alieno ſe motu & imperio (: at abſque terriculamento) blandiſſimè à ſomno excitari. Excitata conſedit in lectulo, totoque ſopore facile diſcuſſo tacita, & attenta mirabatur, ad quid, vndè, aut à quo illa hora fuiſſet in vigiliam reuocata; dumque ſic omnia verſans animo auſcultat & hæſitat, ecce vox lenis ac dulciſſima ſedenti allabitur ita inquiens: *nihil dubites Maria, neque angaris, etenim Roſa verè ſancta eſt*. Mirum dictu: eodem momento ſenſit Maria ſe ſcrupulo ſuo liberatam, euanuit inquietudo & timoris anxietas, rediјt cordi ſuo tranquilliſſima malacia, ita vt noctis reſiduum potuerit ſub placido lętæ ſecuritatis ſilentio tranſigere,certa tantam tamque repentinam animi quietem aliunde quàm deſurſum infundi ſibi non potuiſſe; ſciebat præterea, ſcrupuli ſui morſus nemini præterquàm ſibi ac cœlo notos fuiſſe, cumque maximè nocturnis horis ſoleret ad omnem peregrinum ſtrepitum expaueſcere, ſub voce præmemorata non tantùm nihil expauit, ſed planè refecta eſt.

Vexatur ſcrupulis ne fortè teſtificando plus minuſue dixerit.

Teſtificatio cęlitus approbata, exempti ſcrupuli.

XI. Plura huius generis ſupereſſent, at coronidem imponat Didacus Hyacinthus Pacecus Hiſpalenſis, qui Limæ ex quotidiano hypographicæ artis lucello victitans à Didaco Morales in Cauſa Venerabilis Roſę Notario exéplandis tranſcribendiſque Proceſſuum ſeu Actorum voluminibus adhibebatur. Itaque iuſſus fuit in cauſa prædicta bis mille folia intra certum temporis ſpatium ſcribendo abſol-

Didacus Pacecus hypographus.

Actis Roſæ ſcribēdis adhibitus.

abſoluere, eo quidem pacto ne illo cui ſemper aſſueuerat charactere vteretur fluido, laxo, facilique, ſed alio moroſiori, quadro, & adſtricto, quem illic *nothum* appellat amanuenſium vulgus. Paruit ſcriptor, at primo die quo laborem orſus eſt, præ difficultate inſueti characteris deſperauit ſe vmquam tot folijs exarandis parem fore, ſiquidem (: vt diſertè ipſemet coram Iudicibus Apoſtolicis ſub iurata fide depoſuit) adeo ſibi inter ſcribendum laſſabantur digiti, ſtupebat brachium, diuaricabántur nerui, vt ſæpiùs exclamarit, vereri ſe, ne ex tanta fatigati pulsùs attractione citiùs ipſe deficeret, vſumque manus perderet, quàm iniunctum opus abſolueret: Igitur die quadam, cum à primo diluculo vſque ad veſperam ſcribendo laboraſſet, enormiter feſſus, totoque brachio dolens cubitum ſe recepit, dubius ne fortè poſtridie vlteriori ſcriptioni inutilis ſurgeret. Sub eo tædio obdormiſcens vidit felicem Roſam ad ſe intrantem gradu placido ac feſtiuo, vultu propitio ac læto qui terrere nequaquam poſſet; & vt certiùs noſceretur quæ eſſet, illa effigie, habitu, ornatu apparuit, prout ipſam in tabula ſcitè depictam aliquot diebus ante Scriba noſter conſpexerat. Tacuere ambo, ſed Roſa leniter accedens dextrum iacentis brachium inter cubitum ac pugnum comiter arripuit, validè at ſucceſſiuè ſtrinxit, diuque ſic attinuit, nec niſi poſt moras admodum prolixas placidiſſimè dimiſit, ſimulque diſparuit. Euigilans Pacecus, ac myſterij ignarus voluebat animo quid ſibi voluerit hæc dulcis apparitio, quid brachij apprehenſio, quid illa diuturna & tenax conſtrictio? an fortè (: inquiebat) conſcia meæ inſtabilitatis, & indolis, qua facilè ab vna ciuitate in aliam, de Regno in Regnum tranſcurrere ſoleo, conſtantiæ me admonuit, firmitatem imperauit? Inter has cogitationum viciſſitudines ſeſe veſtiens ſenſit dextrum lacertum ſolito agiliorem, at necdum ſuſpicatus quid rei eſſet, proſequendæ ſcriptioni vtì pridie ſe denuo totum applicuit: Scripſit ab aurora vſque ad Salutationis Angelicæ pulſum veſpertinum nulla digitorum laſſitudine, nullo neruorum cruciatu, brachio leuiſſimo ac ſupra morem expedito. Agnouit ex tunc ſalutiferæ appa-

Succũbit labori arduæ ſcriptionis.

Roſa ei cõſpicua brachij neruos mirè confortat.

Scripſit deinceps abſq; laſſitudine.

apparitionis opportunum beneficium, perrexit totos reliquos dies ſcriptioni laborioſæ citra laborem impendere, comperit infatigabile robur manui ſuæ inditum ex imaginariæ viſionis contactu virgineo, ſicque conſummauit opus bis mille foliorum, quæ amodò pauca ſibi videbantur præ admirabili ſcribendi facilitate. Finito volumine obſtupuere omnes quotquot Pacecum nouerant, eiuſque quadrum characterem feſtinè, fluidè, indefeſsè tot chartis illitum conſiderabant. Hinc ad grandiora miracula tranſeundum.

CAPVT II.

Roſa à morte in peccatorum ſubitis conuerſionibus & obſtinatione cordium emollienda mirabilis.

Conuerſio peccatoris opus Diuinæ Omnipotentiæ.

I. QVale quantumque Diuinæ omnipotentiæ molimen & opus ſit Conuerſio peccatoris, & quàm altè cœli terræque creationem excedat, item quando ipſa miraculoſa cenſenda ſit, legat qui voluerit apud S. Thomam 1.2. q. 113. art. 9. & 10. Ex his ad Roſam, celebrem Peccatorum apud Deum cauſidicam vt conuertantur & viuant.

Publicum teſtimonium Nicolai de Aguero.

II. Præſentatus P. F. Nicolaus de Aguero in ſua encyclica ad totum Ord. Prædic. Prouinciam Peruanam (: cui tunc vti Vicarius generalis præſidebat) ſcripta die primo Septembris 1617. dum admirabilem Roſæ vitam, obitum, prodigia ſtrictim ſuis denunciat, inter alia refert, ad ſolum Virginei corpuſculi in feretro contactum quàmplurimos repentino cumpunctionis ſtimulo ita fuiſſe perculſos, vt ſtatim ibidem coram vniuerſa multitudine cœperint elatis vocibus deteſtari ſua ſcelera, deplorare vitam ante actam, reſolui in gemitus ac ſingultus, humiliari co-

Felix pńctio quã ſequitur cõpunctio.

ram

ram Altissimo in lachrymosam criminum confessionem, audiente, spectante, mirante innumera circumstantium turba. Nonnulli (: vt fit) liberioris vitæ, solo curiositatis spiritu adducti vt defunctam pulcherrimam Virginem propiùs cum alijs contuerentur in sandapila, ad ictum primi intuitus exarserunt in subitum intimumque dolorem peccatorum, rigarunt ora lachrymis, protestantes alio quàm venerant spiritu se iam recedere, posthac emendationi vitę ac emundationi morum sé operam daturos efficacem. Forsitan idcirco prouiderat Deus pater misericordiarum, quòd toto ferè biduo palam prostaret in tumulo inhumatum Rosæ suæ corpusculum, vt eius spinæ tam multis fierent in salutem, nam iuxta mellifluum Bernardum feliciùs numquam pungeris quàm vbi compungeris.

Salus peccatorum Rosa diutiùs prostans in feretro.

III. Mater Virginis Maria de Oliua anno MDCXVIII. xv. Februarij coram deputatis Iudicibus inter alia recensuit, post exequias filiæ successiuis interuallis ad se venisse complusculas etiam ex regularium Ordinum familijs deuotas personas antea sibi penitùs ignotas, quæ vt eius notoriam egestatem liberali aliquo subsidio subleuaturæ accesserant, ita singulæ profitebantur, hac ratione se mera gratitudinis tributa pendere Virgini Rosæ, cuius intercessionibus vitæ suæ optimam se mutationem debere sciebant, lætæ nunc alias se esse ab eo quod fuerant, eoque felicitatis nonnisi post imploratum Rosæ in cœlesti curia interuentum se pertigisse asseuerabant. Certè operosius & fortè rarius miraculum est languidum ac tepentem in Dei obsequio spiritum repentè ad seria religiosæ perfectionis studia erigi validèque succendi, quàm criminosum ab enormitate sceleris ad qualemcumque frugem reuocari, siquidem hic plerùmque nouit periculum suum, ille inertiæ ac securitati altiùs indormiscit.

Rosæ cõplures debent vitæ emendationem.

Rariùs tepidi quã flagitiosi resipiscũt

IV. Admiratione præ multis dignum est, quod de quodam insigni peccatore ijsdem Iudicibus eodemque mense & anno ex certa sua (:vti protestatur) scientia aperuit P. F. Bartolomæus Martinez Rosæ quondam Confessarius & Limæ tunc cœnobio FF. Prædicatorum ad S. Mariæ Magdalenæ Præfectus. Quidam profligatæ conscientiæ vir assiduè quidem cum alijs viuificæ Pœnitentiæ &

Bartolomeus Martinez de quodã inueterato peccatore.

Eucha-

Euchariſtiæ Sacramenta frequentabat, ſed nonniſi in animæ ſuæ mortem & exitium, nunquam enim toto ſacrilegæ vitæ ſuæ decurſu ritè integrèue confeſſus fuerat, ac longiſſima annorum ſerie in hoc luto computruerat. Accumulabantur ſceleribus ſcelera, at videbatur omnis occalluiſſe ſynteresis, imò in dies obbruteſcebat magis, & prolapſa vſque in profundum impietas contemnebat. Non defuit tamen aliena pietas, quæ miſerrimum Roſæ recèns tumulatæ commendaret. Mox ille quaſi ab annoſo lethargo euigilans cœpit ſentire intus ſibilum illius auræ tenuis at potentiſsimę, qua Deus afflat corda obſtinatorum vt inſtar cerę liqueſcant. Exhorruit infelix vbi ſe circumſpexit immerſum labyrintho tam cęnoſo & ineluctabili, verùm Diuina bonitas vnà cum acutiſſimis pœnitentię ſtimulis miſericordię fiduciam ingerebat. Quid multa! generalem de totius vitę ſuę delictis exomologeſim amariſſimo doloris ſenſu perfecit, ex horrendis omnemque modum ac numerum ſupergreſſis flagitijs nullum ſubticuit, & conſcientiam quam callus obduxerat, timor Domini in eam emolliuit teneritudinem, vt deinceps minimos quoſque exceſſus tamquam prægrandes pauidiſſimè ſenſerit atque eluere feſtinarit.

Infixus in limo profundi nō curat emergere.

Liquefit anima ob duratacui Dilectus loquitur.

Obſtinationi ſuccedit conſcientiæ teneritudo.

V. Idem P. Martinez in eodem examine ſanctè aſſeruit, ſibi non tantùm proprio in excipiendis Confeſſionibus experimento, ſed & aliunde ex concordi plurimorum Confeſſariorum teſtimonio conſtare liquidò, poſt imploratum Roſæ in cœlis auxilium innumeros tum Limæ tum in vniuerſo Regno ex infima ſcelerum abyſſo emerſiſſe in portum veræ pœnitentiæ, ſinceraque confeſsione & lachrymis animam expiaſſe. Iam ante (: nimirum 11. Decembris anno 1617.) idipſum Iudicibus indicarat P. Antonius de la Vega Loayſa Societatis Ieſu, quondam Sancti Officij Commiſſarius, diuerſorumque Collegiorum ſucceſsiuè Rector, qui & ſingulariter ponderandum eſſe monuit, hoc genus beneficij inter validiora & excellentiora ſolidæ ſanctitatis argumenta ex communi SS. Doctorum ſententia meritò computari. Eidem relationi diſertè in illo Tribunali ſubſcripſere P. Fr. Franciſcus Nieto, & Magiſter Fr. Ioannes de Lorenzana, ambo Virginis olim

Limenſes Confeſſarij teſtes multarū cōuerſionum.

olim Confessarij, de quibus supra.

VI. Consonat his per omnia P.Fr. Petrus de Loaysa, additque duo notatu digna: primum est, paucis à Virginis obitu diebus tantam fuisse eiuscemodi conuersionum frequentiam, quòd Limæ in publicis officinis vbicumque tortilia disciplinarum flagella, setarum cingula, & variæ sortis cilicia vendebantur, subitò defecerint hæc mortificationis ac pœnitentiæ instrumenta, ob emptorum multitudinem. Alterum, quòd ipse ex plurimis ad seriam pœnitudinem tunc conuersis duas nouerat insignes peccatrices, quas probrosæ vitæ deuia nodosis inferni retibus tenacissimè implicuerant, sed ambæ ad odoriferam Rosæ famam compunctæ, eiusque validis coram Altissimi throno precibus commendatę nodos impuritatis feliciter exuerunt, & in calle virtutis constantem fixere pedem. Non potuit, vtì in miraculosis corporum, ita in his animarum curatiónibus annotandis procedi vsque ad singularia personarum nomina, imò nec decuit, sat esto Limenses aliosque in vniuersa Peruana regione Sacramentalis pœnitentiæ administros communicatis generatim indicijs adstupuisse tantæ morum mutationi in populo, à die qua Rosa in Sponsi sui paradiso cœpit agere suorum ciuium aduocatam: vidisses certatim fœminas abiecto vestium luxu simplicioris modestiæ habitum domi forisque ostentare, audiuisses in regulariũ peristylijs & claustris nocturno tempore per omnes angulos cruentis flagrorum ictibus pœnitentiam velut tympanistriam acedię ac tepori bellum indicere, comperisses Confessariorum vbique sedilia planctu & gemitibus obsideri. Denique tam publicè notum tamque populariter crebrum fuit hoc prodigium, vt prænominatus Martinez vir grauissimus & religionis pietatisque fama inter eximios clarus neutiquam in dicto Tribunali dubitarit iuratus asserere, videri sibi, quòd à tempore quo Peruuia nostris detecta patuit, nullus vmquam claruerit prædicator, qui tot ac tantis stimulis gentes illas ad virtutem impulerit, tamque vniuersalem pœnitentiæ spiritum, tam luculentum deuotionis incendium excitarit. Mira res, tantùm valuisse vnius Rosæ salutiferos aculeos ad tantorum compunctionem.

Studium domandi corporis in gestũ plurimis.

Duæ fœminę àlubricitate vitæ ad frugẽ cõuersæ.

Ingens morum in populo mutatio.

Crebrescunt passim opera pœnitentiæ.

Alterolona fuisset opus.

VII. Accidit (: referente apud Iudices coniuge Quæstoris Gundisalui) duas Matronas cosedere obiter ad confabulandum. Harum altera correpto qui forte patulus adiacebat libello vidit succinctè in eo vitam, gesta, obitumque Virginis Rosæ contineri. Cœpit ergo per otium lectitare auscultante altera; sed huic ferè euenit quod olim duobus aulicis vitam Sancti Antonij Abbatis fortuita curiositate legentibus: nam dum altera quasi fallendo tempori lectitabat, hæc velut subiectis cœlestium flammarum tædis succendebatur, sentiebat tam inusitatis at planè Diuinis ardoribus paulatim se imparem fieri, dissimulauit tamen, ne pretiosæ lectionis ignitam dulcedinem intempestiuè abrumperet. Succreuit interim flamma charitatis, nec celari vlteriùs potuit arcanum incendium, exclamauit mulier, haud assueta sic in Deo liquefieri & bullire. Mirantur ambæ, in roseis illis breuium pagellarum foliolis tantum latuisse ignitabulum, sed Rosam meritò dici *Lampadem amoris* non sat intellexit qui primus dixit Philostratus.

Lectio vitæ B. Rosæ mirificè inflammat.

Rosa lāpas amoris.

VIII. P. Ioannes de Villalobos è Societate Iesu, Rector Limani Tyrocinij seu Domus Nouitiorum vir in ascetica palœstra exercitatissimus de semetipso hæc recensuit eidem Iudicum Tribunali: se Rosæ vltimos spiritus trahenti adfuisse prope mortem, eaque occasione clam petijsse à moribunda, confestim vbi ad Sponsi cœlestem thalamum pertigisset, satageret impetrare sibi à Numine gratuitum illud ac singulare donum quod ipse tunc mente voluebat. Spopondit intrepidè agonizans Virgo, ac paulò post quàm exspirasset comperi (: inquit) manifestis indicijs, spiritui meo donum illud ob Rosæ in cœlis interuentum fuisse mirabiliter impertitum.

Ioannes de Villalobos.

Sensit sibi datum arcanū illud quod Rosa in agone promiserat.

At Quæstor Gundisaluus sacramento affirmat, sibi fassos esse cōplures tum seculares tū Regulares quibus rogata Virgo idem in agone promiserat, statim ab eius felici trāsitu se ex superno Sancti Spiritus myrothecio sensisse arcanas cordis sui vnctiones, supernorū luminum stricturas insolitas, noui nominis calculos candidos, quos (: vt monemur Apoc. 2. v. 17.) nemo scit nisi qui accipit. Nimirum apophoreta hæc erant quæ Rosa promiserat, dum moriens

Similia in se experti alij.

ad

ad solemne conuiuium se dixerat euocari. Confirmat ista (: sed breuiter) laudatus supra P. Antonius de la Vega Societ. Iesu, alijque. Sed ad emollitiones cordium obstinatorum Rosa mediatrice factas reuertamur.

IX. Francisco & Alexandro de Coloma germanis fratribus matertera erat Maria de Xuara mulier prędiues & opulenta, sed animo in consobrinos implacabiliter auerso & obstinato. Alebat idem Franciscus suis impendijs Limę sex consobrinas, & duos consobrinos, sed neque illarum nec horum vlli afficiebatur pertinax fœmina, adeo vt neque dignaretur alloquio: quinimò vbi testamentum suum condidit, perquàm studiosè cauit, ne quid vlli prędictorum (: tametsi posteriores octo notoriè indigerent) de suis facultatibus legaret, sed ne meminisset quidem. Accidit demum Francisco & Alexandro necessitas aliò tātisper proficiscendi relictis interim Limę tot inopibus cōsobrinis. Hìc Franciscus suis orphanis acerbè condolens, & quò se verteret ignorans, Rosam vnicam suę perplexitatis Ariadnam implorauit, inuenit; ipsa videlicet proxima ante discessum nocte Virgini (: cuius effigiem coram habebat) totam miserabilium ærumnam anxiè commendans obsecrabat, suo apud Omnipotentem cordium domitorem interuentu emolliret saxeam illius auersi cordis duritiem, sanguinis ac humanitatis sensum obstipæ materteræ inderet, innocentibus ac pauperiei lubricitate periclitaturis succurreret. Mira res: postridie summo manè Franciscum matertera accersit, quem toto xviij. annorum spatio videre noluerat, venienti exposuit noctem se duxisse inquietissimam, tristem, insomnem, iugiter sibi ante oculos obseruante suorum consobrinorum desolatione; quos considerarat omni humana ope tam indigos quàm destitutos: itaque domum quantocyus repeteret, totam horum calamitosorum cateruam in conspectum suum adduceret, velle se omnes amplecti ex ordine, domique suę honestè alere.

Maria de Xuara suis cōsanguineis durissima

Inuocatur Rosæ robustum auxilium

Callosa 18. annorum obstinatio repente emollitur.

X. Insuper Francisco iniunxit, vnà publicum Notarium aduocaret, aliud se coram eo testamentum rescisso priori conditurā. Franciscus tot simul gaudia non capiens, inque matertera matrem Rosam tacitè deuenerans paruit

In fauorē pupillorū mutatur testamentum.

festinus & lubens, cateruam miserabilem adduxit, hic itum in oscula, in dulces lachrymas, in teneros amplexus, recipiuntur in domesticum contubernium octo inopes, mutatur è vestigio inofficiosum testamentum, consobrinæ cum consobrinis totius opulentiæ scribuntur ex asse hæredes; ipsi denique Francisco (: nam ordine presbyter erat) Capellaniæ titulo 140. Patacones (: quos vocant) in annuũ redditum assignantur certis ædibus trãscriptis in hypothecam. Rosis ad corda subigenda, mulcenda, concilianda vim philtri inesse obscurè innuit Dioscorides, clariùs ostendit Rosa nostra Limana.

Vis philtri solet inesse rosis.

XI. Ludouica Barba nil minùs versabat animo quàm candidum S. P. Dominici assumere habitum. Eius confessario Rosa dum vixit, aliquando prædixerat certòque asseuerarat, Ludouicam omnino illomet habitu fore amiciendam, imò hunc ardentissimè ambituram. Hoc vbi Ludouicæ ex ore sui Confessarij innotuit, cœpit vaticinij euentum anxia metuere, habitum ipsum cordicitus abhorrere: imò si qua eminus illius suscipiendi aut prætervolaret mentio aut illaberetur cogitatio, velut ad Medusæ conspectum obrigescebat pauida, repugnabat animo, cor obdurabat. Interim Rosa clausit extremum diem, & quasi mors vatis mors esset vaticinij, cœpit Ludouica euacuare inutilem metum, secura numquam suæ menti incidere posse huiuscemodi propositum, faciliùs Poëtarum fabulosas metamorphoses quàm talem obfirmati sui cordis mutationem reipsa euenturam.

Ludouica Barba obluctatur frustra Rosæ de se vaticinio.

Obfirmat animũ cõtra amplexũ status religiosi.

XII. At fefellit mulierem ipsa resistendi fiducia ac pertinaciæ certitudo: ecce enim subitò à morte Virginis elanguit illud contumaciæ robur, euanuit annosus horror, patuit vltrò cordis ianua cœlesti inspirationi. Exclamauit cum Paulo, *Domine quid me vis facere?* Inde Rosæ sepulchrum adijt, Virgini causam supplex commendauit, obtineret sibi à Sponso salubrem electionem illius status qui maximè ipsam aptaret Diuinis obsequijs, promoueret in via æternæ salutis. Nec mora, exaudiuit Ludouicam Rosa, Rosam Deus, ac repentè illius cordi impluit ignitum at peregrinum desiderium sacri habitus Dominicani. Æstuauit repentè mulier, bullijt, arsit illo

Exarmatur mulieris pertinacia.

Exambit habitum Sororum S. Dominici.

affe-

affectu quem semper fugerat, & si vmquam timuerat de eo vel leuiter cogitare, grauiùs nunc timebat pij propositi exequendi opportunitatem sibi aut elabi aut retardari. Discruciabatur suspicioso angore, quasi non posset appropinquare felix hora, quæ ipsam voti compotem efficeret. Igitur Confessario suo eminus conspecto festina accurrit, cor effudit, multisque lachrymis obtinuit accelerari gratiam, qua confestim adhuc illa met die in numerum Sororum Tertiariarum adlegeretur, assumpto nomine *Ludouicæ de S. Maria*. Porro vt primùm in candido S. P. sui Dominici habitu se circumspexit, solatijs ex alto copiosis tota permaduit, nec sufficiebat explicare animi sui contentissimã voluptatem, hoc vnum dolens, quòd tantæ felicitati diu obstiterat corde pauido & obstinato.

Suo potitur voto, mutatq; agnomẽ.

XIII. Ludouica de Mendoza coniux Alphonsi Gonzalez de Sancto Martino paulò post Sanctæ Virginis obitum videns eamdem populariter tot encomijs celebrari, incredula, seu pro fœminea resistendi dulcedine seu pij affectus contumaci algore fidem sanctitatis eius concipere aut nequibat aut nolebat. Quantulum enim (: cogitabat) perfectionis gradum spatio vitæ tam exiguæ assequi potuit fragilis puella annum ætatis trigesimum primum vix nuper egressa? vnde Rosæ inter plebeios natæ & educatæ, manuum suarum labore sustentatæ, in seculari domo domesticè moratæ ac mortuæ tantarũ virtutum schola patuit, aut scala tam sublimium contemplationum in promptu fuit? clament miracula, & Ludouica dubitabat, acclament populi, magis ipsa obsurdescebat: ergo quæ ita cor suum ne crederet obloricarat, validiori pulsanda fuit ariete vt se dederet. Repentino angore correpta est vt manibus pedibusque se putarit demutilatam; neque id satis, grauiorem sensit in suo spiritu procellam, caligo, pauor, tempestas mentem obsederant, cor turbatum quodã velut terræ motu succutiebatur. Hìc demum illa euidenter agnoscens ab vnica sua pertinaci incredulitate hos esse paroxysmos, subitò manus dedit, duritiem posuit, animoque trepidè in Deum eleuato supplex protestata est, se credere, se corde toto fateri, quòd Rosa verè Sancta sit. Et en repentè conquieuit horrida commotio, siluit tem-

Ludouica de Mendoza refragatur sanctitati Rosæ.

Cœlitus horrore cõcutitur vt sanetur

Ista sapit, ac Rosam Sanctã esse fatetur.

tempestas, redijt serena tranquillitas. Sic pro Sponsæ honore zelabat ille Sponsus cui venti & mare obediunt. Verùm à spiritualibus ad corporalia Beneficia tandem hìc descendendum.

CAPVT III.

Rosæ defunctæ attactu, odore, veneratione, mors, morbi, pericula depelluntur.

Tota Rosæ vita continuũ miraculũ.

I. TAmetsi P. Antonius de la Vega Loaysa Soc. Iesu in suis facundissimis Responsis disertè ac sæpiùs monuerit deputatos Iudices, totam Rosæ vitam à primis incunabulis vsque ad extremum halitum continui perpetuique *Miraculi* loco censendam atque habendam esse, attamen visum ipsis progredi ad specialiora, quæque micuere post eius vitam in beneficio alieno.

Semestris filiola ad vitam reuocatur.

II. Primum in his meritò sibi deposcit locum resuscitatio mortuæ filiolæ semestris, Magdalenæ de Torres. Huic pater erat Gregorius de Torres agricola, mater Ioãna Michaela, ambo victitantes opere rustico in suburbanis Limæ ad viam *Melambò*. Hi dum anno 1627. mense Octobri prope Vrbem rusticabantur in prædio Balthasaris de la Cona, ibidem febris cnm diarrhæa tenellam filiolam inuasit demum & extinxit inter materna brachia. Nil profuerant adhibita pro illius ætatis captu remedia, nil matris solicitudo & lachrymę, charæ prolis animulam mors delibauit in vlnis afflictæ genitricis. Iacuit ab illo vespere vsque in claram posteræ diei lucem exanime corpusculum, sine calore, sine motu. Iam ad effodiendum tantillo cadaueri sepulchrum paratus adstabat sarculus, comportabantur flosculi nectendi in modicam corollam. Sed mater ipso noctis illius conticinio memor aliquid penes se esse reliquiarum quę Rosam attigerant, inopię suę scriniola ex-

la ex-

la excussit, particulam vestis cum ramusculo Ginestæ (: cui Virgo olim indormierat) inuenit: cum his properauit ad algidum cadauer, cœpitque longis & anxijs precibus Rosam inuocare in auxilium, denique fide iam robustior ac velut Rosæ viuificos è reliquijs odores prolicitura, patellæ carbones, his ramusculum & alterius particulæ aliquot filamenta imposuit, mox defunctam filiolam suffumigauit. Fumo viui occludunt oculos, mortua aperuit, nam ecce illo momento quo suffitus infantem attigit, hæc reuixit; & diductis ocellis quos dolens mater pridie occluserat, lætam respexit. Interfuere spectaculo infantis pater, soror, aliusque iuuenis, qui iunctim in genua prouoluti, suoque gaudio ac stupori impares sublatis in cœlum vocibus laudarunt Dominum in sua Rosa tam odorifera. Interim paruula Magdalena pauxillo aquæ, cui mater puluerem sepulchri B. Rosæ insperserat, auidè epoto sana consedit vbi supina iacuerat, nec præteritæ infirmitatis vllum in ea superfuit vestigium.

Reliquiæ vestium B. Rosæ.

Suffumigata his puella reuiuiscit.

Præsentes miraculi testes.

III. Anno 1631. Antonius Bran mancipium Dominę Ioannæ Barretæ decumbebat ex febribus & angore pectoris, iamque per tres menses & ampliùs morbi contumacia variorum medicamentorum vim omnem eluserat, ac parum spei residuum erat. Obseruabatur ab vxore & consobrino, qui dum noctu circa infirmum excubabant, repentè notarunt ambo Antonium iacere sine motu, sine respiratione vlloque vel minimo signo vitali: inuocabant ægrum ex nomine proprio, vellicabant, pulsabant, sed nonnisi responsa mortis extundebant à corpore iam gelido. Vxor horrore ac mœrore grauis cucurrit ad heram, & cum eiulatu breuissimè indicauit maritum suum efflasse animam. Exterrita Domina lecto exsilijt (: nam iustè media nox erat) cumque D. Ludouica Baretta sorore sua germana ad Antonij cubile properauit, illic Antonij consobrinus ad caput lectuli plangebat mortuum, & intrantibus fœminis mœsta voce occurrit: nolite (inquiens) vos incommodare, iam enim Antonius noster spiritum reddidit Creatori. Accedit propiùs Ioanna, explorat, tangit, occlamat, sed vt extensum, frigidum rigidum inuenit, velut suæ iacturæ sat certa sorori dixit: *iam & hunc mihi*

Antonius Bran.

Sine halitu vitæq; indicio.

Accersitur hera cum Sorore germana.

Iudicant omnes expiraſſe Antoniũ.

seruum

seruum tam vtilem & necessarium Deus abstulit, sit nomen eius benedictum.

IV. Inde conuersa ad caput lectuli vidit appensam Venerabilis Rosæ chartaceam imaginem ex ijs quæ Romę Superiorum permissu excusæ & in Indias delatæ fuerant. Hinc ingenti concepta fiducia cœpit inuocare Rosam sonoris vocibus, ac liberè flagitare resuscitationem sui mancipij. Mox correptam imaginem reuerenter pectori iacentis imposuit, cumque tribus reliquis ibidem tristi silentio euentum exspectauit. Sic horæ dimidium tacitis circa lectulum votis exactum est, cum ecce Antonius, qui integro duarum horarum spatio algidus, pallidus, immobilis iacuerat, alto cum suspirio (: quale admodum lassorum esse solet) oculos aperuit, circumspexit, ac miratus heram illo noctis incommodo tempore sibi adstantem, interrogauit quid rei ageretur? mox percepto quid acciderat, animatus consedit in lectulo, nec solùm incolumem, sed & sanum se vegetumque sensit, nec febris deinceps redijt: attamen vrgentibus quæ aderant fœminis medicinam ante pręparatam tametsi iam superfluam sumpsit, quieuit, ac post biduum lecto doloris valedicens Rosæ sepulchrum adijt, totumque ibi diem in gratiarum actione transegit.

Rosę imago chartacea pectori cubātis imponitur.

Suspirat, respirat, circũspicit qui mortuus credebatur.

Adit sepulchrum Rosæ.

V. Elyzabeth Duran vidua Iacobi Carlos à multo tempore siccum & inutile brachium gestabat fascijs obuolutum, cuius non solo inerti pondere sed & iugi dolore vexabatur. Vt ergo audiuit, Rosæ virgineum corpusculum in Æde FF. Prædicatorum feretro impositum parari ad sepulturam, plena fide, ac duabus stipata filiabus eò properauit vt potuit, circumfusæ multitudini vltro se inuoluit, si quo modo ad tumulum Virginis penetraret: peruenit, filiabus alijsque viam aperientibus, ijsdem auxilijs ægrè in tumuli gradus eluctata brachium vultui Rosæ bis terue applicuit, mox eodem temporis puncto exclamauit: *euge brachium meum sanatum est, reuixit brachium meum.* Vtque miraculo fidem faceret, lacertum tum quaquauersus iactauit expeditè, viuidè, & celeriter, spectante ac plaudente confertissimo populo. At præ omnibus vehementiùs obstupuit Melchior de Amusgo Medicus, qui in turba

Elyzabet Duran arido grauatur brachio.

Attactu sacri Cadaueris sanatur brachium.

turba fortuitus aderat, multoque tempore diuersas sed frustraneas mulieris brachio medelas applicuerat, fassus illud humanitus curari non potuisse. Porro Elyzabeth successu læta exinde per complures annos palam visa est brachio suo vti ad quæuis officia, quasi numquam languisset. Miraculum illud inibi tot habuit testes quot Rosa tunc in suo feretro spectatores.

Miratur præ ceteris Medicus.

VI. Licentiati Didaci Ayala seruus Æthiops(: nomen expressum nusquam reperi) dextri brachij manusque vsum ex plica & neruorum attractione dudum perdiderat; audita fama defunctæ Virginis ad Ecclesiam Sancti Dominici cum alijs contendit, Rosæ precibus se commendauit, statimque in signum obtentæ sanitatis brachium altè sublatum & exporrectum toto templo circumtulit reiectis vetustis pannorum inuolucris; spectabat vniuersus populus, & dum hinc vna vox omnium erumpit in publicas Dei laudes, dum inde mixti consurgunt gratulantium clamores, nonnulli qui seruum familiariùs nouerant, manum eius festiuè arreptam deosculati sunt coram turba, piaque curiositate lustrabant vetusta signa, vbi attractio manum Æthiopis cum brachio in plicas tenacissimè quondam curuauerat.

Miraculum simile in mancipio æthiope.

VII. Verùm à dextro ad brachium sinistrum. Presbyter Georgius de Aranda Valdiuia ante Clericatum in bellis Chilensibus contra Infideles complura sinistro brachio exceperat vulnera, quæ deinde malè curata paulatim saniem, conuulsiones, tumores attraxerant, vt iam præ inflatione brachium neque extendi potuerit nec plicari. Vsque in digitos proserpserat molestissimus tumor, vt afflictissimus Sacerdos in Missa nec Diuinam hostiam commodè satis tractare, nec sine alterius brachij suffulcimento alterum potuerit eleuare. Igitur ipso die quo Rosa sepulta fuit, sub vesperam à Religioso germano fratre adiutus irrepsit in ædem Capitularem, orauit ad sepulchrum, Virginis implorauit opem, subitòque obtinuit: nam repentè frigido sudore madidus, dum successiuè digitos, manum, brachium motu lenissimo pertentat, omnia sana, vegeta, flexilia reperit. Mox religione ac lætitia tremulus in Ecclesiam (: vbi tunc fortè P. F. Christophorus

Georgius de Aranda vulneratus in bello Chilensi.

Vsũ brachij sinistri ferè totum perdiderat.

Curatur ad sepulchrũ Virginis.

phorus de Azeuedo Prior Panamensis cum plurimis secularibus substiterat) se proripuit, ibique coram Altari SS. Rosarij elatis vocibus in gratiarū actionem procubuit. Accurrunt spectaculo qui propiores aderant, atque inter hos Bartholomæus de Toro Regius tabellio. Nec multùm rogari se passus Georgius, coram his (: & plerisque notissimus pridem erat tum ipse tum brachij sui stupor) fideliter totam rei seriem exposuit: simul rogati Notarius & testes priusquàm aliquid in tabulas referretur, miraculum penitissimè explorarunt: iusserunt Georgium in pedes se erigere, inspexere brachium omni tumore liberum, quod presbyter sursum, deorsum, dextrorsum, læuorsum & in omne latus pari qua dextrum agilitate rotabat sine dolore, manum aperiebat claudebatque promptissimè, digitos stringebat, diducebat, motitabat celerrimè, nec quoad vixit, in his vllum pristini languoris vestigium notauit.

Rem promulgat accurrentibus.

Notarius & testes miraculū diligēter explorant

VIII. Alphonsus Diaz mendicus toti Limæ tunc notissimus humili nixus fulcro, manumque & pedem ex attractione inutiles per solum trahens non gradiebatur sed serpebat humi, stipem per domos flebiliter quærens. Hic ipsa die qua Rosam sepulturæ fossa operuerat, ad Ædem S. Dominici anhelus venit, in ea aliquamdiu amarissimè lachrymatus ac de loco sepulturæ sciscitans, demum vt potuit in aulam Capituli prorepsit, Rosæ sepulchro pronus incubuit, per horam sic orauit, gemuit, fleuit, denique sudauit, ignarus se iam curatum esse. Superuenit is cui cura erat Virginis sepulchrum latere coctili obtegere: iubet Alphonsum loco abscedere, negat iste se posse, contendunt ambo, sed prior ille integris viribus Alphonso robustior hominem circumplectitur, & repugnantem abstrahit, sensimque at molliter in pedes erigit. Hìc primùm sensit Alphonsus se curatum esse, nihilominùs ob longam standi desuetudinem proximo parieti acclinis breuiterque miratus seipsum erectum ac sine fulcro, simul in clamores simul in lachrymas erupit, iubilans atque vociferans: *Benedictus Deus, valeo, sanus sum, quod à quatuor annis circiter numquam potui nunc possum, meis insisto talis, plantas, quæ terram nosse desueuerant, humi nunc figo laudetur*

Alphonsus Diaz cōtractus membra per terrā trahit.

Incumbit Rosæ tumulo, orat, sudat, curatur.

Ignarus se curatū, vi erigitur in pedes.

Erumpit sonorus in gratiarū actiones.

Domi-

Dominus in Sanctis suis. Interim toto corpore sudabat adhuc, & quia sub plantis pro callo mollior caro succreuerat, terram passibus nonnihil suspensis calcabat: idque alij infirmitatem rati euntem subiectis brachijs iuuare nitebantur. Renuit ille, protestans, se iam sibi abundè sufficere. Fit concursus, & inter plaudentium hymnos Alphonsus in Ecclesiam reducitur spectandus ab omnibus. Processit grauiter, qui numquam aut festiuior aut spectabilior ambularat.

IX. Dum Rosæ cadauer prostabat in tumulo, adrepsit puer Æthiops duodenni maior, ac de attractorum pedum vitio quàm de nomine per vrbem notior; dumque sub feretri tabulato orat, (: siquidem nec palmum à terra se erigere, nec ad sacri corpusculi attactum in gradus potuerat eluctari) repentè prodijt alacer, erectus in pedes, quos ante nonnisi reptans miserrimè per terram traxerat, dum ne quidem grallis vti, sed dimidio corpore dumtaxat solum verrere licebat. Exsilijt deinde sanus, medijsque se turbis fidenter immiscuit, Rosam identidem suam liberatricem altis vocibus inclamans. Inde per octiduum visus est quotidie adire sepulchrum Virginis, ad gratias palam & ex debito persoluendas.

Simile beneficiũ experitur puer æthiops.

X. Huius exemplo alius puer itidem Æthiops simillimaque pedum inualetudine calamitosus (: nisi quòd grallis vtcumque se librabat à terra, non tamen à parietum subsidio) post humatum Rosæ funus accessit, iuxta fossam in angulum Capitularis aulæ se proiecit, orauit, & vltra duarum horarum spatium ibidem supplex accubuit; tandem in conspectu multitudinis quæ aderat, lentè se erexit, vociferans: *Sanus sum, videor mihi posse incedere, sentio tibias meas carere impedimento, quinimò in cursum pruriunt*. Respondit quidam ex vicinioribus: si ita est surge in pedes, ambula, & obtentę gratiæ fidem facito. Nec mora, neglectis grallis surrexit puer, stetit, ambulauit, neque præ lætitia seipsum capiens subsilijt, tripudiauit denique turbam densissimam rogauit, tantisper in partem secederet, sibique spatium currendi daret. Obtinuit, ac susque deque per aulam ceu leuis caprea cucurrit. Vix suis credidere oculis qui puerum ante nouerant, attollun-

Itẽ alius grallis incedens.

Sentit vsũ vtriuq; pedis sibi restitui.

Stat, ambulat subsilit, currendi spatiũ poscit

luntur in ſublime voces laudantium Deum, accurrunt Religioſi, abducunt puerum in Eccleſiam, totoque perſonant templo canoræ gratiarum actiones.

Puer Frã-ciſcus Fernandez.

XI. Ioannæ de Caſtillo Viduæ filiolus erat bimus Frãciſcus Fernandez de Sigura, catalepticis palpitationibus ab anno integro frequenter ac periculosè diuexatus. Caſſa & irrita fuere humana remedia, donec recurſum fuit ad Roſam tunc recèns tumulatam. Huc igitur afflicta mater paruulum ſuum detulit, ad ſepulchrum ſtitit, orauit. Filiolus interim vltro ſe ſepulchro inſtrauit ore prono, ibidem mox hilareſcere cępit, cumque poſt ſeſquihoram interrogaretur à matre, num iacendo laſſus erigi vellet ac abduci, petijt adhuc pauliſper ibi relinqui. Demum ſurrexit ſponte, ſanitatis indicijs lætus, neque ex eo tempore vſque ad ætatis ſuæ annum 17. (: quo vnà cum Matre hæc apud Iudices Apoſtolicos teſtificatus eſt) hac aut alia quacumque infirmitate impetitus fuit.

Cordis palpitatione penitus liberatur.

PetrusTamayo infans herniosus.

XII. Rufina Braua filiolum genuerat Petrum Tamayo : vix quintum-decimum à natiuitate diem infans attigerat cum deprehenſus eſt hernia miſerabiliter laborare. Magis in dies laxabatur lacerum peritonæum, propendebant viſcera, nec niſi magno labore atque periculo retrudebantur introrſum mox iterum proditura. Vagiebat continuò paruulus tanto dolori impar, ac ſæpè toto triduo nauſeabundus vbera nutricis omnino reſpuebat. Biennium ferè applicandis remedijs inſumptum eſt magno impendio, profectu nullo. Denique biduò poſtquàm Roſam vita functam terra exceperat, ad illius ſepulchrum delatus ferè per duas horas quietus inſedit, dum Mater cum cognatis fœminis in Templo hæſit Deo & Virgini Roſæ ſobolem commendans. Redditus Matri filiolus occluſo reticulo viſceribuſque repoſitis inuentus eſt ſine hernia, ſolùm in beneficij memoriam conſpicua remanſerat cicatrix, quæ tamen etiam firmabat reparati peritonæi integritatem ne ampliùs rumpi poſſet.

Curatur. Manet cicatrix in beneficij monumẽtũ, & munimentũ.

XIII. Petro de Vega grauiter à quatuor menſibus filiola quinquennis decumbebat ex febribus, neque mitiùs deuenuſtabat paruulam aſperrima quædam moroſæ indolis conditio cum annis in vitium periculosè adultura.

Hanc

Hanc febrientem parentes anxij detulere ad tabulatum vt Rosæ nondum sepultæ virgineum cadauer attingeret: attigit, statimque pulso febriii paroxysmo coram omnibus conualuit, nec relata domum nouis morbi accessibus tentata fuit: quin & illa congenita indolis asperitas eodem simul correcta miraculo in summam transijt mansuetudinem & suauitatem.

Quinquenis filiolæ abigitur febris, corrigitur indoles.

XIV. Videbatur his prodigijs Rosa clamare de tumulo: *sinite paruulos venire ad me*. Veniebant vtique, ac certatim porrigebantur de manu in manum vt ad salutiferum Rosæ contactum infirma pertingeret pupulorum innocentia, cum salute ad suos reportanda. Inter hos Franciscus Cardoso nouem mensium tenellus infans continua febrium vicissitudine à tribus mensibus nunc rigens nunc æstuans, subitò vt sacro cadaueri admotus fuit, planctum simul & febrim posuit mirante populo. Neque id solùm, sed & postridie Æthiopissæ ancillæ vlnis implicitus infans nutu gestuque indicauit velle se in terram deponi: vix plantulis humum attigerat, cum cœpit ambulare solus per atrium, neque ab illo die indiguit ope aut vlnis baiulæ. Nimirum tantas pridie vires adhalauerat Rosa puerulo tam diuturnis febribus cocto & medullitùs exhausto. Certè ex ore infantium & lactentium perfecit sibi laudem. Ad adultos reuertamur.

Frãciscus Cardoso à febri liberatur.

Nono ætatis mẽse ambulat sine gerulæ ope.

XV. Anno ante Rosæ obitum Petrus de Vega lapsu præcipiti ac graui luxarat iuncturam ossis in scapula, simulque exinde vsum brachij ex ea parte amiserat, nec nisi ad dolorem & onus lacertum sibi superesse iugiter querebatur. Demum nocte quadam recordatus, sibi in domo esse Rosarium, quod paulò ante in feretro exanime Rosæ corpus attigerat, illud vbi acutior doloris sensus erat deuotè applicuit. Illico cessauit cruciatus, quietè obdormijt Petrus, ac manè euigilans aduertit inutili brachio redijsse vires, quæ nullo alio adhibito remedio sic creuere, vt intra dies paucissimos perfectè conualuerit, nullumque inter sinistri ac dextri brachij agilitatem senserit residuũ discrimen. Eumdem Petrum alia vice inuaserat ischiadum atrox tormentum, ac simul dolorifica inflatione tumuerat altera tibiarum: Pressus his malis nec cibum sumere nec som-

Patri de Vega humerus graui lapsu dissolutus Miraculo remissus. Et brachium conualescit.

Abigitur ischiadũ dolor & pedis inflatio.

ſomnum capere infelix potuit. Tandem Roſæ & Roſarioli ſui memor loca dolorum offricuit, quieuit, poſteroque diluculo expergiſcens vndequaque ſe ſanum inuenit, tibiæ verò moleſtus tumor ita deſederat, vt iuraſſes hanc numquam tumuiſſe.

Helena ſeptennis lūbricorū fluxu exhauſta, XVI. Helenam Æthiopiſſam Ioannis Merini mancipium continua & copioſa ſubnaſcentium lumbricorum (quos vocant *de Guinea*) ſcaturigo ſeptenni fluxu ita viribus, egeſto cruore exeſis viſceribus exhauſerat, vt actum de illius vita omnino putaretur, maximè quatriduo ante Roſæ obitum, quando tot morbis ardentiſſima febris & (mortale ſignum) inflatio talorum ac tibiarum acceſſerant. addita febri de vita deſperat. Toto ſeptennio omnifaria tentata fuere medicamina, ſed hæc morbum irritando noua in dies pernicie non ægram ſed ipſam ægritudinem adiuuabant. Denique hera vtiliſſimi mancipij iacturam non ferens Helenæ ſuaſit ac perſuaſit, ad Roſæ biduum ante ſepultæ monumentum *Nouenam* exigeret; ita nouendialem cum certis precibus ſtationem vulgò appellant. Ad Roſæ tumulum Nouenā inchoat. Infirma vitæ ac valetudinis percupida maiori animo quàm viribus aggreſſa eſt opus, at quarto mox die ſe perficiundo imparem proteſtata eſt: nam diuturno laſſata morbo, exanguis cruentis & crebris egeſtionibus, peruſta febri, deſtituta anhelitu, pedibus tumidis adire ſe poſſe reliquis diebus Roſæ ſepulchrum omnino diffiderat. Nihilominùs hinc ſpe inde hera animante reſumpſit ſpiritum, ac reſiduis diebus acceſſum quamquam difficillimum continuauit modo quo potuit, nullo interim conualeſcentiæ ſigno vel eminus comparente, quin potiùs maiorem in dies lumbricorum vim effundebat cum ſanguine. Donec tandem vltima nonæ diei ſtatio ad Roſæ ſepulchrum in momento ſimul vniuerſam tot morborum cacochimiam funditus abſterſit. Vltimo die perfectè ſanatur. Redijt domum Helena planè altera, nempe lumbricis ad vnum vacua, pedibus ſana, febrium ignara, ſanguine, vigore, corpulentia mirabiliter inſtaurata, nulliuſque deinceps ex his ſymptomatis conſcia valetudinem poſſedit integram ac diuturnam.

Adoleſcens febri quartana preſſus. XVII. Nauigabat cum P.F. Dominico de Leon Ord. Præd. famulus & comes itineris Ioannes annorum 14, adoeſcens,

lescens, oppressus quartana febri, quam ipsa deinde maritima iactatio periculosiùs accenderat, vt die quadam paroxysmi violentia animam puero extudisse crederetur: nam subito clamore Dominicus ex superiori nauis tabulato deorsum vocatus vt moribundo suo famulo adsisteret, dum in opertum nauigij sinum descendit, obuium habuit virum coniugatum Franciscum Flores, qui Ioannem iam exspirasse asseuerabat. Perrexit tamen solicitus Pater, at famulum sine loquela, colore, spiritu supinum & immobilem reperit, dubius num viueret, pluries vtramque iacentis auriculam validis clamoribus tentauit, ac frustra se vitalia signa expectare videns ad Rosæ consugit præsidium, vitam puero supplex petijt, Nouenam promisit: & ecce illo momento respirauit Ioannes, resedit, cibum sumpsit, attonitis qui spectaculo interuenere viris religiosis P. Agnello de Oliua Soc. Iesu, P. F. Laurentio de Texeda Ord. S. Francisci, & secularibus vtriusque sexus non paucis. Stupuere quotquot in naui erant, præsertim vt viderunt paulò post comparentem in superiori tabulato sanum, incolumem ac sine humano remedio integræ valetudini restitutum.

Iacet exanimi simi lis.

Post imploratam pro eo Rosam subitò respirat, valet.

XVIII. Beatrix Gaues continuo quadriennio vexabatur molestissimi humoris iugi stillicidio, idque remedijs peius irritatum spem curationis sustulerat. Ergo inops consilij penetrauit cum reliqua turba in ædes Quæstoris Gundisalui, vbi tunc Rosa prostabat in feretro iam-iam efferenda; illic se Virgini toto cordis affectu commendauit, loculum tetigit, domum sana redijt, nec vnquam deinceps ea defluxione se sensit infestari.

Beatricis Gaues incurabile stillicidiũ

Tactu feretri mox curatur.

XIX. Anno post Rosæ felicem transitum Fr. Ioannes Miguel Ord. Prædicatorum causa Oeconomiæ ac negotiorum obequitabat vallem *de Xauxa*, sed transeuntem iuxta pascua vaccarum circa locum *Verastiguì* improuisò erumpens Taurus ferociter insecutus est. Extimuit, adactisque calcaribus fugam inijt Ioannes magnis vocibus periculum suum Deo & B. Rosæ commendans; at Taurus velocior iam prope aderat, nec vltra quindecim passus distabat ab homine. Perditus erat ni Rosam denuo & multò ardentiùs inuocasset. Mira res, ad Rosæ nomen immanis

Ioannem Miguel ferox Taurus insequitur,

Ad inuocationem Rosæ repente sistitur.

nis bellua ceu fulmine retroacta substitit, Ioannem lassitudine ac pauore exanimem toruè intuens, nec loco se mouit, donec is procul abijsset.

XX. Eidem aliud sed lepidius accidit in amne qui locum *Misque* præterlabitur & piscibus (: maximè autem Bocis seu candidioribus mœnis) abundat. Huc ille cum socio religioso Fr. Hieronymo Iambrano alioque Indo piscatum ierat. Iaciebant pariter sua retia Hieronymus & Indus, atque hic prædam aliquam traxit, ille vacuo reti adfremuit. Hortabatur Ioannes vt iterum iaceret, & ad singulos iactus elata voce eya inquiebat *in nomine benedictæ Rosæ cadat feliciter*. Parebat Hieronymus sed non pisces, siquidem plùs quàm duodecies iacto reti nullum prendidit. Hìc Ioannes id quod erat suspicans, *obsecro* (: ait) *mi Hieronyme dic liberè, nonne cor tuum hæsitat incredulum circa sanctitatem Virginis Rosæ?* affirmauit ille, substomachans tot certos extare Cœlites quorum nomini vtiliùs dicari potuissent hi iactus, nec ad incerta nomina fuisse confugiendum. At Ioannes replicuit: *Tu verò mi frater de sanctitate Rosæ fidem indubiam fac concipias, sicque in eius nomine iterum at seriò rete immerge, & mira conspicies*, fecit, iecit, ac subitò Bocarum & *Armadillorum* tantam vim traxit, vt pondus impleti retis vix potuerit sustinere.

Rosæ sanctitatem incredulo probat copiosa piscatio.

XXI. Liceat hinc breuissimè diuertere ad piscationem hominum. Anno 1630 intra Limense Sanctæ Claræ Monasterium ancillabatur Christina Angela, inuitum mancipium. Contigit, huic ad fugam patuisse fortuitò posticum cœnobij, quo ceu elapsus nassa pisciculus tacitè se proripuit, & foris in Vrbe se occultauit. Raphaela de Esquiuel monialis tunc ianitricis munere fungebatur, quæ fugæ istius damnum, offendiculum, dedecus vnico simul confuso metu complexa, cum post plurium dierum quæstionem profuga nusquā reperiretur, ad Rosæ opem confugit, suamque illi commendans angustiam, Monasterio perditum mancipium restitui flagitauit. Porro eadem nocte Raphaela per soporem vidit Rosam candido amictu facieque præfulgida gloriosam dicentem sibi: crastino manè Christina recuperabitur. Monialis à gaudio pulcherri-

Mancipiū fuga elapsum recuperatur.

Illius reditū promittente Rosa.

mæ

mæ visionis euigilans, iterum(: concepta iam ingenti spe) Virgini rem deuotè commendauit, rursumque dormiuit. Manè facto ancilla circa horam quintam ante meridiem inuenta, reprehensa, reducta est.

XXII. Non minori quamquam dissimili Rosæ beneficio rem amissam germani fratres Alexander & Franciscus de Coloma recuperarunt. Quingentotum coronatorum censum annuum Guamangensi Sanctę Claræ Monasterio ritè persoluerant, ac de more apocham solutionis testem ab Oeconomo receperant. Post interuallum temporis illudmet debitum rursus exigitur, obtendunt solutionem germani fratres, quæritur apocha, sed nusquam apparet. Certus erat Franciscus illam se reposuisse in tali loculamento sui scrinioli, extimuit ne forsan inde aliena fraude sublecta disparuerit; itum reditum centies ad idem scriniolum, chartæ omnes sigillatim excussæ, protractæ, repositæ, aderant omnia præter apocham. Anxius itaque Franciscus breui oratione recurrit ad sibi notissima Rosæ præsidia, dehinc spe plenus Alexandrum rogat, noua vltimaque diligentia scriniolum oculis vndequaque peruadat: respondet iste, operam perdi. Instat alter; flagitans suo id saltim dari solatio vt iterum quærat. Quæsiuit obiter velut re desperata, & ecce in illomet loculamento vbi ambo toties quæsierant, supra reliquas scripturas in propatulo reperitur Apocha pulcherrimæ inscriptioni peregrinæ manus decenter inuoluta, non secus ac si illo momento clam ad scrinium fuisset relata. Sed reuertendum ad valetudinaria.

Amissa 500. Coronatorũ apocha.

Frustra perquiritur inscrinijs.

Inuenitur

XXIII. P. Fr. Didacus de Arrasia Ord. Prædicatorum è Panamensi ad Limanum Conuentum in summo æstu proficiscens ex mutatione climatis duplicem tertianam contraxerat, quæ ipsum per compendia breui stitit in mortis vestibulo, iubente Medico accelerari Sacramenta, maximè quia & venter infirmi ex nimio aquarum haustu altùm extumuerat, & quidquid medelæ seu ventri seu febri adhibebatur, morbum augebat. Itaque ægrum extremi periculi admonuit P. Magister Fr. Gabriel de Zarate tunc Prouincialis. Verùm Didacus occultè supplices ad Rosam preces, ad Deum vota conceperat, iamque altiùs spe

Didacus de Arrasia febri, & tumido ventre laborans.

Ad vltimum agonem disponitur:

ſalutis quàm aquis tumebat. Tentandum ſupererat vltimum ſubducendo ventri remedium ſed violentum & acre, cui perferendo Didacus ſe parem fore diffidens Roſam denuo ac inſtantiſſimè implorat. Et ecce omiſſo illo remedio detumuit venter, abſceſſit duorum menſium poſſeſſione radicata febris, & cum ſtupore omnium Didacus ad vota ſua implenda lætus exilijt.

Roſam implorat, curatur.

XXIV. Iſidora de Montaluo ætate grauis inſuper ab octo menſibus grauabatur febri continua & admodum violenta. Negabant Medici, vetulam tot annis onuſtam ac viribus effœtam per methodica remedia morbo liberari poſſe. Ergo ab ijs derelicta ad Roſam pro vita ac valetudine appellauit, & illo temporis puncto integerrimè conualuit, diuque incolumis ſuperuixit.

Grandæua febribus exuſta, à Medicis deſperata.

Ad Roſam appellat, liberatur.

XXV. Ioſepham de Torres torrebat toto corpore volaticus ignis ex putrido ſanguine febribus inflammato: ſurgebant vndique lucentes bullæ, triumque hebdomadarum ſpatio infirmam eò adduxerant, vt coram domeſticis ſine loquela ſine arteriarum pulſu iacens immobilis putaretur efflaſſe animam. Circumſtantes exterriti Roſam pariter implorarunt, obtineret Ioſephæ ſpatium quo ſaltim accito iam Sacerdoti poſſit ſua peccata confiteri. Verùm plus Roſa præſtitit quàm rogabatur: nam ſubitò ægra in ſe redijt, exomolegeſim ritè peregit, ac breui integram valetudinem recuperauit.

Ioſephæ de Torres mortale deliquiũ.

Confitetur & cõualeſcit.

XXVI. Mariam Indam puellam duodennem è Chilenſi Regno oriundam, ac Limæ in Monaſterio Incarnationis famulantem rigores, tormenta ſtomachi, demum & ſpaſmi, gutturis anguſtiæ, conuulſiones eò redegerant, vt nec cibo potuue refici, nec minimum quid potuerit deglutire. Deſperata à Medicis muniebatur vltimis morientium Sacramentis. Verùm ſub ipſa extrema inunctione à Presbytero & monialibus admonita fuit, Virgini Roſæ angorem fide ac affectu quo poſſet maximo commendaret. Paruit, ac ſine alio quocumque humano remedio cœpit ex illo momento conualeſcere, intraque pauculos dies ad conſueta ſui famulatus officia redijt.

Puella Inda morti proxima.

Sub extrema Vnctione Roſam inuocat, & vitam obtinet.

XXVII. Antonio de Vmbela operario annoſa paralyſis brachium manumque attraxerat, vt nullis vmquam reme-

remedijs potuerint explicari. Auditis quæ ad Rosæ sepulchrum quotidie coruscabant prodigijs, eò demum se contulit, brachium sepulchro imposuit, breuiter orauit, statimque manum diu clausam suauiter aperuit, mox & brachium explicuit, suæque artis exercitia sanus repetiuit.

Paraly. tici brachium reuiuiscit.

XXVIII. Mariam Sanchez nouennem fortuitus in terram lapsus ita afflixerat, vt exinde attractis tibijs, omnique erepto pedum vsu nec stare, nec sedere vsquam potuerit, quin continuò iacendum fuit in lectulo. Totum triennium frustra datum remedijs. Demum vterque parens Nouena ad Rosę sepulchrum promissa filiolam eò faciunt deportari ac virgineo monumento pronam insterni. Aduenìens nonus dies puellę salutem parentibus gaudium attulit, nam vt sepulchro de more incubuit, repentè sana in pedes se erexit, ambulauit, cucurrit ad patrem, qui manu apprehensam diu circumduxit per Claustrum, inde domum. Præcurrebat vltro filia, quasi numquam pedibus languisset.

Puellæ attractæ soluuntur crura ad liberum incessum.

XXIX. Maria Farfan triennis puella, dum anno 1617. indigestis cruditatibus periculosè oppilata curatur à Matre infusione argenti viui, (: quod alia fœmina suggesserat) inflatis mox tibijs gressum perdidit, adeò quòd ab vmbilico deorsum velut emortua solis manibus reptaret tractis per terram cruribus. Sex menses integros sic dimidiata languit, donec in templo Sancti Dominici exaltato in sandapila Rosæ corpusculo illuc deportata fuit, vbi vt defunctæ Virginis faciem bis terue attigit, repentè inflatio detumuit, & paruula suis parentibus reddita post biduum per ædes sana cucurrit, nulla interim alia medicina adhibita.

Triennis paruula ab vmbilico deorsum velut emortua.

Attactu Rosæ infe retro mox erigitur sana.

XXX. Agnes de Figueroa (: Rosæ, dum viuebat amicissima) immani cruciatu lancinabatur in coxendicibus, & ignara quid mali esset, iam eò deuenerat, vt toto triduo vesicam exonerare non potuerit. Longa dolorum acerbitas penè mentem fœminæ euerterat, quando suggerente marito se se efflictim multisq; cum lachrymis cœpit charæ suæ Rosæ intercessionibus commendare. Statimque, velut substratis prunis insideret tota feruidissimè æstuauit, ac subitò infra vnicæ Salutationis Angelicæ moram enixa

Dentatus vesicę calculus.

est calculum magnitudine nucis auellanæ punctim vndique cuspidatum. Eodem in momento cessauit dolor, consopita quieuit Agnes, quæ diu neque dormire potuerat nec iacere. Chirurgi & Medici quotquot viderunt calculum testati sunt, illum haud aliter quàm vel morte vel miraculo potuisse extrudi.

Prodigio sè extruditur.

XXXI. Ludouicus Rodriguez Mexicanus opificio sartor in ædibus Viduæ Ioannæ de Vargas dolorifica neruorum attractione laborabat, ita vt nec incedere, nec pedem humi figere per duos menses vmquam potuerit. Adducti Chirurgi postquàm viliora remedia sine profectu applicuerant, protestati sunt, hominem non aliter quàm vnctione magistrali (: quæ sumptu non mediocri paranda fuisset) curari posse. Flebat amarè Ludouici Mater, conscia tantis impendijs longè imparem fore suã filijque inopiam. Itaque vidua suggerente, cernua sursum respexit in Rosam, promittens vnà cum filio Nouenam peragere ad sepulchrum, quam vbi exorsa fuit postridie, domum rediens inuenit filium pedi attracto iam solidè insistere, & aliquantùm ambulare. Nondum vltimus nouenarij dies illuxerat, & Ludouicus iam perfectè sanatus exibat domo, Virginisque sepulchrum inuisebat.

Ludouico Rodriguez neruorũ attractio gressum intercipit.

Ad votũ Nouenæ laxantur nerui.

Simillimo beneficio & ipsa prænominata Vidua ex vtriusque pedis dira inflatione & cruciatu repentè conualuit, mox vt Rosam auxiliatricem flebiliter inuocauit, promisso simili dierum seu stationum nouenario, quem & postridie votiuis onusta donis est auspicata, sanisque pedibus alacriter peregit.

Viduę detumescũt inflatæ tibiæ.

XXXII. Isabellæ Morales parienti (: iamque partum effuderat) secundæ remanserant in vtero. Expauit obstetrix, nullumque omisit remedium vt membranam eliceret. Tribus horis laboratum frustra, rebusque iam desperatis Isabella se mori sentiens ad lectũ reportari petijt decentiùs illic moritura. Adfuit vocatus interea Confessarius, cumque omnia in peius vergerent, monetur Isabella ad Rosæ præsidium recurrere in discrimine tam comploraro. Paruit, & illo temporis puncto omissis alijs remedijs vltro secundæ prodierunt, totumque subitò discussum est periculum.

Vltimum in partu fœminæ discrimé.

Ad inuocationem Rosæ dispellitur.

Chri-

XXXIII. Christophorus Perez Aulæ criminalis Secretarius cum vxore & domesticis ad prædium suum in valle *Lurigancho* secesserat, hinc die quodam ad vicinos colles virore amœnissimos iter faciens, tellure ex pluuijs madente & lubrica cum equo in fossam xvi. palmos altam prolapsus est. Accurrit cum domesticis pauida coniux, viditque marito equum incumbere. Secuta fuerat labentes mollior terra, & pene vtrumque operiebat. Dum equus (: vt erat generosus & iuuenis) terram nititur excutere, dum magnis conatibus tentat surgere, Christophorum grauiùs premit relapsu, & nonnumquam calcibus improuidè ferit. Per quadrantem horæ sic iacuit Perez, neque vt erat manibus pedibusque ex arthritide nodosus ac debilis, quidquam iuuare seipsum potuit.

Podagricus cum equo prolapsus in foueam.

Sub equo & soluta humo periculosè laborat.

Interim supra fossam eiulabant domestici, plangebat vxor, denique omnes Rosam in subsidium aduocarunt. Audijt Christophorus, cœpitque & ipse sub equi terræq; pondere Rosam inuocare. Et en confestim surrexit equus in pedes homine intacto, descendunt in fossam vernæ, extrahitur Perez incolumis, quem alij iam mortuum, alij intra horam moriturum liberè clamitabant. Ipse verò solius Rosæ beneficio tam se illæsum professus est, vt nec phlebotomiam nec quidquam fomentorum sibi adhiberi permiserit.

Rosæ implorata ope extrahitur incolumis.

XXXIV. Antonij de Terrabaian grandæui mancipij vt lapsus miserabilior, ita mirabilior fuit subleuatio. Huic in extremo ferè agone laboranti Maria de Oliua Rosæ mater concubia nocte assidebat sola. Antonius dum conatur fessum mutare latus, ex lectulo peranguslo in pauimentum decidit. Anxia mulier, quòd nec seruo moribundo nec sibi vires essent quibus denuo in lectum subleuaretur, filiæ Rosæ validum è cœlis implorauit auxilium, statimque fide plena vtrumque ponderosæ sarcinæ brachium supposuit, Antonium senem, corpulentum, semianimem, ac si trium mensium esset infantulus, è solo sola sustollit in lectum, accommodat, operit, ac tum demum admirabunda suomet operi tota adtremuit, experta suam sibi Rosam adfuisse.

Ægri lecto decidui pôdus & periculum.

Mirè alleuiatur, Rosæ nomine inuocato.

XXXV. Claudat hoc Capitulum Rosa veneni cœlica

excan-

Venenum exoso marito propinatum.

excantatrix. Limæ crudelis fœmina (: cuius nomen in Processu vbique subticetur:) maritum suum extremè oderat, & vt ignarum è medio tolleret, clam ei toxicum in potu commiscuit, sed prævalidum quod antequam possent remedia circumspici breui mora hominem extingueret. Vix maritus pestem hauserat, cum intercepto anhelitu tympani instar extumuit, mox deliquio abreptus aluo in fluxum soluta sudauit algidus, tremuit, distortisq; oculis nil nisi mortis vltimos spirabat angores. Verùm sic per horæ quadrantem periclitanti opportunè incidit Rosæ memoria, & dum virus per viscera cordi adserpebat, extremo conatu se colligens erupit clamorosè in has voces: *Sancta Rosa succurre & Nouenam polliceor*. Expauit ad Rosæ implorationem vxor venefica, iamque veneni sui effectum desperans seipsam lethali vulnere sauciauit. Maritus absque alio alexipharmaco venenum eluctatus postridie lectum deseruit, ac promissi memor ad Virginis sepulchrum properauit.

Exitium præuertit implorata ocyus Rosa.

CAPVT IV.

Rosæ defunctæ cingulum, vela, particulæ vestium, ægris, parturientibus, debilibus medicinam distillant.

Eleonora Ruiz dolore capitis liberatur.

I. A Sanato morbo capitis Capitulum istud ordiamur. Eleonora Ruiz de Saudosa discruciabatur atroci cephalæa, sed ne iubilæi lucrum amitteret, à Rosæ (: quę pridie sepulta fuerat) sarcophago rectà ad ædem Metropolitanam sibi eundum fuit. Iuit, sed priùs infirmo capiti particulam ex Rosæ vestimentis imposuerat, subque huius galeæ fiducia iter ingressa postquàm in summa Æde nonnihil consederat, aduertit omni se capitis dolore penitùs liberatam.

II. Phi-

II. Philippa de Vargas ex intolerabili æstu febrium simul toto sincipite diris velut aculeis incessanter dispungebatur: tandem ex Rosæ reliquijs particulam vertici applicuit & obdormiuit: euigilans non solis doloribus capitis sed & tota febrium vexa se reperit penitùs liberatam.

Philippæ de Vargas cephalæa & febris extinguitur.

III. Luciam à SS. Trinitate Sanctæ Catarinæ Senensis Monasterio Præfectam à dextro tempore grauis torquebat cranij dolor, cum intemperie cerebri & guttosa defluxione: sed vbi modicam ex Rosę habitu laciniam affectę parti applicuit, illomet instanti distillationem stitit, dolorem fugauit. Eadem sub noctis conticinio quondam repentinis stomachi vulsionibus torta, ac penè exanimis, subitò vt dictam particulam pectori affricuit, tormina sedauit.

Lucia à SS. Trinit. cranij & stomachi cruciatu liberata.

IV. Marina de S. Ioseph Excalceata monialis improuiso in terram lapsu oculorum neruos vtrimque grauiter offenderat, vt neque dextrorsum neque læuorsum oculos potuerit conuertere, simulque in ijsdem continuus sęuiebat dolor. Tandem ex Rosæ reliquijs frustulum arripuit, & experiar (: inquit) num reuera ea sit sanctitas Rosæ quæ passim deprædicatur. Idem temporis momentum fuit, quo frustulum oculos attigit mobilesque & sanos reliquit, neque vel stupor illis, vel dolor vmquam redijt.

Marinæ de S. Ioseph restitutus oculorũ motus.

V. Virgo Lucia de Montoya ab ineunte pueritia fœdo ac fluido marcore oculorum non sine excæcationis periculo lippiebat. Aciei infirmitas ac palpębrarum iugis dolor puellam nec in apricum diei prodire nec candelarum lumini propiùs accedere permittebant. Augebat morbum perpetua cephalæa; quibus incommodis dum solito molestiùs die quadam grauaretur, à Rosæ indumento remedium ingenti fide quæsiuit & reperit. Habebant domi inter pretiosiora cimelia particulam pallij quod Rosam adhuc mortalem amicierat, hanc Lucia capiti reuerenter admouit, eadem oculos defricuit, & illo temporis puncto simul cum lippitudine omnem capitis dolorem abstersit, inque miraculi fidem ipso adhuc suæ curationis die acum arripuit, & ante vesperam subtilioris telæ quatuor quadra consuendo absoluit: imò exinde oculos semper tam limpidos clarosque habuit, vt videretur numquam antea lippiuisse.

Luciæ de Montoya marcida lippitudo abstergitur.

VI. Apud

Paruulæ Isabellæ oculis innata nubecula clarescit.

VI. Apud Isabellam de Mendoza tenebrosiùs cæcutiebat triennis paruula Margarita nomine. Hæc altero oculorum: (cui nubecula insederat) omnino cæca, altero obscurè & vix modicùm nictitando videbat; collyrijs nil proficientibus credebatur paulatim omni videndi facultate caritura. Eius hera (: nam puella seruilis conditionis erat) sæpius protestabatur, Margaritulæ suę mortem, quàm vitam vtiliorem fore, siquidem ab anno, & ampliùs claræ lucis impatiens clausis plerùmque oculis per ædes oberrabat. Quodam vespere cubitum ituram domesticæ fœminæ cœliti Rosæ commendarunt, & particulam virginei indumenti fascia inter oculos puellæ alligarunt, sicq; fasciatam composuere in lectulo. Manè facto, dum reducta fascia oculos Margaritæ inspiciunt, primò notant euanuisse nubeculam, deinde in altero oculo miratæ sunt claritatem, denique compererunt hinc cœcitatem inde visus debilitatem prorsus ablatam, paruula enim acie vtrimque firma & irretorta sudum exinde aërem lucemque intuebatur cum voluptate.

Ioannæ de Velasco gingiuarū cessat cruciatus.

VII. Ioannæ de Velasco mordax è capite salsugo gingiuas impleuerat, inde acerbissimus dentium dolor miseram nec somnum capere, nec vllo patiebatur loco consistere. Dilatabatur crescens malum, angebatur languens Ioanna; donec recordata particulam ex Virginis Rosæ lineo velo se habere, èam ori applicuit, & subitò omnis abscessit dolor, succeßit somnus, & euigilans manè Ioanna se sanam demirata est.

Puerulus morbo caduco obnoxius sanatur.

VIII. Viduæ Ludouicæ Faxardo morbus caducus binas proles, masculam annorum xvij. fœmellam mensiū x. extinxerat. Superfuit trimus filiolus nomine Franciscus de Contreras, quem idem morbus simili parabat exitio, nam puer interdum continuis xv. horis iacebat sine loquela, & sensu, spumans ore, brachijs ac tibijs immanè palpitans, interdum & occiput solo illidens. Anxia mater, iamque omni humano diffisa remedio ad cœlicam Rosæ pharmacopeiam vltimò recurrit. Particulam scapularis aliunde quæsitam obtinuit, arbitrata filio profuturum, quidquid olebat *Rosam*, & sanè profuit: nam vt particulam Francisci tunc fędè spumantis tremulo pectori imposuit,

posuit, in ictu oculi conquieuit puer, in se redijt, consedit in lectulo, haustum aquæ petijt, conualuit, nec deinceps vmquam hoc morbo tentatus fuit.

Erysipila febris, tormenta stomachi simul fugantur.

IX. Septennio circiter post felicem Rosæ transitum euoluto Aloysiam de Escobar Sanctæ Claræ monialem tormento instabili discruciabat ignis volaticus, nunc tempora, mox genas, inde oculos aliasque partes non sine periculo oberrans. Variè diuque sudatum est in remedijs, at maiori semper damno, fructuque prorsus nullo. Denique Abbatissa seruatam ex Rosę tunica particulam de scrinio protulit, ac vultui decumbentis præmissa oratione molliter illigauit, sicque per eam noctem quiescere iussit. Postridie fasciam soluens, totam Aloysiæ faciem ardore ac tumore vndequaque non secus ac manuum volas reperit liberam, nullo vel minimo vestigio hesterni mali residuo. Eidem Aloysiæ tertiana febris aliquando diros ac vehementissimos stomachi dolores inuexerat, adeo vt præ conuulsionum angore mortem sibi crederet imminere: sed confestim, vbi alio quocumque omisso medicamine ad Rosam confugit, dictamque particulam stomacho applicuit, simul cum dolore febris abscessit.

Simile beneficiũ alteri Sanctimoniali obtingit.

X. Eamdem priùs opem aduersùs erysipilam senserat Maria de IESV Excalceata Carmelitana; huic facies tota hoc inflammata morbo tumuerat, simul reliquum corpusculum febres exurebant. Denique vt ægrotanti modica ex Rosæ indumento laciniola fuit applicata, desedit tumor, tepuere infesti calores, vt infirma mox somnum capere potuerit, è quo sana extinctis cum erysipila febribus euigilauit.

Pictoris inueteratum asthma dissipatur.

XI. Anno quo Rosa in cœlestem Sponsi paradisum transplantata fuit, Ioannem Rodriguez Samanes pictorem asthma inueteratum penè stringendo suffocabat. A triennio ferox malum pulmonibus & bronchis ponderosè tenaciterque insederat, nec nisi per tusses & raucos sibilos ægerrimam spirandi facultatem oppresso pectori indulgebat. Opportunè Maria de Mesta quasdam Rosæ reliquias (: à quibus ipsa pluries salutem hauserat) infirmo suo domestico obtulit, quando arctiùs laborabat. Has pectori deuota fide adhibuit iuuenis, dormiuit quietissimè

thorace libero ac ſine ronchis; expergefactus ſenſit laxata vndique pulmonum vincula, nec vllam deinceps grauioris anhelitus in ſe comperit moleſtiam aut preſſuram.

Ioannes Garzia ferro laxat oſtiolum Cellæ B. Roſæ.

XII. Fr. Ioannes Garzia laicus Ord. Prædicatorum quarto poſt Roſæ obitum die ſuperiorum iuſſu hortenſem Virginis cellulam intrarat, aſportaturus inde modicum ſcabellum, cui Roſa dum vixit inſidere ſolitaria conſueuerat. Verùm oſtioli anguſtia videbatur ſcabello negare exitum, vnde laicus mucrone quem attulerat, aſſulatim cœpit obſtantia ligna incidere, ſed dum feſtinus inſtat operi, ferrum incautus ſiniſtræ manui immerſit, ea profunditate, vt vnà cum cute lacera caro penderet à iunctura. Exterruit circumſtantes atrocitas vulneris, nam vbertim manabat cruor, & ex hiatu ambiguum erat ſpectantibus, num quid fortè neruorum aut venarum vnà truncatum fuiſſet. Solus non expauit ſaucius Ioannes, præſentis remedij conſcius, &, habeo (: inquit) efficax certumque cataplaſma, quod illicò mihi ſanabit manum. Simulque è ſinu protulit reciſam ex lineo Roſæ velo particulam, qua ſiniſtram extemplò obuolutam adſtrinxit faſcijs, ea fidei ſecuritate & conſtantia, vt inde mox in cellulam redierit, reliquum operis perfecturus. Vix horulam illic exegerat, cum rurſus ad expectantes prodiens vltro diſſoluit faſciam, oſtendit manum vndequaque ſanam, incolumem, nec iam alterius chirurgi ope indigentem.

Aberrāte ferro manus inciditur.

Medetur vulneri ob ligata ex Roſę velo particula.

XIII. Pictoris Angelini Medori coniugem Mariam de Meſta viginti circiter diebus exhauſerat copioſi ſanguinis fluxus admodū periculoſus. Memor tandem, ſe ex Roſę candidis indumentis reliquias poſſidere, has reuerenter deoſculans & Virginis interceſſioni efflictim ſe commendans periculum euaſit, priſtinis viribus actutùm reſtituta. Eidem aliàs fluida è capite diſtillatio ſcapulā immenſis cruciatibus vellicabat, nec ſegniùs in occipite ſæuiebat cephalęa, ſed eiuſdem particulæ beneficio poſt imploratū Roſę auxilium morbus vterq; fugatus eſt. Grauiùs aliquando fœminam afflixit inflati cruris acutus dolor, vt per quindenam & ampliùs nec interdiu vſquam potuerit conſiſtere, nec ſomnum etiam breuiſsimum noctu libare; re-

Mariæ de Meſta varij abigū- tur morbi

recursum ad solitum *Rosea* virtutis emplastrum, & applicitis cruri Virgineis reliquijs cessit inquietudo & dolor, successit cum placidissimo somno perfecta & stabilis valetudo.

XIV. Iu conuallibus Chinchæ Magdalena Chimasso Inda ex Regulorum Chincensium (quos *Caciquos* vocant) nobili prosapia viro Hispano Francisco Morales matrimonio copulata triennium & ampliùs ab vmbilico deorsum, adeo languebat attractione corporis, vt nonnisi lanato velleri potuerit insidere, nec aliter quàm cùm eo huc illuc raptanda fuerit, & ad necessaria corporis officia manibus domesticorum deportanda: numquam sine his mutare latus, numquam se sponte erigere visa est. Denique post ingentes sumptus frustra in remedia erogatos è Chincha Limam in ædes Petri de Vega se fecit transportari, quòd illic speraret Medicos peritiores. Nec fefellit opinio: vix enim per mensem Limæ sic decubuerat, quando Rosæ tunc recèns sepultæ odor sanctimoniæ & publica miraculorum fama quotidie grandior ad ægram hanc penetrauit. Concepta exinde fiducia supplex nonnullas Rosæ ad se reliquias deferri petijt. Allatus fuit pertenuis ramusculus ex palma quam Virgo in mortuali suo pegmate gestarat exangui manu, item binæ candidi scapularis & veli particulæ. Hæc vnà cum sepulchri modico puluere Magdalena fide ac deuotione qua decuit sibi arctissimè circumligauit. Sic repentè sopitis doloribus etiam ipsa placido sopore totam noctem quietissimè præter morem exegit. Euigilans tametsi vegetas in rediuiuis partibus sentiret vires, dimouere tamen reliquias noluit, velut salutiferi effectus plenitudini quietem reliquæ illius diei perlubenter indulgens. At postridie, quidquid repugnarent famuli, quidquid reclamarent domestici, lecto se robusta proripuit, vestes petijt, Rosæ beneficio se integerrimè sanam constanter asseuerauit. Dum adstantes horror ac frigidus stupor defigit immobiles, iam Magdalena suis insistebat pedibus, mox nemine iuuante liberrimis passibus incedebat per conclaue. Demum vt vestimenta (: quibus pene desueuerat) impetrauit, domo cum honesto comitatu exijt, rectàque ad Sancti Dominici Ædem

Magdalena Chimasso dimidia sui parte quasi præmortua.

Limam curanda deportatur.

Spondet morbi victoriam palma defunctæ Rosæ.

Surgit ægra, deambulat, templũ adit.

Sanata in patriã remeat.

solidis gressibus properauit, vbi visitato Rosæ sepulchro domum inde post mensem ad suos in patriam alia quàm exierat redijt.

Maria de Morales per singula membra doloribus vexata.

XV. Mariam de Morales viduam Marci Antonij non sola neruorum attractio, sed insuper varij aliorum membrorum cruciatus integro quinquennio acerbissimè diuexabant; nec hilum profuere remedia quæ plurima tanto temporis ærisque impendio conquisierat. Tandem particulam ex Rosæ indumento sibi residuam alacri fide manuque arripuit, hac subitò neruos attractionis vinculo exsoluit, inde per reliqua membra eamdem circumferens quo

Singulos vt successiuè abegeit.

successiuo ordine loca dolorum obibat contingendo, languor & cruciatus illico fugiebant, donec ad extremum se vndique totam mirata est sanam.

XVI. Alphonsi Braui legitimæ coniugi Andreæ de

Rosę exuuijs cedũt angina, prurigo, febris.

la Massa tunsillas & guttur atrox angina, reliquum corpus ardentissimæ febres periculosè inflammabant: Accesserat vehemens prurigo, qua semper vnguis in vlcere, numquam somnus comparebat in oculis. Habebat domi villosam pelliculam quæ quondam Rosæ apoplecticum obuoluerat brachium. Hanc igitur fiducia reuerenti corripuit, molesto prurituí vbi fortiùs vrebat applicuit, toto hunc corpore successiuè depulit, eodemque simul affrictu tàm febrium quàm anginæ suæ incendia restinxit.

Sanatur puerpera mariscis vlcerata.

XVII. Vxor Basilij de Bargas Francisca del Pulgar à partu repentè mariscarum vlcerosis tuberculis grauissimè torquebatur. Nec malo inueniebatur remedium, nec à malo requies. Demum anulo osseo quem à Rosa acceperat, salutem debuit, hunc enim vt digito indidit, confestim morbus euanuit, nec in reliquis partubus (: nam sæpius deinde peperit) vlli mariscarũ mordacitati subiacuit.

Cingulũ Rosæ depellit febres & cephalæam.

XVIII. Didaco de Requena domi æger decumbebat filius, æstu febrium & continuo sincipitis dolore penè exanimatus, parenti ad manum erat Rosæ cingulum quo Virgo postremis vitæ annis tunicam adstrinxerat. Hoc filio præbuit sæuiente paroxysmo temporibus circumponendum, Paruit iste, caputque vbi acutiùs dispungebatur cinxit, & vnico hoc ceromate febrim simul cum cephalea abegit.

An-

XIX. Andream Lopez à multo tempore permolesta quamquam occulta premebat infirmitas, nec morbi genus in Processu exprimitur, nisi quòd multùm diuque ægrum affixerit. Verùm vt ad Rosæ opopanaceam confugit, eiusque calceamenti ligulam præuia oratione sibi applicuit, è vestigio morbus abscessit.

Calceamenti ligula occulti morbi cataplasma.

XX. Prouinciæ de *Guailas* in Regno Peruano Gubernator præerat D. Antonius de Contreras, eoque titulo vicum *Iungai* cum vxore Blanca de Zuniga incolebat. Hæc in octauum mensem grauida sensit manifestis indicijs fętum in vtero suo immobilem desijsse viuere. Dum inter ea discrimina ac pauores Blanca in quintum vsque diem miserrimè distabescit, opportunè marito Gubernatori adferuntur è Lima nonnullæ ex Rosæ vestimentis reliquiæ, quas veteri amico Didacus de Cantoral mox ab obitu Virginis dono miserat. Has subitò Antonius periclitanti coniugi apportans vt (: præmissa Rosæ deuota imploratione) ventri imponeret facile persuasit. Vix mulieris vterum reliquiæ attigerant, cum intra breue spatium quod recitandæ semel Angelicæ Salutationi sufficeret, enixa est infantem mortuum ac putrido virore totum subliuidum. Paulò post effudit etiam secundas, comite fœtore qui adstantes penè examinabat. His sarcinis planè mortiferis exonerata Blanca respirauit, & quæ suscepto pœnitentiæ Sacramento iam sese morti certissimæ præpararat, intra pauculos dies abacta febri lectum deseruit, integræque valetudinis beneficio diu potita est.

Blancæ de Zuniga fœtus in vtero mortuus putrescit.

Admouētur ex Rosæ vestibus reliquiæ.

Liberatur hoc onere mortuo & mortifero.

XXI. Eadem alia vice, cum partu infeliciori fœtum quadrimestrem abortiuisset, retentis in vtero secundis, per duos menses & quinque dies tantā vim corrupti sanguinis protrusit aluo, vt prope actum de sua vita existimarit. Memor itaque opis quam aliàs Rosa præstiterat, rursus ad eam supplici deuotione respexit, nouenam ad eius sepulchrum Limæ peragere, & vtrumque miraculum publico euulgare testimonio pollicita. Et ecce, postridie cum ingenti fœtidi cruoris profluuio vnà prodiere secundæ iam putrefactæ, sensitque Blanca, iterum se morti ereptam, & Limam profecta votum exsoluit.

Rursus simili mortis periculo eximitur.

XXII. Feliciùs Rosæ obstetricantem sibi in partu experta

perta est opem Bernarda de la Sierra, vxor Ioannis de Quixano Zeuallos. Hæc ad portum *Callao* marito cohabitans, ipsa die exequiarum defunctæ Rosæ anno 1617. cœperat angi sæuis puerperij doloribus, quorum vi proles in vtero transuersim acta, dum neque retineri neque emitti potest, se vnà cum matre præsentissimæ mortis laqueo implicabat. Iam foras prodierat intestinum (: euidens imminentis lethi indicium :) & adhuc detorta infantis obliquitas suæmet obstabat genesi, propiùsque exitium quàm exitum reperiebat. Frustra pauidæ obstetrices vltimum suæ artis tentarant quò prolem aptarent ad egressum; iam Bernarda inter summos cruciatus tam sibi quàm soboli illũ diem ominabatur extremum, quando improuisus Ioannes de la Massa Bernardæ maritum domi conueniens dixit se Lima pauculas ex Rosæ vestibus adferre particulas. Confestim tota domus in spem erigitur, parturientis germana soror Maria de la Sierra susceptis reliquijs periculo aduolat, Bernardæ quid ferat raptim exponit; concipitur firma in Rosæ opem fiducia, funditur breuis precatio, imponũtur ventri periclitantis allatæ particulę, & subitò nullis obstetricum suppetijs dirigitur sponte in vtero proles ad enixum, nascitur facilitate prosperrima, vixit, valuit, adoleuit, pueroque in baptismate nomen fuit Petrus de Quixano. Nec silendum, quòd in dextra nascentis palpebra conspicuè apparuit Rosa ad viuum effigiata, diuque velut beneficij indelebile sigillum remansit.

Fœtus in vtero trãsuersus dirigitur.

Parientis vtero imponuntur Rosæ reliquiæ.

Nascitur infans cũ signo Rosæ in palpebra.

XXIII. Mercator Basilius de Vargas Hispalensis dum negotiorum causa ab emporio Limensi Potosium tendit, per viam grauatur ex sincipite iugibus stillicidijs, quorum acrimonia sensim naribus cancrenam minabatur, & iam quinque mensium spatio mordax humor eò vsq; inualuerat, vt os nasi perfregerit, cœperitque cartilaginem non sine cruciatu depascere. Nec vllum voraci malo inueniebatur remedium, donec ad Rosæ pharmacopeiam anxia pulsaret deuotio. Habebat vxoris dono Basilius modicum lanæ ex puluillo in quo Rosa nere aut flores acu pingere consueuerat. Hanc rudi papyro obuolutam vt fronti obligauit, fontem corrosiuæ defluxionis funditus exsiccauit, & plenè conualuit. Erat huic Basilio collybistes Didacus

Cancrena vultũ Basilij de Vargas fœdat.

Lana ex Rosæ puluillo.

de

de Burguinas natione Cantaber,qui anno 1619. in eodem vico Potosij quadam ignoti defluxus intemperie sensit sibi guttur intus adstringi, & foris extumescere. Nullę proderant vnctiones, nulli tenacissimũ phlegma findebant gargarismi, quin nocte quadam propemodum intercluso anhelitu suffocaretur. Ergo à Basilio pugillum lanę (: de qua supra:) petijt, collo circumligauit, & inuocato Rosę auxilio reliquum noctis quieuit. Manè à contubernali suo repertus est iugulo catharris liberrimo, tumor omnis desederat, respirandi patula redierat facultas, statimque Basilio sua restituta est lana, de qua illud inter alia dignum est notatu, quòd cuius-nam aut villi aut velleris ea sit discerni haud possit, natiuo colore nec bombycem refert nec gossipium, sed sparsis auri fulgoribus filatim interlucet, denique creditur ex eo puluillo esse, in quo nenti Virgini pusillus Iesulus aliquando familiariter solebat assidere.

Guttur rheumate interclusum reserat.

Eiusdem lanę ignota origo, mirabilis fulgor.

CAPVT V.

Rosæ sepulchro exemptus puluis dysenteriam, synanchen, phrenesim, cancrum, herniam, febres, papulas, aliasque id genus cacosyntheta mirabiliter curat.

I. ALtiùs nonnihil hìc repetenda sunt aliqua. Limensis SS. Rosarij Conuentus vt Religiosorum abundat numero, (: plures trecentis plerùmque numerantur:) ita sepeliendis tot Fratrum successiuè decedentium cadaueribus nimis arctum foret vnicæ capitularis domus spatium, nisi de industria talis aliunde terra illuc fuisset illata, quæ citissimè funera sepulta absumat, vt subsecuturis locum concedant. In hunc vsum procul ab agro Panamæ nauigijs aduecta gleba totum illius Capituli pauimentum profundè infarsit, terra mollicula, tenuis, soluta, & arenosa, sed innato calore subtiliter vorax; quo fit, quòd illata corpora mox depulpet ossiumque duritiem extemplò resoluat. Talis erat quæ ibidem virgineum Rosæ

Limense Fratrũ cemiterium citò absumit corpora.

cor-

Quà Rosam attigit, voracitatem amisit.

corpusculum excepit. Sed mirum dictu, vnico totoq; illo spatio vbi sacrum istud cadauer immissum fuit, gleba mutauit indolem, ac ferè pumicea soliditate in se coacta obduruit, vt solùm ibi digitis leuiq; manu teri aut frangi nequeat, quin ferro opus sit vt excauetur. Non sic reliqua illius cemeterij suburra, tritu facillima, tractabilis, fluida.

Virginis sepulchrũ salutiferi pulueris pharmacopœia.

II. Porro in hoc Rosæ cenotaphio ad perenne humani generis beneficium viuam salutiferi pulueris latere scaturiginem, id argumento fuit, quòd anno 1632. post exportatos inde totoq; Regno distributos terrarum cophinos (: & quidem ab ea dumtaxat parte foueæ, vbi caput Virginis collocatum erat:) vix tria vel quatuor pondo cauo scrobiculo eruta videbantur: & cum P. F. Bernardus Marques pauculis ante diebus totum immisisset brachium foramini, paulò post succrescente intus puluere vix manum immergere totam potuit. Nunc ad curationum historiam.

Decennis mancipij dysẽteria tollet.

III. Decennem Æthiopissam, 50. argenteis Rosa emerat pro parentum domesticis seruitijs. Mater abhorrebat inutile mancipium, vtpote varijs languoribus ac præsertim crebræ dysenteriæ obnoxium. At Rosa bono esse animo iussit, adfore tempus, quo puella Diuino beneficio integrè conualesceret. Adfuit certè, verùm post Rosæ obitum, quando petitus de Rosæ cenotaphio puluis ancillulæ datus est cum frigida epotandus. Bibit, & continuò à morbis omnibus sanata est.

Guttur synanche adstrictũ, cancrena vlceratũ.

IV. Sexenni virgini Iosephæ de Zarate musculos gutturales atrox vndique inflammarat synanche, vt nec cibum glutire nec os sine tormento potuerit aperire. Aduocatur chirurgus Ortega, qui vlcere inspecto cancrenam se plagæ insinuasse deprehendit, negauitq; puellam curari posse, nam erosæ carnes frustillatim vlceri excidebant, atque in dies serpebat malum. Anxia mater filiolæ salutem opidò comploratam Rosæ ardenter commendauit, inde pauxillum terræ quam de Virginis sepulchro in hunc vsum auia Iosephæ attulerat, in aqua dissoluit ægręque adhibito cochleari infudit. Puella vnico haustu facillimè traiecto statim liberrimo hiatu os diduxit: iamq; bene sibi esse affirmauit, ac cibũ petijt. Mater vt cum auia patulas fauces diligentiùs inspexit, cancrenam mortificatam reperit, plagę

Infuso sepulchri puluere mox curatum.

magni-

magnitudinem demirata. Interim Iosepha esculentis(: quæ alacriter glutiebat) refecta sine alterius medelæ adminiculo conualuit, promissamq; Nouenam fideliter exsoluit.

V. In Limensi Sanctæ Claræ Monasterio Soror Grimaneca de Valuerde duplicis tertianæ ardoribus, & copioso sanguinis profluuio post insomnem xv. dierum & noctium inquietudinem sibimet erepta miserrimè delirabat, solum exspectabatur lucidum mentis interuallum vt extremis communiretur morientium sacramentis, nam Medici vitæ horas nonnisi octo ei residuas esse constanter asseuerabant. Igitur Abbatissa Isabella de la Fuente ad cœli presidia confugiendum rata in vnius Rosæ thaumaturgis fauoribus spem fixit, corrasos de Virginis sepulchro pulueres ingenti fide produxit, Confessori innuit, vt eos in puram lympham excussos infirmæ bibendos porrigat. Factum est, & en Grimaneca repentè sibi reddita primò sensit aruisse penitùs cruenta profluuia, inde & febres deferuescere, sicque nullo alio tentato remedio post placidum soporem postridie mente & corpore sana fuit.

Delira & morti proxima hausto puluere conualescit.

VI. Ibidem Soror Raphaëla de Esquiuel æstu bilioso torrida, & insuper arctata faucium angustijs dum nimijs phlebotomijs, & euacuationibus exhauritur, vnà iudicij mentisque sanitatem perdiderat. Desperata à Medico iussa est è communi valetudinario in aliud conclaue deportari, vt à frequentiori alloquio libera vltimis Sacramentis percipiendis (: si fieri posset) quietiùs aptaretur. Illic puluerem è Rosæ sepulchro dilutum aqua bibendum porrexit solicita custos, & subitò discussa phrenesi resipuit Raphaëla, cibum petijt, liberisque faucibus alacriter manducauit, ac sine alio remedio integerrimè conualuit.

Infirmæ & amenti reddita mens & valetudo.

VII. P. F. Ferdinandus de Esquiuel Ord. Pręd. Limensis cœnobij ad S. Marię Magdalenæ Subprior ab vtroq; peritonęi latere diram passus rupturam, hernia (: quam enterocelam vocant:) acerbissimè vexabatur, vt nec prędicare, nec iter agere potuerit, quantiscumq; subligaculis ac fascijs conaretur dependula in scrotum viscera coarctare. Hoc ærumnoso tormento semilacer at nō minùs fide alacer vespere quodam Rosæ tumbam adijt, deuotè orauit, terramq; inde arreptam inguinibus applicuit, nec ab illo

idem puluis herniam Subprioris reprimit, obducit.

temporis momento priſtini doloris vllum notare potuit veſtigium;quin reſumpto prędicationis officio ad laborem vegetior induruit, equitaturus à terra in ſellam agiliſſimè ſe librauit, quatuor millia leucarum terra marique ſine impedimento aut herniæ ſenſu robuſtè confecit,liber à ligaculis, vbi quotidianæ precis votiuo penſo ſe illigarat.

Pleuritidem, febres, papulas abſtergit.

VIII. Virginem Annam Cortes ex continua duorum menſium febri ſimul in coſtarum membrana pleuritis,totoq; ſparſæ corpore liuentes papulæ(: quas dicunt enpinyctidas:) lethaliter diſpungebant: omnem cibi potuſq;orexim grauis nauſea peremerat; ſoporis & quietis ſpes aberat, laxis paſſibus ibatur ad mortem. Mater cum filiarum altera Laurentia Cortes humanis remedijs fruſtra tentatis reſpexere demum ad cœleſtia: puluerem (:quem olim dum è ſepulchro Roſæ collegerat, ſuauiſſimè fragrare notarat:) protraxit è ſcrinio, eamdemq; tunc ſuaueolentiam denuo percipiens in ſpem obtinendi auxilij fortior aſſurrexit. Ante infirmæ lectulum procubuere ambæ in genua, & in honorem Roſæ orationem Dominicam cum Angelica Salutatione recitarunt. Inde mater infuſos aquæ pulueres languenti prębuit exhauriendos. Hauſit,plus ſolito incaluit, quieuit, ac poſtridie diſcuſsa pleuritide, abacta febri, deterſis papulis Anna incolumis ſurrexit.

Suaue olet.

Stephanus de Cabrera ruptam coſtā eodē redintegrat

IX. Coſtam Stephano de Cabrera fortuitus lapſus perfregerat: tumebat infirmo quaſſatum latus, feruebat per incrementa ſomnumque adimebat horribilis dolor. Sed ſtatim vt Roſei ſepulchri terram offenſæ parti impoſuit, placidè conſopitus totam noctem quieti indulſit. Manè vt ſe doloribus liberum ſenſit, inſpecto ac palpato latere omnem pariter fugiſſe tumorem lætus deprehendit.

Vnicæ monialis cōplures morbi attactu illius pulueris ſimul demigrāt

X. Catarinam de Sancta Maria Ordinis S.Dominici monialem Tertiariam diuerſa grauium morborum genera penè membratim à quadriennio occuparant. Coſtarum tormento accreuerant dolores iſchiadum, cor quotidie ſepties vel octies ſuis cruciatibus laborabat, ſtomachus bis per diem flacceſcebat in deliquium, vt ſubitò ad auroram feſtinato ientaculo fuerit inſtaurandus, reliqua viſcera torrebat lentus calor, ac præcipuè caput crebris accendebatur ardoribus, denique ex profunda melan-

cholia

cholia contumax & adusta grauedo sensim vergebat in tabem. His malis pressa Catarina tertio post Rosæ depositionem die accessit ad tumulum, preces fudit cum lachrymis, pulueres scypho intritos ebibit, primòq; sensit depulso melancholiæ tabifico pondere cor suum hilarescere & confirmari, mox & capitis restingui ardores quos tunc patiebatur intensissimos, demum eadem hora totum illud multiplicium morborum collegium cessit Roseo pulueri, fœminamque reliquit valentem & perfectè sanam.

XI. Simillimam ab his pulueribus experta est opem Isabella de Peralta in Limensi SS. Incarnationis Monasterio professa monialis, quam ab annis xx. præter assiduos præcordiorum dolores apoplexia (: maximè brumali tempore) quotidiè exagitabat; sed illico vt cordi palpitabundo modicum illius terræ applicuit, vtroque morbo se explicitam deprehendit.

Eodem beneficio potitur alia Monialis.

XII. Ibidem Beatrix de Montoya Sanctimonialis stomachi dyspepsiam annis xx. passa demum conuulsionum atrocitate ad extrema properabat, iamque vltimis sese munierat Sacramentis, certa mori, nisi traiecto in stomachum terræ illius haustu simul omnem inueterati doloris equuleum miraculo perfregisset.

Stomachi conuulsiones euulsæ.

XIII. Presbyter Mauritius Rodriquez dicti Monasterij Confessarius importuna vexabatur capitis vertigine ac cephalea, nullumque è pharmacopeia omisit remediorum genus: at tandem didicit morbo suo vnicum Rosæ sepulchrum pharmacopeiam esse. Inde igitur allatum puluerem non modò hausit, sed & vertici infricuit, vnàque & vertiginem & dolores fugauit.

Dolor capitis & vertigo curata.

XIV. Virgini Lucię de Mõtoya hiabat profũda in vmbilico plaga magnitudine argẽtei philippei: at huic vbi Lucia modicum terræ è sepulchro Rosæ inspersit, tridui spatio plaga coaluit, relicta sola in beneficij memoriã cicatrice.

Vmbilici plaga obducta.

XV. In Cusco P. F. Blasio Acosta Lusitano Prędicatori generali commissus fuerat sermo funebris ob felicem Rosæ transitum (: qui ibi tunc innotuerat) prædicandus. Huic, dum incautus thema concionis habendæ ruminat, inter prandendum transuersus in epiglottide bolus spiritum intercluserat. Accurrerunt periculo P. Fr. Ioannes de

Bolus suffocãs gutture extũditur.

Aguero Præsentatus, & P. Fr. Thomas Marcos; cumque nec liquidorum infusione, nec valida succussione dorsi quidquam dimoueretur bolus, semianimem Refectorio extractum hortati sunt ad edenda pœnitentia signa, vt sacramentalem absolutionem reciperet. Procubuit ille in genua conatus confiteri, interim Aguerus pauxillum huius salutiferæ terræ anhelo in aquæ vasculo obtulit, quo sũpto statim fatalem bolum expuit, ac mortem cuius frigido sudore iam permaduerat, excreando euasit,

XVI. Catarinæ de Artiaga anno 1618. die 21. Martij in plurium matronarum præsentia riui sanguinis fluxu prodigioso scaturiebant è naribus, videbatur nonnisi cum vita finiendum profluuium, adeo latè pauimentum incessabilis cruor purpurarat. Denique vna fœminarum terræ illius pugillum fronti Catarinæ illigauit, & illo momento ad primum sacri pulueris attactum stetit sanguis, exaruit scatebra, nec deinceps hoc malum redijt. Adstitere miraculo Notarius, vnusque ex Iudicibus ad examinanda Rosæ prodigia ab Archiepiscopo deputatis.

Sanguinis profluuium sistitur.

XVII. Anno 1631. in SS. Incarnationis Monasterio ãcillabatur puella Æthiopissa annorũ plus minus xxiv. Huius fauces angina accenderat, carnem totam operuerant liuentes papulę, insuper toto corpore vultuque inflata tympano quàm fœminę similior extumuerat, ore, naso, oculis vbertim fœda sanies profluebat, & si qua parte leuiusculè attingebatur, decoriabatur, lacera pelle manum sequente. Sic putrescenti nulla spes vitæ supererat, vnde confessione expiata, sacroque munita viatico & vncta oleo solam exspectabat horam qua per tot vlcera emitteret animam.

Æthiopis ãcillę prodigiosa inflatio, papulæ, angina.

XVIII. At Confessarius in se beneficiorum Rosæ cõscius hortabatur infirmam tantæ cœliti vt se commendaret, missurum se eius sepulchri pulueres, ab his ope Virginis salutem speraret: missos ægra liquore superfuso deuotissimè hausit, & in ipso mortis vestibulo conualuit.

Haustu sacri pulueris reddita valetudo.

XIX. Limæ puella innupta carnis voluptatem pudori malè prętulerat: instante partu vix vni Matri suę delictum fassa, dum caret obstetricibus vt celaret crimen, discrimen vitæ subijt, nec parere valens nec retinere. Pauida Mater binos Religiosos illac fortè transeuntes rogauit, num quid

Bina in vnico partu vitę pericula discussa.

pul-

pulueris ex Rosę sepulchro secum ferrent. Allatum puluerem filia dolorum ac moræ impatiens siccũ abliguriuit lãbendo, eodem temporis puncto sobolem effudit; credidítque discussum omninò vitæ periculum. Sed Mater secundas in parturientis vtero remãsisse aduerterat. Ergo recursum ad eosdem pulueres, & statim puella etiam secundas enixa est, sibi & infanti gratulata incolumitatem.

XX. Ibidem (: at longo post tempore :) Æthiopissa olitrix multis horis euentu ancipiti ac penè complorato laborabat in partu: casu id resciuit Mauritius Rodriquez Presbyter per forũ olitorium transiens, suasitque Eleonoræ de Villa forti, vt periclitanti socię terram è Rosæ tumulo petitam celeriter apportaret. Factum est, statimq; vt parientis ventrem terra imposita attigit, fœtus breui ac facillimo nixu erupit, matremque periculo simul & onere liberauit.

Longi & periculosi partus labores abrumpũtur

XXI. Anno 1631. FF. Antonius Montoya & Ioannes de Estrada sacris Ordinibus initiandi mittebãtur *Guamangam*; per viam hospitij causa ad Præfectum loci *Guando* diuerterant. Et ecce quarta circiter post meridiem hora quidam ex incolis pręcipiti cursu adfuit, ac sonoro eiulatu rogabat Fratres, (: quos credebat iam esse Sacerdotes:) citò accurrerent *Caciquæ* Indę vicinis in ędibus animã agenti, vt moribundam saltim pœnitentiæ Sacramento expiarent, neq; enim alius tunc in oppido Sacerdos aderat. Doluerunt Religiosi, nondum se illo ordine insignitos esse cui absoluendi potestas annectitur, nihilominùs cum aliquot secularibus Hispanis Indum secuti sunt, vt saltim (: quando plus non poterant :) agonizanti mulieri adsisterent, Letanias, preces, commendationem animæ super migrantem recitarent, dæmonumque insultus aqua lustrali abigerent. Ingressi domum repererunt Indam sine loquela aut motu supinam, obrigidam, sanguinea labiorum spuma horribilem, ac mortuæ quàm viuæ similiorem. Frustra videbatur omne consilium, plangebant circumstantes Indæ, singultiebat maritus cum afflicta familia, sed Fr. Antonius memor penes se esse nonnihil pulueris ex Rosæ cenotaphio, præfatus ad astantes paucula de Virginis apud Deum valore & gratia, de crebris eiusdem prodigijs, de concipienda præsentaneæ opis fiducia, demũ arrepto cochleari dilutam

Caciqua Inda luctatur cum morte

Succumbit, lethalia edens indicia.

ter-

terram decumbentis ori (: quod ferro violentè aperiendũ fuit.) operoſo conatu infudit & abijt, ſuadens domeſticis, Roſæ interea ſuccurſum ardentiùs implorarent. Poſt duas horas ad infirmæ habitaculum reuerſus cum ſocijs, maritum cum tota familia reperit in iubilo: ingreſſus cubiculum vidit Caciquam hilariter inſidentem lectulo, & auidè manducantem; fatebatur ipſa diſertiſſimè, ſibi inſciæ Roſam ſaluti fuiſſe, huic, ſe vitam debere, nec alius tam extraneorum qui cum Antonio acceſſerant, quàm inquilinorum ſenſus fuit.

Hauſto puluere conualeſcit aſſurgit, ſtrenuè manducat.

XXII. Aliam in Panamenſi emporio inflammata exulceratorum viſcerum putredo cum ſanguinis excretione propè ad extrema deduxerat: remedium aliunde nullum ſupererat; hauſit eoſdem pulueres, & in ictu oculi ſeſe integerrimè ſanatam vidit.

Vlcerosa alterius viſcera ſanantur.

XXIII. Didacus de Moreno Coſtilla Quitenſis olim in bellis Chilenſibus ab impacta ferrea claua immane vulnus capite exceperat: cui paulatim ex cura imperita ſpaſmus, ſuppuratio, ſtupor innaſcebantur. Limã itaq; veniens vt melioribus chirurgis ſe ſubderet, in S. Andreæ Noſocomio per ſex menſes fruſtra ſub varijs vnctionibus & emplaſtris laborauit. Demum excitus fama prodigiorum quæ ad Roſæ ſepulchrum quotidie coruſcabant, eò acceſſit, fuſiſq; de genu deuotis precibus tegmen cum faſcijs à capite reſoluit, detracto malagmate terram ibidem excauatam vulneri inſperſit, meliùſq; ab eo momento ſe habere ſentiens domum alacer properauit, ac poſt biduum ſolidè vulnus coaluiſſe, ſanamque induiſſe cutem deprehendit.

Vulnus capitis ex imperita cura grauatum ac purulentũ

Inſperſo hoc puluere feliciter conualeſcit.

XXIV. Abbatiſſa Monaſterij S. Claræ in ciuitate Truxillo ab annis circiter xx. miſerrimè torquebatur ex inflatione tibiæ, in qua ſparſim plus quàm xl. vlcerum hiabant ora ciceris magnitudine, nec malo tam veteri idoneus reperiebatur Chiron, præſertim vbi cruris affectũ reliqui ſanguinis ſecuta eſt intemperies cum moleſtiſſima febrilis rigoris atq; ardoris viciſſitudine. Itaque ægra de creberrimis Roſæ edocta miraculis puluerem Lima ſibi allatum in lympha cum fide bibit & repentè febrim tunc frigore per medullas ſæuientem funditus extinxit. Læta hoc ſucceſſu tibiam pariter eodem puluere defricuit, ſtatimq; detumeſcere cœpit

40. Vlceribus hiãs tibia.

Defrictu ſacri pulueris vndequaque clauditur

pit inflatio, coire chasmata, relictis dumtaxat in beneficij memoriam nigricantibus signis, quæ vt ab extima cute diluerentur, aquã huic vsui distillatam chirurgus Ioannes de Lezana suggessit. Verùm hac adhibita mox redijt cum doloribus inflatio, rursum patuerunt hiulcæ fistulæ, expauit infirma, satisque intelligens miraculi complementum non à chirurgo sed à Rosa fuisse exspectandum, denuo eosdem pulueres recidiuæ inspersit tibiæ; denuo hęc detumuit & vndequaque vlcera siccando conclusit. Prodigium hoc triplex Abbatissę salutem, toti Monasterio stuporem & gaudium, Truxilli ciuibus cum gratulandi affectu nouam deuotionem instillauit.

Adhibita Chirurgi manu redit malũ.

Iterumq; pellitur.

XXV. Miles quidam officio ac dignitate vexillifer suo Confessori P. Fr. Francisco Nieto fassus est, aliquando sibi instar dolioli tumuisse tibiam, sed auditis quę ad Rosę monumentum in dies crebrescebant signis ac virtutibus, eò se perrexisse cum alijs, breuiterque precatum correpta sepulchri terra perfricuisse obiter suram pedis immane turgidam, eodemque puncto temporis molestissimum tumorem planè desedisse.

XXVI. Triennis puerulus Alphonsus Cortes adeo languebat pedibus, vt eos manibus reptans per solum traheret ceu pondus inutile. Hunc mater Francisca de Leon plena fide ad Rosæ tumulum stitit, scrobi vnde eruebantur salutiferi pulueres, alternos immittere fecit pedes, deinde etiam domi singulas eius corpusculi iũcturas eodem puluere defricuit, sicque Virginis intercessioni commendatum in lectulo composuit. Manè paruulus exiliuit sanus, ambulauit, expeditèque percurrit domum, ac si numquam pedibus languisset.

Inflata tibia detumescit.

Vtrumq; pedẽ humi trahẽs paruulus erigitur.

XXVII. Isabellam de Peralta pluribus annis ex acri capitis stillicidio cruciabat immanis gingiuarum dolor, pręcipuè è molaribus vnus cum crepuisset medius, nec chirurgis ad eum euellendum ars animusque sufficerent, interdiu noctuque vexabat miseram vt nec dormire nec cibum masticare potuerit. Monitu sui Confessarij dictos pulueres denti, cùm maximè furebat dolor, admouit, & illico dimouit omne tormentum, liberisque gengiuis solida quęque esculenta manducauit.

Acutissimus dentium dolor submouetur.

In

Scriptæ epistolæ inspersus puluis em phasim addit.

XXVIII. In Monasterio SS. Incarnationis Nouitia Ioanna de Vlloa probationis anno prope expleto dolebat anxia se ad solemnem professionem pertingere non posse, eò quòd durus Pater (: qui procul degebat in *Potosì*) cunctabatur circa filię dotem sese resoluere. Sępè Ioanna per litteras monebat Genitorem, vrgebat, instabat lachrymans, sed ille Marpesia caute durior aut responsa denegabat, aut punctum cui respondendum fuerat obscuris inanium verborum ambagibus solertissimè declinabat. Inops consilij Ioanna postremò confugit ad Rosam, inde arrepto calamo cum vltimã Patri scripsisset epistolam, Rosei monumenti pulueres magna fide inspersit paginę, vt si paternum cor exarata illic argumenta non emollirent, pręstaret officium in iectus puluis. Mira res, subitò ex *Potosì* responsum quo suauius desiderari non potuerat, adfuit, dotem & quidquid filia postulauerat, concessit emollitus Pater, longaque dilatione feliciter abrupta monialis, quòd ad solemnia vota emittenda pertigerat, modico pulueri se debere agnouit.

Durũ cor Patris mirabiliter expugnatur.

Breuis epitomę febriũ quas idem puluis abegit. Iosepho de Castro Ioannę de Mendoza, & filiolæ. Didaco de Palomino. Marię Velasquez. Vrsulæ de Feluppa. Franciscæ N. Ioanni de Palomares, & Cõiugi. Item horum filiolo Hieronymo.

XXIX. Porro febricitantes, quos eorumdem puluerum haustus à vitæ periculo interdum extremo reuocauit, hìc sigillatim distinctis paragraphis recensere prolixum foret, sat est summatim & obiter nomina perstringere. Ioseph de Castro confestim vt bibit, noxias cruditates omnes euomuit & valuit. Petri de Vargas cognata Ioanna de Mendoza cum filiola hoc remedio febres abegerunt: eiusdem ancilla dentium acutissimos dolores fugauit: P. Fr. Didacus de Palomino Ordinis Prædicatorum duplicem tertianam depulit, Maria Velasquez vxor Centurionis Didaci Ruiz de Campos febrim continuam vnàque sanguinis fluxum mortiferum euasit; Vrsula de terra *Feluppa* ancilla Marianæ de Sea febrim cum diarrhæa, Francisca ancilla Angelæ de Aguirre tertianam cum inueterato asthmate in termino peremptorio incunctanter proscripserunt. Ioannem de Palomares tertiana cũ asthmate morti destinabat, paulò post eiusdem coniugem à septem mensibus grauidam ideoque pharmacorum iuxta medicinæ canones incapacem idem corripuerat malum cum frequenti vomitu; denique vnico post partum mense filiolum Hieronymum idem morbus stitit in vitæ limine, at successiuè his singulis eorũdem pul-

uerum

uerum haustus repentinã salutem reddidit. Eamdem opem puer Ioannes Ascensius, Virgo Beatrix de Zuniga, adultus Antonius de Vmbela effectu vniformi at locis diuersis cõprobarunt. Quindecenni puellæ Catarinæ Indæ febrilis æstus omnem ademerat sensum, loquelam, & spem vitæ, insuper constrictis mãdibulis aditum cibo intercluserat, ferro ad hiatum os diducendum fuit vt vltimum remediũ puluis è Rosæ tumulo sũptus infunderetur nescienti quid fieret. Postridie summo manè respirans Catarina tot simul malis se ereptam experta & fassa est.

Ioanni Ascensio Beatrici de Zuniga, Antonio de Vmbela. Catarinæ Indę.

XXX. Denique vt multos globatim consarcinando cõpendium & finem faciam, sacramento corã Iudicibus firmauit Ioannes Lobo Presbyter se diuersissimis locis Chuquisaquæ, Potosij, Oruræ, alibi flagitantibus promiscuè omnis ætatis, sexus, conditionis infirmis præbuisse huius viuificæ terræ potum, vnicoque isthoc catapotio palam in omnium conspectu tot fuisse curata languorum genera, tot quotidie febrientes integram valetudinem reportasse domum, vt nimia horum multitudo omnem superarit annotandorum nominum diligentiam, cassumque reddiderit catalogi laborem. Exclamet hìc præ stupore Rex citharœdus: *numquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?* aio, & pergo.

Aliorum languentium turba, quam dinumerare nemo poterat.

CAPVT VI.
& Vltimum.

Rosæ Imagines contactu lepram, apostemata, impetigines abstergunt, arthritidem, hydrocelam, anginam sanant, dentium, stomachi, cranij doloribus medentur.

I. PErfidis nostri seculi iconoclastis hoc Caput capitilauium esto. Fidelibus Peruanis cõmune studium fuit, in prodigiosæ virtutis memoriam passim per ædes Rosæ effigiem habere, nec Limæ dumtaxat, sed toto Re-

Hæretici sacrarum Imaginũ hostes.

gno inualuit vſus nō inutiliter; nam in primis Vidua Aloyſij Nugnez Maria de Vera profluuio, febri, dolore ſtomachi, & lethali vomitu ad ipſum mortis deducta veſtibulum vltimis Sacramentis ad emigrandum ſe parauerat, iudicante Medico in diem poſterum minimè ſuperuicturam. Interea à vicina ſartoris coniuge Mariana Inda (: quæ cum Roſa à teneris educata fuerat) Virginis pictam in tela effigiem petijt, allatam vultui applicuit, oſculis deuotè libauit, demum in eius amplexu dulciter conſopita dum manè expergiſcitur, ſe vndequaque ſanam mirata refectionem petijt, lectoque exilijt, ac imaginem feſtiuiùs deueneratura arulæ ſtratæ decenter impoſuit accenſis luminaribus; nempe credebat hoc deberi tum priuato beneficio, tum communi lætitiæ illius diei, ſiquidem illo manè ſolemni totius Vrbis iubilo in æde Metropolitana publicabantur litteræ Apoſtolicæ, quibus vndique Fideles ad teſtificandum de notis Roſæ prodigijs *compellebantur*. Et ecce imago quæ pallentem Roſę vultum ſemper retulerat, illo momento venuſtè in genis rubuit velut publico ciuitatis tripudio ſerenè congaudens. Accerſitur vnà cum Apollonia coniuge Didacus de Requena, tamque conſpicuo miraculo diu adſtupuit.

Catholici in ijſdem Sanctos & recolūt & colunt.

Mariā de Vera reuocat à vitæ limine Roſæ imago.

Limę promulgātur Cōpulſoriales Apoſtolicę.

Hinc Roſę effigies lætitiam vultu palàm indicat.

II. Simillimum in portu *Callao* eadem die circa aliam Roſæ imaginem accidit: hanc Virgo Petronilla de Quiſano in ędibus centurionis Aluaris de Lugares circumpoſitis lemniſcis ac floribus exornarat, vtpote illa die comparituram in principis Eccleſię pulpito dum ſupradictę litterę *Compulſoriales* collectæ multitudini pręlegerentur. Vſque in illam horam vultus imaginis is erat, qui Roſę in ſuo mortuali feretro pallentis fuerat, ſed repentè exanguis pallor in viuidum colorem ſub oculis ſpectantium tranſijt, omniumque animos hilaritatis ſuę blando fulgore accendit. Pulchriùs tamen eadem tot ęgrorum beneficio vbique immicuit.

Idem S. Imaginis prodigiū in Callao

III. Anno 1631. menſe Decembri nouenni puellę Marię de los Reyes anno prope integro ſanioſa ac fœda porrigo totum vndequaque verticem occruſtarat; remedijs diu in caſſum tentatis demum in Ædem Sancti Dominici adducitur, illic coram lignea Roſę icone procumbens

Fœda capitis porrigo decruſtatur.

lineam

lineam calanticam suo detractam capiti admouit suppliciter Virgineo simulachro, ac rursum capiti imposuit. Post biduum domi Melchiora de los Reyes caput filiolæ detegens nullum in eo reperit impetiginis obduratę vestigium, nitebat sana vndique cuticula, densum fulgebat capillitium, videbatur puella non tam carere porrigine quàm semper caruisse.

IV. Eiusdem anni mense Nouembri aliam Mariam decem mensium infantem orphanam Hieronymus de Soto Aluarado in suis alebat ædibus deformi lepra toto corpusculo horridè maculosam; in ea curanda omnis ars medica desperarat; sed ancilla domestica Bernarda in thaumaturgo Rosæ myrothecio efficax infanti malagma inuenit; in æde S. Dominici siccarum rosarum foliola per ligneam *Rosæ* iconem sparsa collegerat, his domum allatis clam singula leprosæ paruulæ operuit vlcera, sicque diligenter fasciatam in lectulo composuit ad soporem. Manè Hieronymum Bernarda admonuit puellam ab omni lepra mundatam esse. Aduolauit attonitus, nec suis credens oculis teneram Mariam Apostolicis Iudicibus coram exhibuit intuendam, ipsamque in perenne beneficij monumentum deinceps *Mariam de Rosa* appellari iussit.

Infantis lepra abstergitur.

Iudicibus Apostolicis mundata exhibetur ad fidem miraculi.

V. Michaelę de la Massa cum dirum sub brachio succreuisset apostema, chirurgi cantharides intriuerunt; mulier quamquam mordacissimo dolori impar horis non minus xxiv tormento subiacuit; verùm vbi postridie ad eosdem cruciatus redeundum fuit, arrepta chartacea Rosæ imagine (: ex ijs quæ Roma in Peruuiam allatæ fuerant :) dolenti plagæ apposuit, & exinde quidquid acrimoniæ inspergebatur, omni doloris sensu caruit, tametsi pluribus adhuc diebus curę illius acerbitas fuerit continuanda.

Cantharidum dolorifica mordacitas hebescit.

VI. Marianam de Requena opprimebat intolerabilis præcordiorum dolor, cui perpetuus erat fomes ab inordinata quadam mœstitia, sanguinisque melancholici ponderosa grauedine, quam sequebatur & suspiriorum violenta frequentia, & respirandi pœnosa difficultas. Irritum cadebat quidquid subleuandæ molestiæ ingesserat medicina. Donec correptam Rosæ imaginem deuotis osculis dissuauiatam, eamdem arcto complexu adstrinxit cordi.

Imago cordi applicita sistit Cardiagliam.

Reddit spirādi liberam facultatem.

Exinde sensit alijs sibi remedijs opus non esse; nam vnica Rosæ effigies & detergebat inueteratam mœstitiam, & dimouebat cardiagliæ cruciatum.

VII. In Limano S. Catarinæ Senensis Monasterio Soror Angela de Haro continuis tribus mensibus lancinabatur cardiogmo seu conuulsione stomachi, sed cum desperato omni alio medicamine appressit pectori eamdem imaginem, abscessit dolor.

Eidem cedit grauis Cardiaca.

VIII. Seruilis conditionis fœmina Francisca eodem correpta morbo, & insuper febrium onusta auctario rugiebat noctibus, impar tormento: dumque ipso conticinio noctis grauiùs torquebatur, surgens hera detractam parieti imaginem languenti attulit, stomacho superponi iussit, ac Rosæ opem implorauit. Francisca post imaginis amplexum somno obruta cū horis duabus quietissimè dormiuisset, sana euigilauit, nec deinceps hoc malo infestata est.

Idem alteri morbus depellitur.

IX. Sebastiana de Vega aliquando cum marito Doctore Cypriano de Medina Regij tribunalis Aduocato peregrè *Succacaram* profectura dum stapedi insistens sellam nititur conscendere, mula recedente varicauit, ac osse circa inguinem luxato intolerabiles dolores passa est, vt neque in lecto mutare latus, neque robustiori cuiquam operi manum adhibere potuerit. Nocte quadam, acriùs sæuiente ossis cruciatu papyraceã Rosæ imaginem Romæ Superiorum permissu excusã ac inde multiplicatis exemplaribus Peruuiæ importatam sibi ocyus adferri petijt: hanc dum affectu religioso circumplectitur, obdormiscit inter preces, & manè experrecta miraculum subito clamore testata est, marito indicans perfectè se doloribus liberatam esse.

Ab osse luxato immanis dolor.

Admota S. imagine euanescit.

X. Ancilla Elyzabeth Biafora prægna ac vicina partui dispungebatur immani costarum pleuritide, ardebat febribus, cruorem & saniem vomebat ore, & demum à Medicis derelicta ac munita Sacramentis properabat ad mortem cum extremo fœtus maturi periculo. Tandem vt è S. Catarinæ Senensis Monasterio chartaceam Rosæ obtinuit imaginem, tota nocte dolenti lateri obpansam tenuit. Manè redeuntes Medici, vt desperata Matre saltim nasciturae proli quoquo modo si possent consulerent, ancillam

In partu extremè periclitãs mater & proles saluantur.

repe-

reperiunt ſanam, valentem, ciboſque ſibi afferri poſtulantem. Inde vbi vegeta lecto ſe proripuit, tertio poſt die feliciter infantem enixa eſt incolumem.

XI. Anno 1632. Angela de Albildo coniux Franciſci de las Cuentas grauida portabat vtero gemellas, at vbi ventum eſt ad partum die Dominica 16. Maij duabus horis ante meridiem, altera prolium erupit ſola, remanentibus intra puerperam ſecundis vnà cum fœtu reſiduo. Hoc parturienti mortale eſſe muſſitabant circumſtantes fœminæ, iamque maritus vltimum vale-dicturus chariſſimæ coniugi petebat aditum, ſed impeditus planxit foris. Sub hac perplexitate calamitoſa infertur Romanum Roſę ectypon ſed in tela, ſiſtiturque ex aduerſo periclitantis infirmæ, vt commodè ab ea videretur. Vix Angela conceptis mente ſupplicibus precatiunculis imaginem deuotè reſpexerat, cum ſubitò nouis preſſa doloribus partu celerrimo reſiduā ſobolem cum ſecundis effudit in lectum quo iacebat, deficiente ſpatio temporis quo obſtetricem nutu accerſeret. Gemellæ erant filiolæ, ſanæ, formoſæ, corpulentulæ, ac in Baptiſmo Mariæ & Franciſcę de Roſa nomen ſortitę ſunt in beneficij memoriam.

Partus gemellarum interruptus mortē intentat.

Euadit puerpera & vtraq; proles.

XII. Anna Maria filia Viduę Marię Morales onuſtum fœtu mortuo geſtabat vterum, ac priùs ſepultū quàm natum anxia circumferebat. Irruerunt dolores partus, ac proles ſine motu exanimis, frigida, ponderoſa obſtabat naturę conatibus, matremque vltimo vitę diſcrimini pariter implicabat. Sic miſera per biduum ſuis colluctabatur angoribus, lentèque ſe mori ſentiens animum pœnitentię ſacramento expiarat. Iam vultu pallida diſtabeſcebat lethalibus deliquijs, omnis arteriarū pulſus interquieuerat, ſpes vitę exciderat, quando afflicta Mater promptam è ſcriniolo chartam Roſæ effigie ruditer lineatam attulit moribundæ filiæ. Itum deinde in preces & lachrymas, & ecce in momento Anna mortuum puerulum, denique & ſecundas effudit, illicòque diſcuſſo periculo reſpirauit. Fœtus corpore grandiuſculus, cranio molli, pectuſculo flaccido, nigris pedibus iam cœperat membris extremis putreſcere, ac fœtorem exhalabat intolerabilem, extincturus indubiè matrem ni Roſæ imago ſubueniſſet.

Mortuus in vtero fœtus Matrem ad mortē adigit.

Erumpit fœtus, ſaluatur Mater.

Puel-

XIII. Puellam Æthiopissam Mariam nomine in ædibus Didaci de Requena impetuosissimus apoplexiæ defluxus totam à summo deorsum peruaserat, neruis stupentibus brachia & crura immaniter palpitabant, iam à quatriduo loquela exciderat, sensus aberat, ac opinione medicorum vitæ vltima imminebat hora. Sed materfamilias paginam itidem chartaceam cui Rosæ imago inerat produxit, hac faciem infirmæ operuit, simulque Rosæ implorauit auxilium. Et en subitò conquieuit pedum manuumque distorta agitatio, surrexit reddita sibi puella, comedit, totamque morbi vim euanuisse indicauit. Hanc sacræ Imaginis virtutem admirans Didacus eiusdem in se experimentum fecit. Sub dextro poplite dolorificus ipsi obduruerat humor, quo multùm impediebatur gradiendi facultas: igitur illammet Rosæ imaginem dolori leniter imposuit, & ad primum attactum è vestigio se liberum sensit. Didaci coniux Apollonia non alio quàm isthoc simplicissimæ Imaginis cataplasmate stitit mordacissimum capitis stillicidium, quod sibi dentium ferè radices vtrimque eroserat. Eadem moniali Annæ Mariæ à IESV aduersùs diuturnos & acutissimos dentium dolores medicina fuit.

Siccatur gutta apoplectica, cessat tremor.

Curatur obstipum genu.

Fugatur dentiũ dolor.

XIV. In Autumno anni 1630. Franciscus Gutierez Magan Hispalensis presbyter graui coxendicum dolore pressus, dum calidis emplastris nimiùm fidit, irritatum humorem descendere in dextrum pedem coëgit, vbi arthriticum quo laborabat cruciatum vehementissimè succendit; turgebant venæ, rubebat, ardebat tumida & dirè inflammata tibia, vt nec stragulum, nec lodicis tenue operimentum valuerit sustinere: & quia insimul cruenta dysenteria exhauriebat miserum, extrema Sacramenta petijt Medico annuente, nam actum esse de vita vterque persuasum habebat. Flagitauit æger vltimo suo solatio apportari ex S. Catarinæ Senensi Monasterio (: cui erat à sacris confessionibus:) pictam in tela Rosæ imaginem, allatam iussit appendi intra lectuli sui conopeum, & attractis cortinis ita in præsenti effigie absentem Rosã affatus est: Virgo sancta & gloriosa, quæ tantum vales apud Altissimum quo beatè frueris, respice in me, qui si aliud de te numquam

Arthritidis sæuus equuleus

Accessu dysenteriæ accersit mortẽ.

merui,

merui, saltim Genetricis tuæ sum Confessarius, illi vt in Monasterio ad sacrum habitum susciperetur opportunus adiutor fui, illius solemnem Professionem nigri veli benedictione autoraui. Tu ergo Sponsum tuum exora, vt mearum immemor culparum me valetudini qua ipsi queam famulari restituat. His dictis magna vi at robustiori fide vtramque supposuit manum tumenti tibiæ, & veniam præfatus vsque ad picturæ marginem subleuauit ægerrimum pondus; postque breuissimi contactus morulam demisit lentè in culcitram, & (: quod dudum non potuerat) placido sopore per dimidiam horam quieuit. Euigilans hilari vociferatione accitis domesticis pedem fascijs euolutum ostendit podagra, tumore, rubore vacuū, sinistroque pedi nihil dissimilem. Valetudo redierat integra, neque in posterum sæua arthritis Francisco vt antea scipionis vsum imperauit.

Ægri ad Rosam apostrophe

Tangit Imaginē.

Obdormiscit.

Integrē sanus euigilat.

XV. Idem Franciscus patrinus erat Ludouici Cortes filioli Marianæ de Sea. Hunc mense Augusto anni 1631. quinquennem puerum excoquebant febres, exanimabat pleuritis. Adhibitæ vnctiones, phlebotomiæ, cucurbitulæ, clysteres, potiones magis puero obfuerunt, nam inde spuebat ore sanguinem, dolebat costis, auribus, stomacho, iecinore. Intrauit Medicus Franciscus Ximenes, primoq; aspectu indissimulanter paruulum habuit pro deplorato. Superuenit Franciscus Gutierez, allataq; Rosæ imagine præiuit ægro Ludouico verba quibus se Virgini efflictim commendaret. His quanto potuit conatu pronunciatis infirmum dulcis corripuit somnus hora circiter dimidia, quo discusso petijt admoueri sibi propiùs sacram Imaginem, quòd osculo eam cuperet reuereri. Admotam innocenti basio deuotè salutans illico recepit vires, cessauit pleuritis, euanuere febres, ac breui temporis spatio nulla alterius medicinæ ope perfectam recuperauit sanitatem.

Puer febri ac pleuritide ad extrema deductus.

S. Imaginem dissuauiat & salutē libat.

XVI. Catarina de Vera continuis viginti diebus atrocissimos cerebri temporumque sustinebat aculeos vt nec cibum nec somnum valens admittere breui putaretur mortis faucibus immigratura. Hoc Proregis Archiater, aliusque Medicus Rocca sentiebant. Itaque peracta sacra

Sæuis totius cranij tormētis dispūcta.

exo-

exomologesi Franciscum de Coloma presbyterum obnixè rogauit Catarina, tantisper sibi afferret quam domi suę habebat Rosæ effigiem. Attulit, intraque lecti cortinas prope infirmam collocauit. Mox illa vt potuit reuerenter picturam deosculans, dum ei successiuè ceruicem, tempora, vultum admouet somnum (: quo tribus ferè dierum hebdomadibus caruerat) cumque somno dolorum inducias, denique perfectam valetudinem attraxit à sacra Imagine.

S. Imaginis osculo mortē euadit.

XVII. Anna Maria de Torres non secus ac si torrem aut sudem ignitā cranio operiret, affligebatur acutis in capite doloribus: obtenebrabatur oculorū acies, pulsabant accensa tempora, videbatur ardere cœlum, neque mulier sat sui compos remanebat. Nihilominùs premente necessitate ceu conscia periculi hoc sapuit, vt omni alio medicamine omisso in sola Rosæ imagine medelam quæreret. Inuenit, ac præsentaneam quidem, nam vbi ectypon amplexa est capitique applicuit, repentè liberata est.

Capitis dolor cū periculo amentiæ.

vtraq; succurritur.

XVIII. Anna de Herrera quantùm olim incredulitatē obstinata pugnarat aduersùs Rosæ miracula, tantumdem postea explorato in semetipsa beneficio eorumdem tuba & buccinatrix fuit. Diu assueuerat gratias ac quotidiana prodigia quæ ad Virginis monumentum crebrescebant, aut contradicendo eludere, aut spernendo exsufflare. Sed correxit pertinacem nocturna in somnis visio: putabat horrisono terræmotu totā ab imis fundamentis euerti Limam, interque hos pauores vel inuita se Rosæ commendabat præsidio, ac tanta quidem contentione vocis, vt de solo vociferandi conatu fuerit expergefacta. Tum verò patentibus oculis vidit Rosam (: quam ex visis hincinde imaginibus nouerat) in genua procubuam orare pro Vrbis suæ incolumitate. Dehinc Anna in Virginem animęquior, pristinumque errorem deprecata illius se protectioni religiosiùs commisit. Nec diu capillata occasio defuit. A sinistro tempore diuexabat Annam vehemens ac dolorosa defluxio quæ sensim adeo caput obtudit, vt per triduum somni expers de statu mentis se prolapsuram aduerteret, ni Rosa succurrere festinaret. Igitur huius arreptam

Mulier Rosæ miraculis obstrigillās.

Terrifico correcta insomnio.

VidítRosam orantē pro Lima sua ne dehiscat.

Perdendi iudicij periculo eximitur.

tam Imaginem sinistro tempori bis terue induxit, mox in ceruical recidens obdormiuit, ac media nocte euigilans omnem fugisse dolorem comperit.

XIX. De febribus id compertum est, ad Sacræ Imaginis tactum, imò conspectum citiùs abscessisse, quàm fluat cera à facie ignis. Doctori medico N. de Rocca duodennis erat filiola Maria nomine: huic febres & papulæ denunciabant præmaturam mortis sententiam, at eamdem rescidit apportata Rosæ effigies, mox vt sub ægræ conspectum venerat. In *Panamà* P. Fr. Ioannes de Figueroa Ordinis Prædicatorum ex indigestis stomachi putredinibus lethali correptus febri, totius vrbis Medicis desperantibus extrema migrantium Sacramenta piè susceperat, iamque morituri lectulo circumfusi Religiosi signum vltimi agonis vigiles expectabant, vt secundùm Ordinis ritum Deo & Cœlitibus abeuntem animam commendarent. Vno horum suggerente affertur Imago Rosæ ex Prioris cubiculo, quam vt æger aspexit, vt impacto osculo deuotè salutauit verticique reuerenter imposuit, actutum sensit corroborari neruos, redire vires. Mox & sepulchri mirificos pulueres vt cum iusculo ebibit, totius indigesti marcoris corruptam massam simul excreuit, inde febris destituta fomite vltro extincta est quando ægrum extinctura credebatur.

Mortis eripitur faucibus puella febri & papulis oppressa.

Vltimo agoni implicitus Religiosus subitò conualescit.

XX. Alphonso de Yta Monasterij S. Catarinæ Senensis Limæ administratori vxor erat Maria de Aspitia, quam duplici tertiana bullientem Medici extracto quinquies sanguine alijsque præualidis euacuationibus penè exanimarant. Iam infirma cibi somnique incapax ad vltimum vitæ marginem festinabat, sed stitit præcipitem allata ex Monasterio Rosæ effigies, quæ vt iuxta *Aspiciam* aspicienda in lectulo collocata fuit, eodem adnutu prostrauit febres erexit infirmam. Idem Philippo Ægidio tertiana duplici molestissimè aggrauato præstitit chartacea Rosæ imago, sub ipso rigoris paroxysmo capiti trementis imposita In portu *Callao* Licentiatum Ioannem de Quisado cõtinuis xl. diebus torrebant æstuosę febres, neq; ab humanis remedijs spes vlla reparandæ salutis affulgebat. Infertur decumbentis conclaui picta Rosæ effigies, quam Ioannes

Vires nimijs exhaustæ phlebotomijs ad Imaginis aspectum redeunt.

Duplex tertiana repentè extinguitur.

Idem alteri obtingit ab illata imagine beneficium.

vt præuijs deuotis basijs capiti imposuit, pectorique fortiter adstrinxit, febrim extrusit, locumque reduci valetudini statim cedere compulit.

XXI. Claudat historiam ipsa quæ Rosam genuit Maria de Oliua. Hæc pauculis diebus postquàm S. Catarinæ Senensis Monasterium velanda intrarat, tota penè facie in erysipelatem deformiter exarsit; à naso vsque ad dextram auriculam ebullijt inflammatus tumor, inde per caput, & maxillas oberrabat inquieti vlceris velox incendium, cui febris, dyspepsia stomachi, aliaque cognata symptomata facile accesserunt. Sic afflicta per octiduum lecto decubuit, quotidianis tot morborum incrementis haud leuiter adtremiscens. Monasterij Præfecta vt Rosæ matrem amabat tenerrimè, sic febrientis mœsta periculo, dum nocte quadam stipata monialibus infirmam visitat, post dulces affatus sensim de apportanda Virginis benefica imagine quæstionem interiecit. Nec ægrè assensit ægra, quin adductam lecto exciperet. Digressæ Moniales post horæ dimidium redierunt, videruntq; Mariam dulci sopore vinctam, at simul copiosissimo sudore madidam. Postridie lecto exiliens dum Missæ sacrificio interuentura ad Odæum properat, Præfectæ occurrit miranti ac sciscitanti cur & quò iret, præcipuè autem quì valeret. Hìc fassa est Maria sibi dissuauiata pluries filiæ sacra Imagine obrepsisse somnum, at sub noctis gallicinio vigilem innatasse sudoribus; hinc tentato pulsu deprehendisse febrium absentiam, denique per faciem ducta manu nullum adusti tumoris palpasse vestigium, iamque se integerrimè valere, & viuaciter esurire.

Rosæ mater erysipilę ardoribus torrida.

Sacrã filię Imaginẽ admouet.

Morbus in sudorẽ resolutus defluit.

XXII. Aliud. Eidem Mariæ de Oliua iam velatæ angusta inter reliquas Nouitias obtigerat cellula, & hanc insuper sat incommodè occupabat ingens lecticæ ligneæ catasta ad modum armarij, quàm optabat à pauimento altiùs subleuari & quatuor hypostylijs imponi, vt subtus caperet tres grandiores arcas, quæ cellulam aliàs reddebant multò angustiorem. Verùm & machinæ pondus obstabat ne fœmineis viribus attolleretur in hypostylia, & lata subiectæ crepidinis spõda, ne saltim loco quem semel insederat moueretur. Promiserat Isabella de Cataño Nouitiarũ Magistra,

Eadẽ suæ cellulę angustias laxare conata.

Impeditur lecticę pondere.

gistra, se proxima quaque die curaturã vt intromissis quatuor robustis mancipijs super dispositos lateres attolleretur moles, & laxaretur tam Mariæ quàm cellulę importuna angustia. Verùm præuenit decennis ancillulæ pia diligentia, nam videns nouitiam Mariam iugiter affligi, ea ad Chorum cum ceteris digressa manum audacter admouit operi, & Rosæ opitulante effigie perfecit.

XXIII. Redijt à Choro Maria, vidensque machinam appositè eleuatam, & arcas sub ea commodissimè dispositas, obstupuit, capere non valens cui in toto Monasterio ad talia breuissimo tempore peragenda sufficere vires & animus potuerint. Agnes(: id ancillulæ nomen erat:) liberè se solam peregisse totum professa est. Accurrunt moniales curioso spectaculo, iubetur edicere puella, rem tantam quibus tandem viribus effecerit. Respondit: ibidem se priùs ante pendulam Rosæ imaginem procubuisse in genua, postulasse auxilium & robur, demum se lecto qui cum catasta mouendus erat reuerenter imposuisse imaginem, mox facili conatu in partem retracta machina se quatuor illis locis ordinasse lateres, & deniq; in Rosæ nomine dorso fidenter subiecto ligneam ijs molem imposuisse, quam dum attollebat, putasse non grauem machinam sed leuem paleam se portare.

Imbellis Ancillula totam sola attollit molem.

Sed Rosæ imago vires dederat.

XXIV. Mirabantur attonitæ moniales sub sacræ Imaginis valido præsidio id vnicam potuisse decennem puellam, quod vix quatuor robusti baiuli credebantur sine sudore præstituri; sed creuit admiratio, quando Nouitiarum Magistra (: quæ iuxta in suo cubiculo, reliquis ad chorum euntibus remanserat:) affirmauit, se vigilem sub tanti operis vicino molimine strepitum ne minimum quidem percepisse in tam alto dormitorij silentio. Rogauerunt Agnetem adstantes, denuo ipsis præsentibus tentaret vires suas, num eleuandæ machinæ sufficerent. Tentauit, sed ac si montem tergore excepisset, conatu irrito ridiculoq; mox lassata destitit.

Onus 4. baiulis dignum.

Submotũ absq; strepitu.

XXV. Fas sit & mihi, hìc desistere, dum tamen apis mellificæ (: Bernardi) verbis mellifluis Rosam alloquar Oliuæ filiam, fauorum matrem: O stirps *Oliuæ fructifera in domo Dei vngens & lucens: fouens beneficijs, coru-*

scans Miraculis, fac nos eius qua frueris lucis suauitatisque participes. O odorifera ROSA, *in æternum ante Dominum germinans & florens, spargens vbique viuificum suauitatis odorem, cuius apud nos memoria in benedictione est, apud Superos præsentia in honore, da canentibus te tantæ plenitudinis participatione non fraudari.* Denique *lætemur & exultemus, quia cœlestis illa Curia ex nobis habet cui sit cura nostri, quæ suis nos protegat meritis, quos informauit Exemplis, Miraculis confirmauit.*

Scriptoris ad Rosam apostrophe.

FINIS.

CLEMENS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

COELESTIS Paterfamilias, cuius natura bonitas, voluntas potentia, & opus misericordia est, vbi ad magnam Diuinitatis Cœnam inuitatos Iudæos se ipsos vt indignos eximentes conspexit, ad vicos & plateas Ciuitatis accersentem hinc indè alios atque alios Conuiuas seruum fidelem transmisit; Verùm nec pauperum multitudine, nec debilium, cœcorum, aut claudorum copia, nec his qui propè, nec his qui longè erant contentus, ad regale epulum, (in quo non pauca sed *omnia parata erant*) & ad Cœlestem domum implendam in vlteriores gentes destinatum Nuncium progredi iussit. Vndique ex Asia, Africa, & Europa Sanctorum Virorum atque Mulierum cuiuscumque ætatis, conditionis, & gradûs agmina collecta fuere; sola esuriens languebat America, nec Domini volentis salutem omnium arcani mysterij conscia, nec Ministri vocantis voces audire valens, donec venit plenitudo temporis, & per Ministros fideles sedentium in tenebris & vmbra mortis auribus vox Patris insonuit, illatumque est Euangelium vltra Indum, & Gangem, & Æquatorem, & per omnes compitorum angulos famelici quæsiti Gentiles, vt in parato Conuiuio pinguium ac medullatorum cum Deo Abraham, Isaac, & Iacob in Regia sua recumberent. Tandem vltra totius antiqui Orbis extremos fines longe lateque vsque ad vltimas Atlantici Oceani metas, & vsque ad extimas Occidentalium Indiarum oras, quæ maris (quod pacificum dicitur) sepiunt immensa littora: iterùm, atque iterùm fideli Seruo, (per quem Prædicatorum Ordo maximo huius S.R.E.Doctore, & prædecessore nostro Gregorio testanre significatur) excurrendum fuit, donec ad Peruuiam perueniret, in quam vnà cum ijs qui Regionem illam felici introitu ac successu Deo & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiecerunt, primus ille penetrauit Ordo, qui singulari huius Sanctæ Sedis Apostolicæ priuilegio Prædicatorum titulo iam diù insignitus fuit, & ante alios Peruuianæ gentilitati Sanctum IESV Christi Euangelium annunciauit, primusque ibi salutiferæ prædicationis verbum suo sanguine obsignando vniuersam illam Gentem ad cœnam Agni prouidi efficaciter inuitauit, cuius voce, labore, & cruore aurifera illa terra exculta ad exhilarandam vniuersæ tam militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ Cœnam inter ceteros Christianæ pietatis illius Regionis flores Deo, Angelis, & Hominibus suaueolentem protulit *Rosam* totius Euangelicæ perfectionis exemplar, & primum ex Orbe nouo in Sanctorum albo reponendum ornamentum; cum enim ad hoc nata & data fuisset, eam omnium impartitor bonorum spiritu sapientiæ & intellectus impleuit, adeòque suæ charitatis igne inflammauit, vt non tantùm odore recrearet, sed etiam fulgore luceret in ea Domûs Dei parte, quæ in tenebris latebat vt

America postremò ad fidem Christi vocata.

ReligioChristiana vsq; ad mare Pacificum propagata.

Ordo Prædicatorum fidelisSeruus cœlestis Patrisfamilias.

Ordo S.Dominici primus euangelizat in Peruuia.

Rosa illius Ordinis filia, prima ex Orbe nouo in albu m Sanctorum relata.

vt quasi Stella matutina in medio nebulæ; quasi Luna plena in diebus nostris, & quasi Sol refulgens in perpetuas æternitates splendesceret.

Æquum igitur, & summoperè rationi consentaneum indicamus, vt quam Dominus Noster IESVS Christus, (cuius vices in terris gerimus) singulariter in dilectissimam à se Sponsam assumptam monilibus, & Coronis suis ornatam demonstrare dignatus est, Nos quoque pro muneris nostri in vniuersa Ecclesia debito: (cui licet immeritò præsidemus) vt Venerandam à Deo præelectam, Sanctamque colendam Apostolica autoritate decernamus, vt à Solis ortu vsque ad occasum omnis lingua, & omnes populi confiteantur, quòd Magnus Dominus in omnibus operibus, & laudabilis valdè in mirabilibus suis, quoniam etiam in diebus nostris non defecerunt misericordiæ eius super nos; & licèt paternè culpis nostris exigentibus corripiat, non tamen in perpetuum obliuiscitur, sed in angustijs nostris multiplici nos electorum & amicorum suorum præsidio custodire non desinit, qui meritorum & suffragiorum suorum patrocinijs nos muniant, & defendant, vtque Christi Domini fideles intelligant, quàm sit eximium hoc pietatis exemplum, quod in nouo Orbe in præsentibus calamitatibus & periculis toti illuxit Ecclesiæ, illustriora eius charismata, virtutes, & gesta ex multis Magnalibus, quæ contulit illi Dominus his nostris litteris proponenda duximus, vt eius Sanctitas Apostolicæ huius Cathedræ testimonio comprobata in vniuerso Mundo perpetuò magis illucescat.

Rosa in Sponsam à Christo electa.

Rosæ Sanctitas Apostolicę Cathedræ testimonio comprobata.

Limæ, quæ est Meridionalis Americæ in Regno Peruano Metropolis anno à reparata salute 1586. duodecimo Kalendas Maij Parentibus honestis Gaspare de Floribus, & Maria ab Oliua orta est hæc mystica Rosa in vico Sancti Dominici iuxtà Sancti Spiritûs ædem, & in ipsa solemni Pentecostes die, quam Rosarum Pascha dicimus, Sacro Baptismatis fonte purificata, vt penè videantur omnia fuisse infantis huius futuræ Sanctitatis indicia. Primæuum illi nomen ab Auia Elisabeth fuit, quod postea diuinitus non solùm à Matre propter Cœleste prodigium rosæ in facie eius illicò apparentis, sed etiam à Turibio Archipræsule Limæ dignissimo: (non absque Cœlesti, vt creditur afflatu) in Sacri Chrismatis vnctione in Rosæ nomen commutatum, & à Deipara Virgine agnomine *à Sancta Maria* auctum fuit, vt hoc etiam testimonio abundantiùs comprobaretur, eximia Sanctorum merita à Deo nomina sortiri.

Rosæ natale solũ, ortus, parentela.

Rosæ nomen ex cœlesti prodigio.

Eiusdem agnomẽ datum à Beatissima Virgine.

Infans sæpè visa est humi iacens fixis ocellis iucundè Cœlum intueri, quasi iam peregrina in terris, in Ciuem Cœlestis Hierusalem eloquenti silentio (quo ex tunc prædita erat) adscribi postularet, iamque pupula intelligens meliorem esse patientem viro forti, suauis, lepida, & serena semper apparuit, nec vnquam vagitibus, aut voce querula ædium audita est turbare silentium, auersata solùm in publicum efferri. Ea fuit teneris in annis constantia, vt diros Chirurgi cruciatûs in pollice, aure, & naribus sine querela, & capitis pœnalem corrosionem ex impositis ad medicamen pulueribus ortam sine querela inuicto animo sustineret, vt eius indoles iam ex tunc patientiæ nata esse crederetur.

Rosæ infantia, quieta indoles, cõstantia in cruciatibus.

Vix quinquennis erat cum à Spiritûs Sancti vnctione interiùs edocta, Virginitatir votum emisit, & ex fratris admonitu vanitatis seculi conscia facta ipsamet sibi comas ad viuam vsque cutem inscia Matre præscidit, ne quid funium superesset, quibus aduersùs deuotam puritatem aut traheret, aut traheretur ad nuptias; Insignem illam Heroinam Catharinam Senensem æmulata, quam sibi in ipso rationis diluculo in Sanctitatis exemplar, & magisterium delegerat, quam subindè *Magistram* appellare non destitit. Addidit in præsidium primo alterum perpetuæ à carnibus abstinentiæ votum, quo cautiùs obstrictam Deo Virginitatem custodiret; optimè intelligens sobrietatem docere sapientiam & virtutem, quibus nihil vtilius est in vita hominibus: Quapropter ieiunium adhuc paruula sic seruauit, vt omni se fructuum esu intercederet, quos sibi donatos mox alijs largiebatur. In hebdomarum spatia protrahebat inediam, quæque in puerilibus annis insignem exercuerat abstinentiam, Monialis postea eam sibimet ieiunandi legem indixit, quæ planè supra naturam esset: nam integras Quadragesimas transigebat sine pane, dietim quinis dumtaxat aurei mali granulis in memoriam quinque vulnerum Christi sese reficiebat; septem verò mensium ex Ordinis sui præscripto ieiunium à festo Sanctæ Crucis exaltatæ vsque ad Pascha sic obseruabat; vt non nisi ad vesperam exigua panis vilioris buccella, haustuque frigidæ aquæ sedaret famem. Sæpè, ac præcipuè

Rosaquinquennis votũ emittit Virginitatis.

Imitatrix S. Catharinæ Senensis.

Rosę paruuię mira abstinentia.

Eiusdem adultæ ieiunia supra naturam.

fextis ferijs palatum, & viſcera cruciabat felle veruecino, quod in hunc vſum potabile ſeruabat, vt Chriſti ſui in Cruce ſitibundi guſtaret ſpongiam. Interdùm, vt Matri videretur lautiùs obſonare amariſſima *Granadillæ* folia, vel alias è ſylua extremæ amaritudinis herbas iniectis ad ſpeciem paucis vuarum ſiccarum acinis in pulmentum adhibebat. Quando obedientiæ vi ad Carnis eſum cogebatur, duris ſimptomatibus torqueri viſa eſt, nec quietem primam reparabat, donec ad priſtinam abſtinentiam læta redire permitteretur. Sic denique aſſueta ieiunijs erat, vt eius creberrimis infirmitatibus nullum aliud prodeſſet medicamentum quàm panis, & aqua, ſic enim diuina gratia curat & ſanat.

Ieiunium vnica Roſæ languenti medicina.

Vt loqueretur victorias, mirabilis fuit in Roſa obedientia, tum in ſequendis Diuini Sponſi tractibus, quibus eam per arcanas Sanctitatis ſemitas in vnguentorum ſuorum currentem odorem trahebat, tum in duræ, & rudis Matris præceptis adimplendis, quibus eam ex aduerſo ad ſeculi nugas, & vanos corporis ornatûs impellebat, in tanta enim oppoſitorum mandatorum diuerſitate arte excelluit pluſquàm humana non aberrando, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Obedientia Roſæ ingenioſa.

Hinc nouit in florigero ferto vera filia Hieruſalem iuſſa illud capiti imponere, cælare acum tempora figentem, non ſolùm intuita, ſed imitata verum Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua. Chirothecarum ſuaueolentium in manibus obtemperans admiſit amictum, è quibus aduſtionem veram experta, dùm eas abijcit, vidit promicare flammas, & totum collucere cubiculum. Pellibus ab ipſa genitrice pro reparanda valetudine circumligatis ſummè cruciata ſilens & patiens ſuſtinuit, vitam potiùs quàm obedientiam perdere parata; in omnibus enim, & per omnia à Confeſſarijs Parentum, & maiorum nutibus pendens, mundi & ſui victrix etiam in minimis omnes obtemperantium palmas obtinuit: & quod magis mirandum eſt, etiam vita functa in Cœnobio Sanctæ Catharinæ Luciæ Præfectæ illius obedientiam præſtitit.

Floridam corollã ſibi Roſa vertit in tormentum.

Chirothecę in manibus, Roſæ dum fragrant flagrant.

Obedit etiã poſt obitum.

Sciens etiam Deo, Parentibus, & Magiſtris nunquam reddi æquale, eximijs proſequuta eſt Genitores reuerentia, pietate, & charitate, labore manuum eorum inopiam leuem reddebat, prudens, & prouidens in remouendo quidquid eis ingratum, aut inquietum eſſe poſſet, in pacandis contentionibus, & ſedandis animis mirificè diſcreta. Infirmæ eorum valetudini ſemper promptè & prouidè aſſiſtens & miniſtrans viſa fuit. Ad hoc per ſingulas noctes in operibus elaborandis vigilias protrahebat ad inſtar fortis illius mulieris, quæ de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis; debilis enim, languens, & ſæpè ægrotans, ac orationibus, & alijs exercitijs detenta, aliarum artificum opera, & celeritate, & perfectione, quàm longè ſuperabat: Nec prætereundum, quòd in hac pietate erga parentes curſum vitæ ſuæ feliciter clauſit, Matrem enim præuidens pro ſui obitûs aduentu ſummo mærore afficiendam, Sponſum ſuum enixè precata tantam diuinarum conſolationum ſenſibilem affluentiam ei obtinuit, vt poſtmodùm iureiurando depoſuerit ſe in tam dilectæ filiæ præmatura morte expertam fuiſſe cor ſuum nimis anguſtum, & incapax ad Cœleſtia illa gaudia capeſcenda.

Roſæ pietas erga Parentes.

Noctes in laboribus manuum inſomnes.

Moriens Roſa Matri è cœlo procurat ſolatium.

Humilis Virgo ſibi videbatur nil agere aut pati in Sponſi famulatu, ſe-ipſam redarguebat ſupinæ ignauiæ, vociferabatur ſe indignam communi aere, mirabatur ſe viuam terræ hiatu nondum abſorberi; ad pedes Confeſſariorum lachrymis plena ſingultiebat, minimos quoſque defectûs ita exaggerans quaſi atrociſſimorum ſcelerum cumulatim rea foret, publicas Vrbis, aut regionis calamitates ſuis imputabat demeritis, ægritudines creberrimas, & acutiſſimas acceptabat & amabat, ceù vindices, ac iuſta ſupplicia ſuæ in Deum perpetuæ ingratitudinis, prouocabat in ſe omnia mundi elementa ad vindicias iniuriarum, quas eorum Creatori à ſe illatas querebatur; credebat firmiter, & ita ab omnibus credi ſatagebat, omnium ſe creaturarum eſſe abiectiſſimam, & peſtilentiſſimam, næuum execrabilem infelicis ſeculi, Orbis maculam, humani generis vltimum carcinoma. Hinc ſi deprehenderet de virtutibus ſe tantillùm commendari, cruciabatur miſera, expalleſcebat, diffluebat lachrymis, dehiſcebat illicò ſe mergens in abyſſum humilitatis. Accidit, quòd è vicino ædium conclaui obiter audiret perſonas graues de Roſæ tanquàm abſentis mirabili vita honorificè, ac ſecretò confabulantes: expauit, & adtremuit exanguis virgo, angore, fletu, & mœrore diſtabuit, ac ſe-ipſam duriſſimè obiurgans

Roſa de ſe humillimè ſentit.

Roſa ſuarum laudum impatientiſſima.

gans ter, quater illisit pugnum aculeatæ capitis sui Coronæ, fluxerunt sub velo sanguinis riui, vt acrimonia doloris ingratissimum alienæ laudis obtunderet auditum. Familiaribus suis ingenuè profitebatur humilis Rosa, plectendis suis criminibus haud sufficere communem gehennæ rogum, alium sibi deberi singularem infernum, ac veteri profundiorem, longèque deteriorem.

Ducebatur inter hæc virtutum exercitia à Sponso, tàm ad exteriorem corporis, quàm ad intimam spiritûs solitudinem, vt ibi loqueretur ad cor eius, obsistentibus ex aduerso importunis genitricis conatibus, quibus eam ad connubia terræ parare satagebat, ad quæ non solùm verbis durioribus, sed etiam verberibus impellebatur: sed vicit inuictus Rosæ animus, priùs enim *Cantæ*, vbi cum suis morabatur, per quadriennium semel tantùm à Matre iussa domo exiuit, post exemplo suæ Magistræ rigidiore inedia vultûs venustatem imminuere, veste humili, & despecta corporis agilitatem celare, hominumque prospectum quoad poterat declinare curauit. His sanctis artibus spes omnes nuptiarum elusit, non tamen quamcumque pugnam euasit. In statu enim vitæ deligendo diù multùmque luctandum fuit. Tandem obtinuit vigesimo ætatis anno, vt consentiente Matre cooptaretur palàm in filiam Sancti Dominici, assumpto Sanctæ Catharinæ Senensis habitu, quo candent sorores tertij Ordinis vulgò *de pœnitentia*. Eam namque seuerioris Instituti Sanctæ Claræ primæ Virgines Monasterij Limensis in fundationis sodalem habere totis viribus conabantur. Sanctimoniales postmodum Sancti Doctoris Ecclesiæ Augustini illam iam domo ad hoc egressam præstolabantur sacro hoc amictu, & nec frustra, ni ante Aram Beatissimæ Virginis *Sanctissimi Rosarij* immobilem vis diuina tandiù detinuisset, quoad cœptum itineris propositum retractaret; Vnde cœlitùs admonita Ordinem Prædicatorum esse in Sancta Ecclesia Paradisum voluptatis Diuinæ, in quo ipsa velut Rosa cœlestis ceteris ibi liliorum & rosarum vernantibus plantis socianda & inserenda erat, quod postea ex intimis præcordijs optans petebat, & voti compos facta ante prædictam sibi summè gratissimam *Sanctissimi Rosarij* aram Alphonso Velasquez eiusdem Ordinis tunc à Confessionibus ipsius Virginis dante anno Domini sexto supra millesimum, & sexcentesimum in clara Sancti Laurentij celebritate habitum suscepit. Verùm nec adhuc integra pax; suadebat enim postea Quæstor Gundisaluus vir optimus; qui apud Virginem Rosam sibi concreditam authoritate & domestico imperio plurimùm valebat, reformatam Excalceatarum Virginum Sacri Carmeli Regulam in clauso Cœnobio potiùs subire, quàm inter postremas Sancti Dominici Tertiarias extra septa Monasterij militare, se non tantùm protectione, sed & opera & opibus adiumento futurum pollicebatur, Theologorum Scrutinijs in hac causa anceps sententia stetit, donec ipsa cœlitùs roborata constantissimè statûs religiosi delectum non humanæ sed diuinæ inspirationis opus esse demonstrauit, sibique viuendum vsque ad extremum spiritum sub Sanctæ Catharinæ Senensis magisterio, & tandem futurum tempus, quo ibi Limæ exurgeret huius nominis & Instituti Monasterium, quod prophetico spiritu pronunciatum fuisse, euentus ipse postea comprobauit. His omnibus superatis eò grauior, quò intimior adhuc difficultas emersit; importunè enim se ingerebat in humillima sui cognitione molesta cogitatio, quòd ipsa peccatis sordida illo niueo & sacro amictu nimis esset indigna; nec destitit pugna, donec ante ipsam *Sanctissimi Rosarij* aram in placidissima extasi rapta, & pallens, & rubens, ac splendoribus fulgida apparens, & post sensibus reddita, in iubilum grati animi obtentæ victoriæ erupit. Tantæ molis erat pacificè Seraphicæ suæ Magistræ habitu & Instituto potiri, quam postea sic ad amussim expressit, vt non solùm ab exteris altera Senensis Catharina non sine magno humillimæ Virginis angore animi diceretur, sed & ipsi confessario in lineamentis, gestu, & vultu, sic in illam mirabili diuini amoris methamorphosi commutata appareret, vt iam non similis, sed eadem prorsùs esse videretur.

Oraculum illud diuinum *sponsabo te mihi in fide* etiam cum hac dilecta, & electa Dei eximio priuilegio impletum fuisse dignoscitur, ad quod eam per mirabiles fauores euehere dignatus est. Singularis fuit, quo speciosus forma præ filijs hominum habitu marmorum cædendorum peritissimi Artificis festiuus, & amans in somnis apparuit, vt Virginem illic sponsam quæsiturus. Vbi Rosa in tanti connubij fœdus consensit, arduos ei cædendorum marmorum labores imposuit, & breuem terminum ad perficiendum opus, dum pere-

Rosa vt nubere velit, verbis & verberibus exagitatur.

Rosa habitum Sororum tertij Ordinis S. Dominici præeligit.

Rosa immobilis coram Imagine B.V. de Rosario. Ordo Prædicatorum Diuinæ voluptatis Paradisus.

Discrepãtia Theologorum consilia abrumpit Diuina inspiratio.

Ad aram Sanctissimi Rosarij confirmatur ad gestãdum habitum S.P. Dominici.

Vultus S. Catharinæ Senensis relucet in Rosa.

Christus sub forma Latomi Rosã ad Sponsalitium inuitat.

grè

gre rediret, indixit; erubuit virgo in Sponſi reditu omninò impar ſuis viribus opincium adhuc infectum inueniri, cui dolenti reſerauit ille amplam lapidariam officinam, in qua innumeræ electæ Virgines cædendis & poliendis marmoribus viriliter inſudabant; Sponſas eſſe ex nuptiali veſte & fulgore deprehendit, ſuarum lachrymarum ſtillicidijs ſaxa ad inciſionem emollientes, & vnà cum illis conſimili veſte circumamicta nouit ſe ad tanti ſponſalitij gradum per ardua præparari, his igitur, & eo virginali candore nitens, vt nunquàm nec venialis impuritatis macula eam aſperſam fuiſſe, omnes eius à Confeſſionibus iurati teſtes probauerint; apertiùs ad myſterium ventum eſt. Dominica erat *Palmarum*, cum in ipſo *Roſarij* ſacello in ſui nihil abyſſo demerſam ſic affatus eſt: *Roſa cordis mei, tu mihi Sponſa eſto*. Contremuit Virgo ad dulces tàm diuini Sponſi voces, & ſimul audiuit gratulantem ſibi Deiparam, & dicentem; *en Roſa, quali te dignatur honore meus* hic filius. Inæſtimabiles diuini amoris Theſauri, & connubialia tanti Sponſi maxima in Roſam munera tàm largiter depluerunt, vt ad ea impoſterùm occultanda humilioribus adhuc exercitijs continuò vacando, & de ſe abiectiſſimè ſentiendo, ac in omnibus ſui contemptum ſibi comparandum eſſe cognouerit, & reipſa opere compleuerit.

Roſæ candor virginalis nec veniali vmquam impuritate aſperſus.

Tandem à Chriſto in Sponſam aſſumitur pronuba Virgine Deipara.

His donis aucta, & chariſmatibus cumulata feruentiùs Virago iſta accinxit adhuc arctiùs fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum, deficientibus enim ad ſuæ fidei martyrium tyrannis, & tortoribus, ſe ipsâ fortior, vtriuſque in ſe expleuit miniſterium. Saxa enim, & Cruces quibus paruula vſus flagellorum ignara à Mariana Ancilla ſuarum mortificationum ferè ſola conſcia ad orationem, vel ad hortum pergens onerabatur, in ferreas catenas commutauit, quas aptauit in flagra, quibus ad Sancti Dominici exemplum ſingulis noctibus vſque ad riuulorum ſanguinis copioſam effuſionem, vel pro ærumnis Sanctæ Eccleſiæ, vel pro periclitantis Regni, aut Vrbis Limenſis neceſſitatibus, vel pro compenſandis peccatorum iniurijs, vel pro expiandis defunctorum animabus, vel ad impetranda diuina ſubſidia in extremo agone conſtitutis, cruentam ſe Deo victimam ad eius iuſtam iram auertendam offerebat, horreſcentibus quandoque domeſticis ad tam diros catenarum ictus, quarum vſu interdicto, earum vnâ ſic triplicato ductu lumbos latenter diù præcinxit, vt numquàm niſi maximorum cruciatuum Iſchiadis vi aperiri potuerit, quæ poſtea nonniſi interueniente miraculo ſoluta fuit, cuius anulos poſt Virginis obitum miram & peregrinam ſuaueolentiam ſpirare compertum eſt. Ne qua verò pars innocentis corpuſculi vacaret à ſupplicio, pœnalibus vinculis brachia, & lacertos torquebat, vrticarumque manipulis, ac minutulis ſentibus pectus, axillas, ac latera arctabat, vt ſuo illo inter ſpinas conſtituto omninò configuraretur hæc Roſa. Cilicij poſtea à collo infra genua protendentis aſperitatem acubus permixtis auxit, quo compluribus annis vſa eſt, donec ob frequentem ſanguinis vomitum exuere iuſſa fuit, cuius ſupplicij iacturam alia veſte minori valetudinis damno, ſed non leniori moleſtia compenſauit, ſub ea enim pœna erat ei quicumque motus, ſolæ plantæ ab his doloribus vacabant, quas tamen aut ſaxorum colliſione, aut fornacis aduſtione à cruciatibus immunes eſſe non ſinebat, & quod ferè ſingulare eſt in diuinarum conſolationum affluentia, quibus ſolet ſanctitas etiam in terris abundare, & piorum caro in Deum viuum iucundatur, & exultat, ab eis corpus ſuum alienum, & ieiunum eſſe cogebat. Memor vlteriùs non decere ſub capite ſpinoſo membrum delicatum inueniri, compuncta obtutu piæ Imaginis muto præconio dicentis: *Ecce homo*, primam coronam capiti ſuo ex ſtanno peracutis clauiculis infixit, & per aliquot annos non ſine vulneribus cinxit; cui in maioribus annis ſucceſſit ſecunda nonaginta & nouem aculeis armata, quam in dies diuerſimodè ſemper magis pœnalem arte familiaribus occultam reddebat, eamque nonniſi cum vita dimiſit.

Exinde relictis priſtinis duriora ſibi adhibet mortificationis inſtrumenta.

Roſa pro neceſſitatibus publicis cruenta victima.

Prodigium à catena cinctoria in flagellum aptata.

Cilicium acubus obarmat.

Ad pœnarum cumulum ſibi plantas aduſtulat.

Cauet ne dulcedo ſpiritus in corpus redundet.

Aculeatam ſibi coronam plectit & infigit.

Neque enim videbatur ei Seraphicæ magiſtræ plenè induiſſe habitum, niſi & ſpineam illius aſſumpſiſſet coronam. Huius diadematis triplici actu in Sanctiſſimæ Triadis reuerentiam Dæmonum ſuggeſtiones illicò fugare conſueuerat, ſatis inſtructa tales ſpinas non violare, ſed vallare has Roſas: ſtrati ſui duritiem eam eſſe voluit, quæ ſomnum magis abigeret, quàm conciliaret, ita vt dormituræ idem eſſet lectulus, & equuleus: ceruical aut impolitus truncus, aut lapides in hunc vſum abſconditi, quod cubile præacutis poſtea tegularum fragmen-

Lectulus Roſæ tormento aptior quàm ſopori.

fragmentis, testarumque fractarum triquetris sic impleuit, vt singularum pars mucronata obuerteretur corpori, nec ante se ad somnum componebat, quàm fellis haustu fauces amaricasset, sic floridus erat huius Sponsæ lectulus & Sponso diuino adeò gratus, vt eam quandoque propter hæc pene exanimem visibiliter apparens consolatus fuerit, proponendo ei duriorem, & angustiorem suum lectulum Caluariæ. His artibus somnum suum intra duarum horarum angustias coercuit, & quandoque etiam minus spatij importuno exactori concessit, diurnum enim, nocturnumque tempus sic distribuebat, vt ex vtroque duodecim integras horas orationi seponeret, alias decem labori manuum, quo Parentes sustentaret, impendebat, reliquas duas breui quieti, somnoque deputabat, aduersùs cuius insidias clauum parieti infixerat, cui capillitium, quod ad tegendam coronam reseruarat, strictissimè implicabat, eoque tormento somnolentiam fugans ad preces recitandas vigilias accrescere consueuerat.

A Christo ad tolerantiam animatur.

Nocturno somno vix duas indulget horas.

Æmulata Sanctorum Anachoretarum secessûs, qui in eremi solitudine Christum Dominum receperunt, adhuc infans solitarios domi angulos quærebat, puellarum nugas fugiens, vt sola cum Deo suo delitesceret; grandiuscula ex vmbrosis arborum ramis Oratoriolum cum Altariolo construxit, illucque à mensa, & à lectulo surgens, vt ad orandi asylum properabat. Prouerbium erat: *Hortum adeas si Rosulam quæris*. Domi in cubiculo sola in oratione pernoctabat. Exitus è domo pœnis etiam sibi, vel in pede saxo, vel in oculis mordacissimo pipere indico inflictis vitabat, tolerabilius iudicans excæcari, quàm vanitates seculi prospicere. Pro arctiori recessu non sine magna lucta, & præuio mirabili ostento Deiparæ, & Pueri IESV in *Sanctissimi Rosarij* Sacello, tandem obtinuit à Matre in extremo horti angulo cellulam quinque pedum longitudinis, & quatuor latitudinis, vbi non solùm manuum labori, sed potissimùm collectioni spiritûs, & contemplandi studio vacaret, tantùm ibi solum inesse spatij gaudens quantùm sibi, & Sponso cœlesti sufficeret, in hac felici eremo ascensiones in corde suo disponebat, & supra se eleuata videbatur potiùs extra corpus, quàm in corpore degere. Sub specie stellæ probatæ perfectionis matronæ in visu apparuit. Ciuitati enim Regum qualis dicitur Lima suum debebatur sydus, quod ad Christum Dominum Regem Regum Dux esset: diuinitùs prospectum fuit, vt ibi residens complures distantes Missas audiret, videretque non secùs, ac si corpore præsens fuisset. Innumeri culices hanc Anachoreticam cellulam intrabant, nec tamen vel vnus fuit, qui eam morderet, aut attingeret, esto etiam religiosas personas accedentes hostiliter inuaderent, huiusmodi bestiolas ad Dei laudes pro suo modulo personandas sic incitabat, & mirabiliter regebat, vt Rosa propè attigisse imperium statui innocentiæ reseruatum, & in ea solitudine velut in Paradiso morari crederetur. In huius tugurioli recessu cum sola erat, aut à nemine se obseruari putabat teneriùs simul ac liberiùs Prosa, Versu, colloquijs, & cantu in solemniaquæque Seraphici Amoris laudes erumpebat eo feruore, & impetu, vt audientium corda ad charitatem, & compunctionem ignara commoueret. Ex ipsa Diuini amoris ignita pharetra iaculatorias collegerat in formam precatiunculas, quæ legentibus placuere, & multis vsu profuerunt. His interpellabat verum Deum, & Sponsum animæ suæ lætitiam cordis sui, ac benignissimum IESVM amore illo perfectissimo, quo simul vniuersi Ciues Empyrei eum diligunt se prosequi, & consumi toto corde protestabatur. Aduentante huius sui dilecti in Bethlehem natali cum eum paruulum, & nudum cum inope Matre contemplaretur, piorum operum singulari, ac pretiosa consutura dignas amore infantulo vestes pluriès præparabat, indusioli enim panniculorum temporis, quo delituerat stragulæ fasciæ fimbriarum, & limborum, ac crepundiorum loco substituerat Rosaria, stationes ad Sanctissimam Eucharistiam, ieiunia, coronas Domini, orationes Dominicas, Salutationes Angelicas, Symboli Apostolici recitationes, & plurium aliarum precum, flagellationes, lachrymas, interuentûs Missarum, & Sanctissimæ Communionis sumptiones, quæ omnia frequentissimè repetebat. Hisque Sancti Amoris exercitijs sic animam & cor suum illi sacrauerat, vt tota ipsius, veluti dilectissima Sponsa esset, & nihil sibi reseruaret, quod Sponsus eius omninò non possideret. In connubiali anulo, quem in tanti Sponsi mnemosynon cum ipsius infantis IESV effigie elaborari mandauerat: fratri eius dum in eo delineando incumbit, quamuis

Ingens studium abditæ solitudinis.

Rosę arctissima in Horto cellula.

In ea Matronę cuidam apparet sub stellæ specie.

Missas audit à longa distantia, quasi præsens.

Culicibus Dei laudes imperat.

Rosæ deuotio erga paruulum Iesũ nascentem in Bethlehem.

Mira de Rosę anulo sponsalitio.

tanti mysterij penitùs ignaro pro lemmate diuino instinctu illa eadem Regis Regum sponsalitia verba occurrerunt; *Rosa cordis mei, tu mihi Sponsa esto.* Anulus iste eam ab ipso Christo Domino vim supernam obtinuit, vt eum vir probatæ virtutis attrectans eximias Diuini amoris immissiones, excelsa lumina, & insuetos Spiritûs Sancti ardores vsque ad animæ deliquium expertus fuerit corpore prorsùs immobili, nec nisi anulo deposito potuerit surgere liber, qui sensibiliter in captiuitate tàm sanctæ nuptialis lætitiæ tenebatur. Quòd si tantùm in aliena, quantùm in ipsa Sponsæ anima diuinæ illæ nuptiæ valuerunt?

Rosæ dormientis cor vigilabat in precibus.

Citò peruenit ad orationis gradum vnitivum.

Habitauit igitur hæc amantissima Domini confidenter, & quasi in thalamo tota die morabatur in eo: edocta enim in ipsa infantia interiùs ab ipso feruenter orare, etiam dormiens deprehensa fuit ore diurnas proferre preces, & cor eius in oratione vigilare. Anno ætatis suæ duodecimo eleuata fuit ad sublimem illum contemplandi gradum, quem mystica Theologia *vnitiuum* appellat. Inter manuales labores intellectûs aciem immobiliter in Deum figebat, ita vt nec in vigilia, nec in somno mentis eius oculo Cœlestis Sponsi elaberetur præsentia, quæ ita suauiter occupabat interiores animæ illius vires, vt loquendo cum ipso Deo intus, simul etiam alia quæque necessaria expeditè foris pertractaret. Per horas immota ante aras, nec prætereuntes, vidit, nec ad repentinos strepitûs animum deflexit. A manè feriæ quintæ vsque ad Sabbatum quandoque etiam vsque ad Dominicam sic genibus flexis inuariata mansit, vt nec è pauimento surgere potuisse, syncerè iussa aperuerit. Attributa diuina distributa in numerum centum quinquaginta per decades ad exemplum *Sanctissimi Rosarij* recitando Dœmonibus terrori fuisse cognouit. Familiares ipsius sermones vim orationis vt plurimùm continebant: A canora Auicula excitata ad Dei contemplationem tribus ante prandium horis, & in exstasim rapta ab ea nonnisi ad vesperam se explicuit. Ad orationis, & præcipuè mentalis exercitium proximos allicere studebat. Confessarios exorabat, vt ad eam omni arte pœnitentes inducerent, ipsosque diuini verbi præcones frequentissimè hortabatur, vt ad eius studium, veluti ad magnam aduersùs omnia peccata pharmacopeiam suos Auditores inflammarent, ac piarum meditationum vsum populariter inueherent. Parthenici Rosarij recitationem cum innexa decadatim mysteriorum consideratione, prout Sanctus Dominicus instituerat, singulariter diligebat, eò quòd in ea coalescunt mentalis & vocalis simul orationis affectus, petitiones, laudes, & gratiarum actiones, & plurimis hæc Rosæ incitamenta profuisse re ipsa compertum fuit.

Quandoque biduum immota in continua oratione

Ad cantum auiculæ rapitur in plurium horarum exstasim.

Rosariano Psalterio mirè afficitur.

Cum volucre canoras Dei laudes lternat.

Flectit arbores, inuitando ad Dei profundam venerationem.

Propè obitum per Quadragesimam cum Auicula mirè canora, quæ sole occiduo ante suum cubiculum aduolabat, alternauit Rosa cantica, & laudes Dei quotidiè per horam integram tanto ordine, vt canente auicula virgo sileret, & virgine modulante auicula attentissimè nec pipiret, quin & ipsas insensibiles plantas exemplo prorsùs singulari ad laudes, & ad orationem Dei eo versiculo prolato: *Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino*, inuitauit, & visibiliter sic inclinauit, vt arborum summitates terram attingerent, ac veluti solemni venerationis ritu Creatorem suum adorarent, vsque adeò verum est. quòd is qui adhæret Domino, vnus spiritus est, & ei quoque obediant omnia.

Quid compertum in examine quo Rosæ spiritus probabatur.

Vt probaretur, an spiritus eius ex Deo esset, subtili virorum tùm doctrina, tùm pietate, & spirituum discretione excellentium examini pluries subiecta fuit, ex quo claruit, eius lumina, & dona Diuina fuisse, & ab ipso rationis diluculo nihil ei dulcius occurrisse, quàm de Deo cogitare, & supernis eius beneplacitis inhiare. A duodecimo anno expeditissimè introrsùm eius animam à Domino cum suis spiritualibus potentijs attractam diuinæ pulchritudini inhæsisse; vt nulla re creata à Charitate Christi vnquam separari potuerit, ab infantia ex magno Dei munere faciles ad virtutes propensiones sine passionum tumultu sensisse, à prima Dei notitia repletam fuisse timore Dei, & horrore peccati: nulla re creata potuisse recreari, totum suum leuamen fuisse sentire Deum in anima sua præsentem; Acerbiùs omni iactura, & gehenna ipsa videri ei, si vel ad momentum è conspectu eum perderet: Tunc ex obedientia aperuit, quòd certamen forte dedit illi Deus, vt vinceret, & sciret, quòd potentior omnium est sapientia; Horrendas enim visiones, pauores, & spiritûs derelictiones, quas per quindecim annos summa constantia pertulit, enarrauit, quæ veluti pœnales animarum in Purgatorio lugentium dilationes, & quidem

Annis 15. ariditate spiritus exercetur à Deo.

dem ipsius Inferni typus videbantur, cum nulla ei spes euadendi affulgebat; tunc paruit inter has derelictiones repente in ipso pristinæ vnionis meridie, veluti in Sponsi brachijs se deprehendisse restitutam, sensisse quoddam donum inexplicabile, solidum, & fundamentale, quo videbatur sibi reddita impeccabilis, vt ille, qui dicebat, *quis nos separabit a charitate Christi?* plerumque etiam post illas tenebras apparuisse ei humanitatem Christi Domini, necnon & Sanctissimam Virginem Deiparam, intellectuales etiam visiones, quibus in se præsentiam Dei experiebatur per terminos remotionis, eminentiæ, & causalitatis, aliasque circumstantias explicauit, idque non à libris acceptum, sed Spiritu Sancto interiùs docente assecutam fuisse mirificè innotuit. Mortificationis etiam, & pœnitentiæ exercitia, & in his non suo, sed Confessariorum arbitratu modum constituisse: suarumque virium diffidentiam, fidei ardorem, spei securitatem, diuini amoris incendia sic dilucidè explicauit, vt synceram, ac tutam esse viam, qua hæc electa Dei Virgo incedebat censores disparatis colloquijs, scrutinijs, & censuris vnanimi spiritu, voto, & sententia concluserint.

Post interna desolationis nubila diuinis refocillatur solatijs.

Rosæ spiritum experti Censores approbant.

Spiritu Dei agere, & agi Rosam, vt Dei filiam fuit constans opinio omnium, qui tunc Limæ perfectionis & sanctimoniæ fama celebres erant, eamq; dono sapientiæ abundare. & scientia cœlitùs infusa gubernari iudicarunt; Difficillimas enim de arcano Sanctissimæ Trinitatis mysterio, hypostatica Verbi Diuini vnione, Sanctissimo Altaris Sacramento, profunda prædestinationis abysso, natura gratiæ, ceterasq; Theologicas quæstiones sacrarum literarum Professoribus proponentibus, tàm sublimibus conceptibus, profundis sententijs, & verbis adeò proprijs explicauit, vt laudarent omnes cum Seruatore nostro Patrem Omnipotentem Dominum Cœli & Terræ, quòd tanta sapientibus ac prudentibus abscondita humillimis paruulis & indoctis reuelarit.

Ex infuso sapientiæ dono altissima Fidei mysteria mira facilitate explanat.

Conuersatio huius Virginis magis in Cœlis, quàm in terris erat, & vbicumque Sanctissimum nomen IESV legendo occurrisset, tantisper immorabatur, inde enim amoris ignes in corde sentiebat, & ipse IESVS sæpè amanti Rosæ in paginæ planitie apparuit, eique suaui obtutu abblandiebatur, vt verbum attenta lectione talis animæ dignissimum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, sic etiam cum occuparetur in telæ consutura, puluillo ipsius sæpè quietissimè insidebat, & ad cor huius dilectæ tacitis nutibus loquebatur, omnique gestu suum diuinum protestabatur amorem. Frequentes, & ferè quotidianæ erant huius sanctæ animæ deliciæ istæ, & interdùm moram faciente Sponso querulis vocibus lamentabatur, donec veniret; ludens cum eo, cuius guttur suauissimum est, obtinuit vincens curari à doloribus gutturis; perdens verò, iterùm doloribus cum patientia donata fuit, quæ dum matri obediens narraret, visa est vultu Angelico radiare. Illi iam languenti, & viribus deficienti, omnique humano auxilio destitutæ occurrit idem ipse, qui est adiutor in opportunitatibus & tribulatione, & pretioso vulnerati lateris Myrothecio, eam benignè applicatam ad hauriendam aquam salutis de fontibus Saluatoris illicò ægram sanauit. Ab innocentibus Virginibus visa est cum ipso Iesu sistere, quandoque etiam deambulare, & secretissima miscere colloquia tali cum Maiestate, vt quòcumque pedem fixisset ille, pauimentum fulgenti lumine splenderet, vtque talis Rosa nulli alteri plantæ adhæreret, quàm ei, qui est *Flos campi, & Lilium conuallium*, inuenit basilicum, seu ozimum, quem studiosiùs colebat reseruatum, vt plantam Regiam ipsi Regi Seculorum siccum, & eradicatum, cui de hoc dolenti ipse Christus apparens dixit, se suis manibus illum eradicasse, & proiecisse, vt ipse solus esset eius verus basilicus.

Legendo inhæret dulcedini nominis IESV.

Rosæ dum telas consuit, blanditur in puluillo conspicuus Iesus

Ludus innocens Rosæ cum Iesu. Vincit & vincitur.

Sugit vulneratū Christi latus, & ægra conualescit.

Visa familiariter deambulare cum Christo paruulo.

His ostendit verissimum, quòd in extasi cuidam dixerat, idest se Rosam gestare in intimo sui diuini cordis penetrali, cum sciret vicissim in eius Virgineo corculo se solum tranquillissimè inhabitare.

Intimus Christi in corde Rosæ, & huius in corde Christi incolatus.

Adstitit etiam sæpè Regina Cœli à dexteris eius, ita vt ab vndecimo ætatis suæ anno vsque ad extremum non defuerit ei hoc pretiosum familiaritatis contubernium: in Rosariano enim Sacello ex sedulo ministerio mutua cum illa erat ei conuersatio, eoque honore hanc suam famulam dignata est, vt cubiculariæ ipsi exhibuerit ministeria excitando eam illis vocibus; *Surge ad orationem filia, surge, nam instat hora.* Illique experrectæ se præbebat videndam facie ad faciem, Maiestate decoram, & gloriæ cœlestis Paradisum, exclamanti cum altera Elisabeth: *Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini ad me?*

Virgo Deipara frequenter inuisit Rosam.

Misit etiam Dominus Angelum suum, qui præcederet Rosam, & visibiliter custo-

Tutelaris Angelus adhibit Rosæ instar ephœbi.

custodiret, ac introduceret eam in locum, quem illi parauerat; fuit enim tàm domestica fiducia huius Virginis cum eo, vt habuerit illum non solùm vt amicissimum, sed etiam vt pararium, aut veredarium, quociescumque hora consueta Sponsus non apparebat. Deficiens quadam nocte viribus misit eum ad *Mariam de Vsatigui*, vt nunciaret ei se egere remedio, quod per famulum statim illa transmisit, vidente, & agnoscente hoc à filia per obedientiam Matre.

Domum redeunti fores occlusas reserat Angelus.

Ab eodem etiam ab horti cellula aperiente ipso seras portarum ad genitricis cubiculum incolumis ducta fuit. Alijs etiam Angelis mandauit Deus de illa; Adstiterunt enim propter eius preces cuidam Religioso in periculoso itinere, donec iste in deterius mutatus fuit, cui cum ipsa Virgine de hac derelictione conquerenti reuelauit mysterium, & arcana singularia ipsi soli, & Deo nota, & quæ à tanta distantia solùm ipso Domino, aut Angelo reuelante Virgini innotuisse potuerunt.

De statu Religiosi procul absentis edocetur ab Angelis.

S. Caterinæ Senensis cum Rosa frequens commercium.

Sæpè etiam ex quo fuit ei à Christo Domino data in Magistram S. Catharina Senensis, hæc eam visibiliter conueniebat in terris, præsertim cum eius regulam scrutaretur, adeòque crebra, & amica fuit inter has Virgines conuersatio, vt ex vultu Beatæ Catharinæ in faciem Rosæ transirent lumina, itaut & viuens, & defuncta per oris lineamenta hæc eam omninò repræsentaret; præter innumeras delicias,fauores,officia,& virtutes,quibus ab ea ornata,& aucta fuit.

Rosæ constantia in aduersis.

Probauit Pater Cœlestis inter has spiritualis vitæ delicias hanc suam electam, vt aurum in fornace igne tentationum, afflictionum, persecutionum, & plurium, ac grauium infirmitatum; luctabatur enim quàm frequentissimè cum Dæmonibus, multisque illorum molestijs vexabatur, ex quibus sub tetra specie Molossi vnus eam orantem latratu horrisono terrere, & rabido morsu per solum illam raptans tentauit discerpere, donec clamauit ad Sponsum, *ne tradas bestijs animas confitentes tibi*; aliàs colaphum impegit, quandoque saxum rude in eam librauit, quod solotenus Rosam nec læsam, nec territam prostrauit, libros eius spirituales lacerauit, sub gigantæa mole aliàs hanc inexpugnabilem fæminam tremente cellula corripuit, adeòque contorsit, vt eius ossa comminuta, & nerui distracti viderentur; sed inuictus Virginis animus insaniam huius furentis hostis pluribus horis frustra certantis repressit, & irrisit, donec victoriæ desperabundus euasit. Ad hortum oratura procedens in Angelum lucis transformatum obuium blandè habuit hunc Antagonistam, quæ à nobili fuga victoriam mendicauit, cum de castitate certamen esset, arreptaque ferrea catena acerbissimis ictibus nudas scapulas cruentauit, & inter sanguinis lachrymarumque riuos conquerenti de absentia Sponsi, conspicuus ille ostendit, quòd nisi cum ea ipse fuisset, nunquam victoriam reportasset. A primordijs pueritiæ spirituum discretionem obtinuerat, agnoscebatque docente sua sancta Magistra, quæ olim à Christo Domino hauserat illustrationes à Deo esse, cum in anima sequitur humilitas, reuerentiæ affectus, propriæ vtilitatis cognitio,ordo, & vnitas cordis, & gaudium in Deo. Ex aduerso his oppositas impressiones, timorem, diuisi cordis confusionem, sui complacentiam, & inquietudinem redolere.

Crebra & visibilis lucta cum dæmone.

Tentatur ab hoste in Angelum lucis transfigurato.

Rosa discretionē spirituum edisceit à S. Catarina Senensi.

Ab infantia variè ad patientiam exercetur.

In ærumnis ab infantia fuit, nono enim mense ætatis suæ lacte destituta est, cuius defectus nonnisi cibo valdè inepto compensari potuit: vix fari cœperat cum propter nominis controuersiam virgis cædebatur ab Auia, si *Rosa*, à Matre si *Elisabeth* vocata respondisset; Virginis huius Virtutes, & mortificationes Matri aliud intendenti mera delicta videbantur, quibus castigandis non solùm durissima verba, sed persæpè etiam sæua verbera adhibebat, præsertim cum rutilam cæsariem deprehensa fuit sibi præscidisse. Nec mitiores in eam fuere domestici, quando eius virtutes, & cœlestia dona innotuerunt, vano timore correpti ne cum magno familiæ dedecore, vt de imposturis suspecta ad S. Inquisitionis Tribunal raperetur. Accessit in cumulum tribulationis quorumdam Confessariorum incredula vel oscitantia, vel ruditas, vel inscitia, dum ei conabantur suadere non esse rectum, aut tutum illud virtutis iter, vertigine, vel alia noxia intemperie laborare, illusiones esse, quas ipsa illustrationes diuinas credebat. Suadenti fœminæ precibus impetrare à sua Seraphica Magistra eripi ab his ærumnis constanter renuit; pudebat enim Crucifixi Sponsam, vel per momentum extrà Cruces reperiri, à quibus numquam vacauit; feriatam enim ab exteriori grauior occupabat interior, & cessanti foris persecutioni, ægritudinum agmina succedebant.

Affligitur hinc ab Auia, inde a Matre.

Nec minùs à domesticis.

Quin & ab inexpertis quibusdam Confessarijs.

Recusat ab his molestijs cœlitus liberari.

In

In *Canta* ex dira neruorum attractione per triennium lecto decubuit cruciatu intenso, gemitu nullo; sæpè acutissima eam angina, Asthma, permolesta Ischias, Pleuritis, stomachi, Pericardij, & intestinorum dolores sine numero, & sine lege frequentes conuulsiones inuadebant, Medicis vt plurimum stupentibus, quomodo in tam arido corpusculo vires essent ad perferenda, quæ prosternendo cuilibet robustissimo satis fuissent; Rosa optimè penetrante non tam ab intemperie, quàm à beneuola sponsi manu hæc sibi agonalia festa prouenire, febres ephimeras, ac etiam reliquas contumaciores ispa consuetudine iam penè in iocum verterat. Chiragræ, Podagræ, & Arthritidis morbi frequenter eam occupabant, quos cum inuicta constantia tolerauit. Hæc omnia inter illustriores à Deo sibi collatos fauores recensebat. In sublimi enim, & singulari mentis eleuatione viderat Christum Dominum diuidentem lance ex Cruce facta, gratias, & dona ad mensuram pœnarum, audiuitque dicentem; sine pondere afflictionum, ad gratiæ cumulos non perueniri, vnicam veram scalam Paradisi esse Crucem, nec præter eam superesse aliam, per quam in Cœlum ascendatur.

Multiplices ægritudines velut agmine simul inuadunt Rosam.

Discit à Christo, vnicam Paradisi scalam esse Crucé

Languens, & æstuans Diuini amoris ignibus in nocte orans visa fuit ab alia virgine magnis luminibus coruscans, veluti igniculis per os oculosque euibratis, protestantibus quantum incendium intus ferueret, quod aliàs pluries ea inscia coram diuersis contigisse innotuit. Ceteras virtutes studiosè celauit, magnam Charitatis flammam tegere non valuit, eius enim colloquia, salutationes, & responsa, continuò Diuini amoris memoria condiebantur. Singularum creaturarum ordines ad amorem dulcissimi Creatoris gradatim compellabat, tum ignitis vocibus, tum pulsu citharæ, quem non didicerat, vt omni ritu, & gestu, actuque suo se dilecto ostenderet amantem.

Orans noctu videtur ex ore & oculis ignes iaculari.

Eâdem vi charitatis acta, vt vera sponsa Domini zelauit honorem; irreuerentiam enim Ecclesiarum detestabatur, loquentes ibi otiosè, humiliter & suauiter corripiebat. Domestici cauebant, ne coram ea ineptias proferrent; verebantur enim Rosæ adhuc paruulæ censorium supercilium: immenso gaudio perfundebatur, quoties Dei honorem insigni aliquo successu promoueri videbat, vt accidit in insigni peccatricis conuersione.

Detestatur & increpat confabulantes in Ecclesia

Eodem zelo precibus transtulit in se Confessarij sui febrim, vt Concionatoris officio in percelebri solemnitate fungeretur, quo conualescente torquebat Rosam febris non sua, nec tamen à sermone abesse voluit, febrilem enim ardorem facilè superabat exæstuans diuinæ gloriæ desiderium.

Ne suus Confessarius impediatur à concionando, eius in se febrim transfert.

Obsignauit hanc Dei amoris sollicitudinem dilectæ suæ ipse Christus Dominus hoc insigni miraculo. Anno salutis 1617. decimo septimo Kalendas Maij Rosa vehementiùs amoris diuini stimulis excitata sonorè, & feruidissimè venerabilem Saluatoris effigiem in Oratorio Quæstoris alloquebatur, cum statim totum vultum imaginis guttulæ sudoris operuerunt; conuocati testes arte, & doctrina celebres, qui omnibus seriò expensis censuere supernaturale esse, quod in Icone gerebatur; quatuor horis durauit pium ostentum, cunctis adstantibus admiratione, & sancto horrore stupentibus, cuius sudoris vestigia per aliquot lustra conspicua mansere. Hoc esse tantummodò indicium, quam enixè cupiat Seruator noster ab omnibus redamari testata est ipsa Virgo Rosa Diuini conscia secreti, timentibus domesticis, ne impendentis Diuinæ vltionis præsagium esset. Sudor ille brachio ipsius Rosæ ex Confessarij imperio applicitus, quod antea solo collisum sic grauiter læsum erat, vt Chirurgorum iudicio ex ea parte Virgo manca mansura esset, sanum, & flexibile reddidit stupente Chirurgo, qui pridiè censuerat omnem curam esse vanam cum brachium omninò intractabile appareret.

Ad Rosæ preces guttatim sudat imago Saluatoris

Eiusdem sudoris liquor miraculo sanat brachium Rosæ.

Nondum pueriles annos excesserat, quando eam Confessarij spiritu iam grandem agnoscentes manducandi frequentèr Panem illum Angelorum, qui præbet delicias Regibus, facultatem dedere.

Erat in eius spiritu limpida mundities, nitida innocentiæ puritas, ac robustus deuotionis calor, & nihilominùs cum tanto immaculatæ conscientiæ candore, quoties ad diuinum Epulum accedendum erat, toties summè gemebunda, & lachrymis perfusa Sacramentalem Confessionem præmittebat. Hanc Sacerdotes communicaturi totam flammeam, & vultum ipsius cœlesti, & vehementi splendore radiantem conspexere, quin & Presbytero Sacram Communionem porrecturo videbatur flammescens aperiri clibanus, dum remouebat pal-

Rosæ vultus visus flammescere, quando accedebat ad S. Synaxim.

pallium, vt Diuinam reciperet Hostiam, & vim erumpentis repentini ardoris adeò sentiebat pauidus Sacerdos, vt sæpè manum retraxerit præ subito metu adustionis. Idem experiebatur in se Minister Sacrificantis dum ex more schyphum ablutionis ei porrigebat, vt hoc etiam testimonio probaretur, hoc esse Sacramentum illud, quo Deus ipse venit ignem mittere in terram. Ipsa aperuit, ex Virginea Dei carne diffundi in anima sua mirabilem Cœlestis Agni mansuetudinem, vegetari spiritum suum inusitato robore, instaurari ac refici vires per quamdam veluti nouam transformationem sui spiritus in hoc diuinum alimentum, interea clarere in corde suo placidam altioris sphæræ serenitatem, pacem, temperiem, gaudij immensitatem ex arcta vnione cum Sponso Diuino, fruitionis altitudinem, & spiritualem saporem veræ dulcedinis, quæ nulla prorsùs comparatione explicabilia erant. Sacra Communione refecta, ieiuna vsque ad vesperam, subindè vsque in sequentem diem, quandoque per octauam integram ea sola contenta ab omni alio cibo abstinuit. Veneratio eius ergà venerabile Mysterium fuit adeò eximia, vt semel se accinxerit videntibus alijs ad subeundum martyrium, quod imminere rumor sparserat: defuitque tunc Hostiæ Martyrium, non Hostia Martyrio. Summo etiam cultu prosequebatur Sanctæ Crucis signum vbicumque illud reperisset, ità vt ex plantis horti impressionem illius formaret, quarum vna Proreginæ dono data paulò post exaruit, Rosæ reddita post quatuor dies reuixit, quod totum virtuti eiusdem S. Crucis Virgo tribuit. Erga Imagines Beatissimæ Virginis miro feruebat deuotionis affectu, & maximè circa eam, quæ Augustissimam Rosarij Reginam exprimit, in cuius Sacello habitum sui Ordinis suscipiens ploranti Matri visa fuit blando fauore Deiparæ in Cœlum eleuari. Fama erat Limæ Rosam impetrare quæcumque apud Sanctam illam imaginem postularet. Tranquillitatem cuiusdam Communitatis, in qua inualuerat discordia non sine lachrymis, & aliorum admiratione biduò orans obtinuit, plurimisque alijs ibi dignata fuit fauoribus, alloquijs, & visionibus, quæ in examine obtemperans aperuit.

Effectus S. Communionis in animæ Rosæ.

Post Communionem alios cibos fastidit.

Pro tuenda S. Hostia Martyrio palam se exponit.

Aridam plantam facit reuiuiscere.

Virginem Deiparam Rosa quidquid orat exorat.

Electa vt aptior, & dignior ad exornandum simulachrum Sanctæ Catharinę Senensis, quam vt Matrem ex intimis præcordijs colebat, à lachrymis, osculis, & alloquijs in eo obsequio non cessabat, & miro modo tantæ pecuniæ litterulas accepit, quantùm ipsa pro Veste eius paulò ante optarat, prædixit præsignatam Virgulam nulla fœcunditatis nota tunc turgidam in honorem Sanctissimæ Trinitatis tres flores gariophylorum producturam, quibus Sacram Imaginem condecoraret eo tempore, quo tali florum genere regio illa careret, quod frustra diù quæsitum fuerat, & oraculo correspondit euentus, mirantibus, & diffidentiæ veniam petentibus sodalibus.

Dum vestit statuã S. Catarinæ Sen. in se & alijs mirabilia experitur.

Aliud in trino flore gariophyli.

Adiuuerat eam in hoc munere Euphemia de Pareja, cuius famula Francisca sui infantis nutritia grauiter ægrotabat. Rosa apud S. Catharinam precante, ista depulso periculo ita conualuit, vt postridiè permissa fuerit à Medico nutritias Infanti, quas prohibita fuerat, præbere mammillas.

Aliud in famula Euphemiæ de Pareja.

Franciscæ quoque de Montoya ab eadem Sancta obtinuit, vt sulphuratum missilium ignium crepitaculum, quod vultum petijt, & supercilium impegit, non noceret, esto adhuc resiliens valido ictu alterius fœminæ vestes læserit, & succenderit.

Aliud, in periculo Franciscę de Montoya.

Eadem Rosa anno Domini 1616. mense Augusti, cui post processionem delata fuerat Imago deuestienda, horrenda arthriti in dextera laborabat, quæ immani cruciatu inuaserat articulos omnes, itaut prædicto operi prorsus redderetur inutilis; procubuit ante Imaginem Sanctæ Catharinæ in die D. Laurentij, & breui oratione peracta accinxit se operi, mirantibus adstantibus, Quæstore ipso vidente, manum paulò antè acerbissimè læsam, tunc validam, & agilem; Medico ipso testante euidentiam miraculi, cui beneficio accessit, quòd exindè nunquam in posterum arthritis, manum illam inuasit, quod mirum non fuit ipsi Rosæ, quæ ab ipsa ceu à Matre penè quotidiana ex mutuis consortijs solatia hauriebat.

Aliud in suimet brachij sæua arthridite.

Zelata est etiam pro Domo Dei salutem animarum, ipsa enim charitate, qua verum Christi Domini Corpus mysticum quoque diligebat. Quoties ad interiora Meridionalis Americæ montana oculos vertebat, cruciabatur medullitùs illachrymans perditioni tot Barbarorum, qui inaccessas illas post niuosa iuga valles populabant, sic etiam jugis planctûs materies ei erant quæcumque aliæ infi-

Rosa deplorat infidelium Indorũ perditionem.

Infidelium Nationes. Viros Religiosos; & præsertim sui Ordinis Fratres, quotquot aptos nouerat, ad Gentilium conuersionem hortabatur, & per IESV Christi viscera obsecrabat, vt huic se operi accingerent. Vnius ex suis Confessarijs Missioni deputati animum ad maturandum opus inflammare studuit, & cum eo conuenit, vt medietas omnium fructuum, quos interea ipsa ex toto bonorum operum exercitio se cumulaturam sperabat, ei adscriberetur, & vicissim ille transcriberet ipsi Virgini fructûs conuersionis animarum, quas sua prædicatione in viam salutis erat attracturus. Hoc animo excogitauit inopem paruulum quasi in filium assumere, quem Christianæ vitæ rudimentis imbueret, & pijs eleemosynis ad virtutes, & Sacrarum litterarum plenam instructionem se euecturam sperabat eo pacto, vt is idoneus factus, & Sacerdotio insignitus ad Apostolicas Missiones pro conuersione gentium properaret, vt quod per se præstare non poterat, per alium suppleret; quod nisi immatura morte præuenta fuisset, perfecisset. Pro periclitantibus Christianis, qui per culpam lethalem à statu Diuinæ amicitiæ infeliciter exciderant, nulli lachrymarum sumptui parcebat, & quotidiè cruenta sibi vulnera infligebat, vt his verè miseris vitæ seria emendatio à Deo concederetur. Concionatores ipsos vehementer hortabatur, vt flagitiosas animas ab ima vitiorum charybdi ne perirent, ad securum pœnitentiæ littus toto conatu euocarent,

Ad eorum conuersionem exstimulat Missionarios.

Concionatores hortatur vt Animarum lucro strenuè insistant.

Diuinitùs edocta de prauo desiderio, quo *Vincentius* nomine iuuenis nobili genere oriundus ad eam fictè accesserat, tanta cum charitate corripuit, vt fateretur, se agnoscere Christum Dominum in ea loquentem, & totus mutatus ab illo, qui paulò ante fuerat, fretus & adiutus precibus eiusdem Virginis iuuenilibus desiderijs, & culpis valefaciens sanctam viuendi rationem instituit. Prodigium erat, si qua persona cuicumque vitio obnoxia Rosam accederet, & melior ab ea non recederet. *Mariam de Mesta* impatienti, ac præcipitis iracundiæ pugnaci morbo iam sibimet ipsi ex diuturna consuetudine factam intolerabilem patientiæ, ac mansuetudinis aphorismis sic instruxit, vt ab illa die emendatior, ac mitior visa fuerit: eoque breui in patientiæ gymnasio profecit, vt iam à Deo vltrò plus, ac plus aduersitatis postularet. Religiosum cum mortis angoribus trepidè, ac periculosè luctantem vrentibus scrupulis vexatum sic iuuit promissione suarum precum, & exhortatione, ac sponsione participationis suarum satisfactionum, vt confestim pauor lætæ spei locum cesserit, qui postea salutaribus Sacramentis munitus ingenti salutis fiducia placidum, & serenum spiritum reddidit Creatori, de cuius anima postea Rosa nunciauit, cum ea feliciter, ac benignè agi, iamque illam Regioni lucis adscriptam frui perenni Sanctorum felicitatis refrigerio.

Impuri iuuenis arcanas cogitationes penetrat ac feliciter emendat.

Biliosæ mulieri donum mansuetudinis impetrat.

Religiosum in agone diris vexatum scrupulis exonerat.

Ordinauit etiam Dominus in ea charitatem in corporalibus misericordiæ operibus, quibus proximos iuuare studuit, nam inops hæc Virgo sibimet necessaria subtrahens dispersit, deditque pauperibus, vt enim occultæ cuiusdam necessitati subueniret, octo dierum alimoniam solo pane, & aqua contenta sibi pro egentis subsidio detraxit. Telam à Genitoribus eius pro suis ægritudinum necessitatibus concessam, illicò inter duas Virgines virtute, & genere nobiles extremè tamen egenas, diuisit. Dono dedit Montojæ pauperrimæ Virgini alterum ex pallijs, quæ Mater possidebat, prædicens ei fore, vt alijs nouis loco veteris prouideretur, quod mirabiliter re ipsa, vt Virgo prænunciauerat, euenit. Diuinitus admonita Ioannam de Bobadilla Virginem nobilem, sed derelictam esse, quam vorax sub mammilla cancer torquebat, & tardante remedio exitium minabatur, domi recepit, menstruum locationis sumptum, & medicaminum pretium ei prouidit, & post aliquot menses integrè sanam restituit, hoc vnum dolentem, quòd non posset (obstante fide data) Virginis beneficium in grati animi obsequium ea viuente palam referre. Nihil ei iucundius contingere poterat, quàm si à Matre permitteretur, cuiusque conditionis egenas, aut morbis afflictas mulieres paternis inferre ædibus, vt illic suis manibus assiduè ministraret languentibus; quibus de quacumque re ad victum, & medicamen necessaria exactè prouidere studuit. Inter has mendicas nulla erat, tam intolerabilis aspectu, aut fætore horribilis, quàm Rosa dedignari, vel præ nausea auersari posset. Omnibus medelam, famulatum, & curam afferebat.

Sibimet subtrahit, quo necessitati alienæ succurrat.

Matris pallium donat egenti.

Cancere afflictã, cura, sumptibus, remedijs iuuat.

Languidis in domum receptis assiduè ministrat.

Indignanti Matri propter graueolentiam mucidi putoris à Rosa in vestibus ex cura infirmæ contractam, respondit: *Christi bonus odor sumus*, dum ministramus infirmis. Charitas delicata non est, nec proximum fastidit. Inuicto animo

Christi bonus odor, cum ministratur infirmis.

Stomachi sui nauseam alienæ haustu saniei expugnat.

mo vix imitabile suæ Sanctæ Magistræ exemplum secuta, in ædibus Isabellæ de Mexia nauseam stomachi heroico actu superauit. Nouerat Ioannes de Tineo Almanza Quæstorem Gundisaluum Rosæ precibus, & meritis pluries à grauissimis infirmitatibus liberatum; Ille ex cruciatibus stomachi periculosè ægrotans obtinuit, vt Virgo illa post auditum sacrum decenter associata cum inuiseret; in cuius vultu maiestatem Angelicam intuitus spem indubiam incolumitatis concepit, statimque omnis dolor euanuit, somnus, qui omnino diffugerat, blandè corripuit infirmum (citissimè illa abscessit, vt plausum effugeret) iste verò sanus euigilauit. Vsque ab bruta animalia clemens Rosæ suauitas, & tenera se ostendebat, & iuuabat commiseratio.

Aeger Ioannes de Tineo videt in vultu Rosæ maiestatem Angelicã, & conualescit.

Rosæ misericordia, nec brutis animalibus deest.

Tota huius Sanctæ Virginis spes in Deo erat, qui præuenerat eam in benedictionibus dulcedinis; hinc frequentissimè decantabat Dauidicum illud Sanctis Patribus, & Eremicolis familiare: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Quæsiuit sæpè horum verborum emphasim: sed nullus vnquam profundiorem ei attulit explicationem ea, quam ipsa intimè Deo docente in animo conceperat. Interrogata cur vnicè hunc præ ceteris versiculis amaret? Respondit, totum solatium Seraphicæ Suæ Matris eo contineri, & singulas illius syllabas arcano quodam familiaris in Deo confidentiæ succo turgere, nec suo palato aliud his proprijs verbis sapidius posse occurrere. Cœlitus data fuit ei fiduciæ certitudo assequendi tria maxima munera, æternam videlicet Beatitudinem, perpetuam & nunquam interpolandam Dei amicitiam, & infallibilem ex alto succursum in quibusuis tùm necessitatibus, tùm repentinis periculis. Angebatur quondam innocens hæc anima recogitans pauida formidine prædestinationis suæ arcanum omni animæ tremendum, quam Dominus ad adiuuandum festinus, sic est affatus: *Filia ego neminem condemno nisi volentem condemnari, ex nunc tranquillo animo esto.* Alias in mentis excessu adfuit illi paruulus Iesus purissimæ Genetricis vlnis innixus, eamque blandè alloquens iussit sparsas per solum Rosas in sinnosæ vestis laciniam colligere; inde Diuinus Infans vna petita, & gratanter accepta subintulit; *hæc Rosa tu es, huius prouidam curam mihi assumo, tu de reliquis, vt magis volueris disponito.* His agnouit se teneri in dextra Saluatoris, velut Rosam electam, quam non raperet quisquam de manu eius. De reliquis rosis subitaneum sertum contexens tremendo Iesu capiti imposuit, qui Virgini arridens, eamque benedicens disparuit. Ceteris rosis indicari nouit pias Virgines Limenses, quas post suum obitum in S. Catherinæ Senensis Monasterium colligi oportebat. Eadem vi confidentiæ in Deum à prima ætate Rosa aduersùs qualcumque mortalis vitæ difficultates, & incommoda stetit impauida. Cuius fidem, constantiam, & nutus visi sunt immanes Tauri in extremam aliundè rabiem extimulati revereri, nam aestuantibus quotquot spectabant ad inuictæ Virginis conspectum eminus, & repentè innocentibus parcere didicerunt. Cum enim esset duodecim annorum in quodam Pago obuium habuit ferocissimum Taurum illuc ruentem, & fugam meditantibus his, qui cum ea erant, fixis in Cœlum oculis, dehortata est à fuga; necdum verba finierat, cum ferox animal terrifico mugitu in alias procul personas impetum fecit, Rosa cum suo comitatu incolumi manente, quæ adhuc post periculum pauentes socias monuit, sperandum firmiùs in adiutorium Altissimi, & tunc maximè cum periculi vicinitas omne effugium interclusit. Sic & aliâ vice Taurus alter recta via in quadrigam, qua Rosa vehebatur cum Matre & alijs, cursum librauit, ceteris fugam tentantibus sola Rosa oculis in Cœlum iactis prædixit Taurum vsque ad rhedam non procursurum. Dixerat, & respondit euentus stupentibus vniuersis, non tam reditum Tauri, quàm Virginis animum omni metu superiorem, quæ in summis periculis Cœlesti Sponso occinebat, *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Minor non erat eius fiducia in sperandis à Diuina prouidentia necessarijs vitæ subsidijs. Defecerat olim in paternis ædibus numerosæ familiæ panis, nec erat vnde emerent, illa breui labiorum motu rem Deo commendauit, mox magna fide arcam panariam aperiens plenam azymis, ac saporosis panibus reperit, testante illorum figura peregrina, à domestico panificio non prodijsse. Pernecessarium in Regionibus illis condimentum mel domi omninò defuerat: descendit ipsa in nomine Domini secretissimo instinctu iussa optimè sperare de Dei protectione, cupam inuenit vsque ad summitatem recenti melle plenam tota Domo stupente, eòque magis, quòd nouo prodigio mel Cœlitus datum integris octo mensibus toti familię

Ex versu Dauidico ingens Rosæ solatium.

Certa Rosę fiducia de tribus præclaris Dei fauoribus.

Ob arcanum Prędestinationis aliquando trepidans à Christo animatur.

Rosæ visio singulariter memorabilis.

Ad immanis Tauri fauum occursum perstat impauida.

Iterum in tali periculo apparet Rosæ in Deum secura fiducia.

Inopi familiæ panes à Deo impetrat.

Mellis cupam diuinitus impleri procurat.

miliæ ſat fuit in vſum quotidianum. Infirmabatur Gaſpar Flores Virginis Genitor, mœrens etiam ob quinquaginta librarum debitum, cui præ inopia ſoluendo non erat, triſtabatur perplexa Mater importunitate creditoris augente anguſtias: Filia Templum adit, preces fundit, eique domum redeunti vir planè ignotus occurrit, ſimulque inuolutum ſtrophiolo argentum porrigit, & iubens, præſentem Parentum neceſſitatem illo ſubleuari, ſtatim abſceſſit. Roſa inuolucrum explicante ipſa librarum quinquagena, cuius Pater debitor erat, apparuit, quod Gaſpari narratum inſomnium videbatur, donec filia numos vti acceperat, adnumerauit. Hæc ſunt ſubſidia, quæ Sponſus diuinus Parentibus ipſius ſub ſpecie Cœleſtis lapicidæ huic nouellæ Sponſæ inter paraphernalia, & antidora ſe miniſtraturum olim pollicitus erat.

Patri ob æs alienum anxio pecuniam cœlitus obtinuit.

Teſtimonio etiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod eſt ſpiritus Prophetiæ, fuit illuſtris, nam integro ferè decennio ante fundationem, quandoque per ſymbola, & figuras, aliàs manifeſtè, & in proprio typo non ſolùm fuit illi diuinitùs demonſtratum Monaſterium, quod Limæ ſub Sanctæ Catharinæ Senenſis patrocinio numeroſo Sacrarum Virginum Collegio dicandum erat, ſed etiam primam ibi futuram Monialium Præfectam, & Cœnobij fundatricem *Luciam Guerram à Daga* ex vultu agnouit, ſpiritu ſuo imbuit, & oſculo pacis quodammodo initiauit, dicens ei: *Euge Mater ingenti ſuo te operi Deus reſeruauit*. Ex Virginis ſpiritu hauſit felix Matrona diuinos ſenſus, & religioſi ſtatûs cœleſte deſiderium; Sed obſtabant ſuperſtes Maritus, & numeroſa familia, quos omnes paulò poſt Deus ab hac luce euocauit, necnon innumera, & potentiſſima alia fundationis poſt obitum Virginis impedimenta ſuſtulit, duroſque animos olim auerſos ad fauorem pij operis flexit. Quibus ſublatis Lucia ampliſſimis ſuis facultatibus Cœnobium fundauit, dotauit; ac denique ſe-ipſam dedit; cum ſacro velo nomen *Sororis Luciæ de Sanctiſſima Trinitate aſſumens*, ac prima nouelli ſui aſceterij præfecturam geſſit, Religionis ſpirituum mirificè propagauit, demùmque ſanctimoniæ fama celebris obdormiuit in Domino. Ipſa Maria Oliua Roſæ genitrix, quæ antea hoc ei vaticinanti filiæ acerbè contradixerat, Anno Domini 1629. poſt Mariti obitum in nouello Monaſterio ſexagenaria deuotè filiabus Sancti Patris Dominici aggregata fuit, & aſſumpto cum habitu nomine Mariæ de Sancta Maria, eminus poſtmodùm profeſſione optimo fine quieuit. In quo etiam promiſſa Sponſi prouidentia affulſit, carente enim illa dote neceſſaria, vnus ex reſeruatis ab ipſa fundatrice gratuitæ receptioni pro dignioribus, ſed egenis perſonis locus ei obtigit; ceteraque omnia ad amuſſim etiam minima, vt Sancta Virgo prædixerat, euenerunt. Ioannes Villalobos Societatis Ieſu iurata fide teſtatus eſt, ſuo ſe experimento ſpiritum propheticum in ea deprehendiſſe, aperiente illi Virgine arcanum negotium, quod aliter, ac Cœlitùs innotuiſſe non poterat. Simillimum quid cum eadem Antonius à Vega eiuſdem Societatis Vir integerrimus ſibi eueniſſe narrauit. Secretam cogitationem quam nulli vnquam aperuerat, neque apertura erat filia Quæſtoris accuratè ei Roſa recitauit, & ſaluberrima documenta præſcripſit. Mariæ de Meſta Vxori Medori Angelini Pictoris conſilium, quod occultiſſimè inierant de profectione in Hiſpanias commemorauit, ſummam pecuniariam quam pro arbitratu conſtituerant, dixit ambobus ſat eſſe mirante Muliere, & atteſtante plus à Virgine dici non potuiſſe, ſi ipſa amborum colloquio tertia ſtetiſſet. Ioanni Miguel Ordinis Sancti Dominici Limam reuertenti ſeriatim, & exactè narrauit ea, quæ illi in aliena regione acciderant, quæque humanitùs non poterant in Roſæ notitiam perueniſſe; quin & abditiſſimas ſuæmet conſcientiæ latebras Virgini patuiſſe euidenter agnouit. Plurima alia huiuſmodi, ac etiam mirabiliora commemorantur huius Sponſæ Chriſti vaticinia, quibus omnibus correſpondebat euentus, comprobans in eius anima plenitudinem gratiæ, non tantùm ſanctificantis, ſed etiam gratis datæ Spiritum ſanctum inhabitare.

Spiritu prophetico futurum Limæ S. Catharinæ Monaſterium prædicit.

Fundatricē illius diu ante præſignat.

Reſpondet euentus, pluribus impedimentis mirabiliter ſublatis.

Ibidem Roſæ Mater, vt prædictum fuerat, velum ſuſcipit.

Aliorum occultiſſima Virgini diuinitus reuelantur.

Præſcia diei quo ad Sponſi thalamum properare ex hac lachrymarum valle debebat, (quod Matri celare nequiuit) quot annis feſtum Diui Bartholomæi Apoſtoli, quod erat terminus ſuæ mortali peregrinationi conſtitutus, ſingulari deuotionis ſtudio colebat, & in eius peruigilio ſuo non contenta ieiunio, aliquos innocentes pueros, vt ſecum ieiunarent adduxit, in eo etiam poſt eius obitum perſeuerantes, eò quòd ſic à Roſa inſtituti fuiſſent. Triennio ante deceſſum graui morbo decubuit, vt iam extremo funeri matura, & deficiens

Roſa in S. Bartholomæi peruigilio ſe morituram præ noſcit.

cum à Confessario, ac domesticis collachrymaretur, quem intrepida iussit intempestiuum abigere mœrorem, & certum esse tunc se non morituram, quo dicto innotuit sui transitûs terminum diuina reuelatione compertum habuisse. Quin & quatuor ante obitum mensibus Quæstoris Gundisalui vxori atrocissimos suæ extremæ infirmitatis dolores futuros narrauit, & in manifestimum eorum ardentissimam sitim instare prænunciauit. Locum etiam integro anno antea eidem Matronæ prædixerat in eodem cubiculo, in quo mortalitatis debitum persoluit, rogans ne alteri fœminæ præter ipsam, & genitricem suam corpusculum vestiendum, & feretro imponendum committeret. Triduo ante suum extremum decubitum cellam hortensem adijt, & Cygni more exorsa modulos decantando commendabat Deo, & Sancto Dominico genitricem suam, quam desolatam relinquebat. Credidit Mater audiens lusûs esse metricos, sed Kalendis Augusti prophetice ea prænunciata fuisse cognouit. Sub noctis enim medium audita fuit miserè eiulare, & corpusculo super solum extensa rigentibus membris inuenta. Rogata velletne medicum? Respondit, cœlestem. Frigidus stagnabat sudor, & in omnibus membris, & iuncturis arctabatur doloribus, & pœnis, quas olim ei Sponsus in visione ostenderat futuras multò grauiores ceteris omnibus, quas in vita pertulerat. Iussa semel à Confessario, aliàs à Matre enarrare suos dolores, licet omnium ferè ægritudinum vim, & nomina per experientiam cognouisset, hunc tamen non nisi per similitudines candentis ferri tempora adigentis, & pugionis igniti à sinistro latere meditullium corporis transuerberantis, in quo Crucifixi erat expressio, & candentis galeæ caput includentis explicare non potuit, simulque singulos neruos, iuncturas, ossa, ac medullas contundi, resolui, & aruisse dixit, ac denique non habere nomen, nec nosse tormentum, cui eos compararet. Aperuit insuper Confessario, frustrà Medicos in exploranda huius infirmitatis specie laborare, quam nec pulsus, nec aliud extrinsecum signum indicaret, ac proindè non alia, quàm immedicabilis Iobi patientia sibi opus esse, vt quoquo modo singulos Crucifixi Sponsi sui dolores membratim experiretur. Rogauit & obtinuit per aliquot dies solitariam quietem, & silentium, vt intimiùs suos dolores intingeret extremis cruciatibus Crucifixi amoris, cui se membratim confixam in Cruce sentiebat. Augebantur in dies huiusmodi supplicia, vt mirum fuerit eam, tam potenti, varia, & cumulata dolorum caterua, citiùs deficiendo, non succubuisse, sed paulatim resoluebatur, quia gloriosissimum Martyrij genus ei erat lentè, & articulatim mori. Certa enim erat has pœnas æternæ gloriæ pondus in ipsa operaturas; sciebat hunc esse calicem, quem Sponsus biberat, & ipsi, vt Sponsæ miscuerat, ac tandiù ante ei præmonstrauerat, vndè constanter, & iucundè, velut è manu Christi Domini porrectum totum ebibit, blanda, & deuotissima cum dilecto miscebat colloquia, tantùmque cum domesticis Dominum rogauit, ne dolores ei mentis liberum vsum impedirent. Sitis immanissima præ cæteris, vt prædixerat intimè eam cruciabat, nec aquæ potus sitienti dabatur, obsistente Medicorum præscripto, vndè pœnaliter arescenti Virgini hoc etiam cum moriente Sponso tolerandum superfuit clamare: *Sitio*. Propiùs accedente acceptabili tempore, quo Rosa ista è terris in Sponsi Paradisum, depositis mortalitatis exuuijs transferenda erat, pluries aduocatis Confessarijs tenerrimam conscientiam, & semel generaliter de tota vita exomologesi purgauit semper cum pœnitudinis singultibus, & lachrymis, ita vt compuncti audientes mirarentur in sæuissimis cruciatibus non flentem, leuissimas imperfectiones, tàm altè deflere. Triduò ante felicem obitum supplex voce flebili Diuinum viaticum, & extremam petijt vnctionem, delato Eucharistico Epulo instar coruscantis auroræ gratiose rubuit, & gaudio suo impar in altissimam exstasim rapta fuit. Sacerdoti tamen Sanctissimam Hostiam porrigenti, & de more roganti aptè, & expeditè respondit, sic, & alacri omnium sensuum officio oleum infirmorum moribunda accepit, quo potiùs ad triumphum, quàm ad agonem sensit se animari. Sæpiùs etiam coram adstantibus voce clara orthodoxæ fidei professionem emisit, protestans se vt vixerat ita mori Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ filiam, Sacrum sui Ordinis scapulare, vt proprium suæ religiosæ militiæ vexillum, quo Deipara Virgo nascentem Prædicatorum Ordinem insigniuerat, expansum super stragulas videre voluit: Inuisente eam Priore Dominicani Cœnobij Limæ, cui per quinquennium alias suæ

Locum vbi moritura erat, sitimque extremam prænunciat.

Pristinam in horto Cellam vltimò inuisit.

Ingens morborũ series Rosam deducit ad extrema.

Suorum cruciatuũ ardores Confessario iubenti aperit.

Membratim experitur Sponsi Crucifixi dolores.

Christo patienti se placidissimè cõfigurat.

Siti atrocissima vti prędixerat exarescit.

In summis tormẽtis à fletu abstinẽs, in sola Confessione lachrymatur.

Sumpto Diuino Viatico in exstasim rapitur.

Fidei professionẽ sæpius reiterat.

Ordinis Scapulare coram se expandi postulat.

suæ conſcientiæ latebras aperuerat humilibus precibus ab eo obtinuit præ le-
gi formulam exactam, qua iam moriens veniam à Deo exoraret pro omnibus,
qui eam quocumque modo in ſuæ vitæ decurſu læſiſſent, cuius verba voce
ſequebatur Virgo Crucifixum ſtringens, nec ſatiari poterat illis tenerrimis vo-
cibus: *Pater ignoſce illis*. Anima verè tanto Sponſo digna, quæ vt eſſet plenè
Cruciformis Diuinum in Cruce Agnum pro ſuis aduerſarijs extremè deprecan-
tem eſt imitata. A domeſticis Quæſtoris Gundiſalui voce humili, & flebili
orauit condonari, ſi qua in re vlli vnquam nocuerat, lachrymantibus omni-
bus, qui eius innocentiam, & puritatem tot experimentis comprobauerant.
Oblato Chirographo, in quo ſepulchrum apud ſuos Religioſos poſtulabat,
cum omni animi ſubmiſſione, nihil minùs, quàm de ſui corporis cura ſolli-
cita ſubſcripſit. Sponſum rogabat, ne ceſſaret eam exquiſitis ardoribus exco-
quere, donec ei matureſceret in fructum qui eius menſæ inferri mereretur.
Sub hoc fine vitæ crebriora fuere raptuum dulciſſima interualla, in quibus ex-
celſa, & iucunda de ſuauitate Dei, ac læta de Regione Æternitatis libami-
na prægustaſſe innotuit. Vltimam vtriuſque Parentis benedictionem ſummè
exoptauit, eamque venerabunda recepit: Sic & à Quæſtore Gundiſaluo, eiuſ-
que Vxore, quos veluti Parentes coluerat, benedici voluit. Duobus germa-
nis ſuis fratribus inter ſalutaria monimenta parentum curam, & reuerentiam
ſeriò commendauit, ac ſi diceret, vnicuique illorum ad imitationem Crucifixi
Sponſi: *Ecce Mater tua*. Ambas etiam Quæſtoris filias ob innocentiam ab ea
ſummè dilectas, ad virtutes & præcipuè Genitorum amorem, & veneratio-
nem hortata eſt: reliquoſque domeſticos officij, ac Chriſtianæ pietatis admo-
nuit, vt iam non fœmina, ſed Apoſtolus prædicare videretur; à Ioanne de
Lorenzana poſtremo eius Confeſſario paranti ſe in nocte peruigilij Sancti Bar-
tholomæi ad matutinarum officium accedere, ſciens ſibi non ſupereſſe am-
pliùs, niſi quatuor horas, ſupremam benedictionem ex corde efflagitauit,
monens ea ipſa nocte, ineunte feſtiuitate ſe ad feſta ſempiterna abituram.
Quod vultu adeò ſereno, & læto protulit, vt appareret verè Virgo prudens,
& ſapiens in veſtibulo Paradiſi expectans cum lampade, vt dilectus eius Spon-
ſus veniret, cuius in intimo cordis vocantis vocem ſentiens, candelam bene-
dictam nutu petens Crucis ſignaculo frontem, os & pectus communiuit, man-
dauitque ſubtrahi ceruical, vt capite ad nudum lignum inclinato ſentiret in
Cruce ſe mori. Spiritum denique ſuum in manûs Patris commendans fixis in
Cœlum oculis, vt cum Sponſo intraret pronuncians *Ieſus Ieſus Ieſus mecum ſit*;
quietiſſimè expirauit. Hæc verba quemadmodùm illi fuerant in infantia prima
orandi formula, ita his ipſis in ſuæ infantilis innocentiæ teſtimonium decedens
Limæ ad Limen ſupremæ Patriæ euolauit, anno ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo
menſe quinto vix inchoato.

Pro ſuis quondam perſecutoribus dulciter ac inſtanter orat.

Ab aſtante familia demiſsè veniã petit.

A Deo poſtulat augeri ſuos dolores.

Frequenti raptu prægustat felicem Aeternitatem.

Parentum vltimã benedictionem flagitat.

Germanos fratres hortatur ad pietatem.

Item reliquos Domeſticos.

Sibi tantum 4. horas vitæ ſupereſſe prædicit abeunti Confeſſario.

Nudo ligno acclinans caput ſuauiter exſpirat.

Precandi formula quę infanti prima fuerat, eadem poſtrema fuit exſpiranti.

Virgineum Roſæ cadauer cum ſpirare deſijſſet adhuc ex viuido vultûs co-
lore, & rubentibus labijs reſpirans credebatur, donec innotuit haud ampliùs
ineſſe halitum ex applicito ori eius ſpeculo, cuius ſicut fuit hic vltimus vſus,
ſic etiam fuit primus. Repentino prodigio omnes inuaſit arcanus lætitiæ ſen-
ſus, vt Mater ipſa aptans cadauer (ſicut ei viuens filia obtinuerat) & tota
domus hilariter non exequijs defunctæ, ſed nuptiali gaudio intereſſe vide-
rentur; ſic etiam extraneis quotquot aderant intimè, & ſecretè inhæſit iucun-
ditatis ſtimulus. Mendicorum tantummodo Limenſium eiulatibus, & la-
chrymis publicis fuit celebratum hoc funus, conquerente egenorum turba
veram pauperum nutricem, & Matrem fato acerbiſſimo immaturè ſibi ere-
ptam fuiſſe.

Funeris curatrices nuptiali gaudio mirificè perfunduntur.

Soli Matrem pauperum complorãt pauperes.

Viſa fuit Angelorum numeroſa caterua, & ante obitum circa grabatum
decumbentis, & poſt circa feretrum defunctæ alternante concentu feſtiuè tri-
pudiare. Quæſtoris coniux aulam, in qua expoſuerant Virginis corpus, vn-
dique luminoſo illapſu cœleſtis gloriæ totam micare conſpexit. Sic imple-
batur, quod Chriſtus Dominus futurum eſſe reuelauerat, mortem ſcilicet
Roſæ, & ſepulturam eius fore glorioſam. Deuotæ fœminæ ſacrorum hym-
norum ſonoro cantu per vices exultabant, proteſtantes non nænijs, ſed feſtis
ibi locum eſſe debere. Mirabili conſenſu, & occulto inſtinctu maxima ho-
minum multitudo clareſcente iam die impleuit Quæſtoris Palatium. Con-
feſſarij coram feretro in voces iubilationis, & benedictionum erruperunt, te-
ſtantes cunctis baptiſmalem gratiam nulla vnquam lethali noxa ab ea inter-

Angelorum circa defunctę feretrum viſa tripudia.

Conclaue cœlitus viſum ſplendoribus illuſtrari.

Spontaneus Vrbi ad feretrum conſluxus.

 punctam

De Rosæ baptismali innocentia conforme testimonium Confessariorum.

punctam fuisse, sed immaculatam totius vitæ innocentiam, & virginei candoris infantilem puritatem Cœlo ad sequendum Agnum quocumque ierit, intulisse.

Vltrò Clerus & Magistratus ad cō ductum funeris accedit.

Ad exequias vulgata iam fama innumerabilis vtriusque conditionis hominum multitudo conuenit, & pia variorum titulorum sodalitia sponte, & religiosorum Mendicantium Ordines processere. Mox & Metropolitanum Collegium, & Regius Senatus cum omnibus Magistratibus. Sacrum Corpus deferebant insueto honore Ecclesiæ Cathedralis Canonici, succedentibus in hoc munere certatim Religionum Superioribus. Ad Ecclesiæ Valvas visus est vultus Virginis viuidiori & venustiori colore rutilare, vt etiam de hac dictum à Christo Domino appareret, *non est mortua puella, sed dormit*. Visum est etiam à plurimis simulacrum Deiparæ *Sanctissimi Rosarij* luce, & splendoribus coruscare. Quo euulgato plures alij aduenientes, prodigium non solùm eminùs, sed etiam comminùs sic se habere conspexerunt. Certatim omnis ætas, & sexus Coronis, Rosarijs, & quacumque re deuota, quæ ad manus fuisset sacrum Corpus contingere suppliciter conabatur. Resonabat vndequaque Ecclesia valdè ampla continuis vocibus Rosam Beatam, & Sanctam acclamantibus, donec sepulturæ pretiosum depositum mandatum fuit. Post quæ crescente deuota Populi frequentia ob eximia curationum beneficia, quæ in dies crebrescebant solemniores exequiæ celebratæ fuerunt, quibus Prorex & maior multitudo interfuit festiuis applausibus, & publicæ lætitiæ signis, tàm Incolis, quàm Aduenis nouæ Cœlorum Ciui acclamantibus: paulò post instantissimè postulantibus Primatibus Ciuitatis Sacrum illud corpus in locum celebriorem transferendum, decreto Archiepiscopi Limensis extractum, inuentum fuit corruptioni non subiacuisse, & æquè ex eo cœlestem illum odorem prodire, quemadmodùm quando primò repositum fuit. In hac celebritate nemo erat, quem sub virginei cadaueris præsentia recens gestorum memoria medullitùs non compungeret, multis lachrymæ deuotionis fluebant, nomen ipsum Rosæ ab omnibus aperto reuerentiæ signo recipiebatur. Depositum fuit decentissimè corpus à dextera Aræ Maioris, verùm ob copiosam multitudinem offerentium ibi vota, alius locus sacris exuuijs collocandis eligendus fuit, ipsum videlicet Sanctæ Catharinæ Senensis Sacellum. Debebatur enim tàm simili filiæ sinus Seraphicæ suæ Matris ad quietem.

Rosæ cadauer ad Ecclesiam delatū viuido colore rutilat.

Rosariana Deiparæ Imago videtur abblandiri.

Certatim Beata & Sancta acclamatur

Corpus in locum decentiorem translatum apparet incorruptum, & odoriferum.

Rursus transfertur inde ad Sacellum S. Catharinæ Senensis.

In Processu testes 183. deponunt de Rosæ sanctitate.

Intereà Limam peruenere litteræ huius Sanctæ Sedis Apostolicæ, vt ex formula à Congregatione Rituum præscripta examinarentur Testes de vita, & gestis huius Ancillæ Dei, quod cœptum anno Domini 1630. ob multitudinem Testium, qui fuère numero centum octuaginta tres, non potuit absolui nisi in mense Maio anno 1632. Fuère pro visitatione Reliquiarum Rosæ de more deputati inspectores, qui aperta arca lignea repererunt Virgineum Corpusculum post quintum decimum expletum ab obitu annum consumptis indumentis, ossibus integris, & adhuc sicca hinc indè carne obductis, quæ odorem rosarum exhalabant.

Iterum post 15. annos aperto sepulchro spirat roseū odorem.

Maximis signis ostendere voluit Omnipotens Deus, quàm sublimem gloriæ gradum in Cœlis obtineat Rosa, quorum illa celeberrima, & crebra fuère, quæ Cœli, Terræque creationem excedunt, conuersiones scilicet peccatorum, quæ à Deo precibus huius Virginis obtentæ insignes fuerunt, ad solum enim virginei corpusculi contactum in feretro quàmplurimi repentinis compunctionis stimulis ita fuère perculsi, vt statim elatis vocibus detestati fuerint sua scelera, prorumpentes in lachrymosam criminum confessionem, audiente, spectante, & mirante maxima circumstantium turba. Mater Virginis Maria de Oliua coram Iudicibus recensuit, post exequias filiæ complures ad se deuotas accessisse personas, etiam religiosas anteà ignotas liberali subsidio suam egestatem subleuantes, & profitentes se tributa pendere virgini Rosæ, cuius intercessionibus vitæ suæ optimam mutationem debere sciebant.

Ad contactum Virginei cadaueris mutantur in melius diuersi peccatores.

Huius conuersionis varia ex multis exempla.

Bartholomæus Martinez quondam huius Virginis Confessarius ex certa scientia aperuit in iudicio, quemdam profligatæ vitæ hominem, longissima annorum serie sacrilegè frequentantem Sacramenta, Rosæ iam tumulatæ precibus commendatum fuisse, & mox illum sensisse diuinæ gratiæ motionem, qua cor eius liquescens generalem totius vitæ exomologesim amarissimè perfecit, & adeò conscientiam eius timor Domini peruasit, vt postmodùm quoscumque defectus tanquàm pergrandes excessûs eluere festinaret. Constat

etiam,

etiam, duas probrosæ vitæ peccatrices ad Rosæ huius odoriferam famam compunctas iugum impuritatis feliciter excussisse, & in calle virtutis constanter fixisse pedem.

Limenses, & alij in vniuersa Peruana Regione Sacramentalis pœnitentiæ Ministri communicatis indicijs generatim stupuere de tanta mutatione morum in Populo à die, qua Rosa in Sponsi sui Paradiso recepta fuit; Nam certatim fœminæ abiecto vestium luxu simplicioris modestiæ habitum vbique sumpserunt, Regularium claustra cruentis flagellorum ictibus vndiquè pœnitentiam resonabant. Fuitque tàm publicè notum hoc prodigium, vt in Tribunali iureiurando assertum fuerit, à tempore quo Peruuia nostris detecta fuit, nullum vnquàm ibi claruisse concionatorem, qui tot ac tantis stimulis gentes illas ad virtutem impulerit, & tam vniuersalem pœnitentiæ spiritum, & deuotionis incendium excitarit, vt Rosa suis aspectibus, contactibus, & precibus.

Luxum vestium abijciunt fœminæ

Crebrescunt pœnitentium aeres disciplinæ.

Francisco, & Alexandro de Coloma germanis fratribus matertera eras Maria de Xuara mulier opulenta, sed animo implacabiliter in cognatos quàmuis pauperrimos aduerso, & implicato, quorum primus alebat suis impensis sex consobrinas, & duos consobrinos omnes in parua ætate constitutos. Impendebat vtrique necessitas proficiscendi, & relinquendi paruulos in summa egestate. Franciscus Sacerdos erat, Rosæ patrocinium implorat, postridiè Matertera illum accersit, quem toto decem & octo annorum spatio videre abnuerat, consobrinos calamitosos iubet adducere, & aduocato Notario, rescisso priori inofficioso testamento, gratificato Francisco instituit paruulos consobrinos ex asse hæredes, & Rosæ debitæ grates persoluuntur.

Mariæ de Xuara obduratus in consăguineos animus emollitur.

Ludouica Barba audierat à Confessario Rosam vaticinatam fuisse se assecuturam habituur Religiosum Sancti Dominici, quem ipsa horrescebat; diu parui fecit dictum Virginis, imò auersabatur euentum huius Oraculi, tandem Cœlestis religiosæ vitæ inspiratio eam inuasit, Rosæ sepulchrum adijt, ei causam supplex commendat, repentè illius cordi ignitum Sacri habitus Dominicani desiderium immittitur, in numerum Sororum Tertiariarum adscribitur, diuinis solatijs repletur, hoc vnum dolens, quòd tamdiù corde obstinato tantam felicitatem respuisset.

Quæ statum Religiosum diu exhorruerat, prodigiosè mutatur, eumque amplectitur.

Ludouica de Mendoza encomia Sanctitatis huius Virginis nec credere, nec concipere esse vera poterat, aut volebat; repentino angore correpta in manibus, & pedibus summè dolens, sensit, spiritum suum caligine & pauore concuti; euidenter agnouit, ab vnica sua incredulitate hæc prouenire, supplex protestatur se credere, & toto corde fateri, quòd Rosa verè sancta sit, & repentè conquieuit tempestas, & sensit recedere atroces illos paroxysmos.

Virginis Sanctitati incredula castigatur & resipiscit

Præter prædicta spiritualia beneficia multa alia, & insignia miracula in curandis corporibus patrata narrantur, quibus sanctitas, & merita huius virginis satis superque comprobata sunt; ex Processibus enim autoritate Apostolica confectis, & formiter à Sacra Congregatione Rituum discussis referente dilecto filio nostro Decio Cardinali Azzolino huius Causæ Ponente, non solùm constat de fama sanctitatis, & virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus cum annexis in gradu heroico, sed prætereà ex concludentibus probationibus tanquàm ritè, & rectè admissa fuere sequentia miracula.

De Sanctitate Rosæ instituti Processus ritè approbantur.

Maria Sanchez aliàs de Iesu nouennis puella, quæ cum sexennis esset, fortuito in terram prolapsu, ita neruis, & ossibus offensa fuit, vt contractis cruribus, eorumque sensu deperdito, omni prorsùs standi, & ambulandi potentia deperdita, continuò immobilis affixa lectulo per triennium, crescente ætate, magis viribus destituebatur, frustratis omnibus adhibitis naturalibus remedijs, eius Parentes humili corde vouerunt eam in sepulchro prædictæ Virginis ad obtinendam ei salutem per nouenam ponere, & in vltima nouenarij die, dum votum persoluerant, infantula supra sepulchrum statim in pedes surrexit cunctis admirantibus, tàm expeditè deambulans, ac si nunquàm huiusmodi læsionem passa fuisset.

Ex plurimis aliqua Rosę miracula recensentur,

Primum.

Isabellæ Duran apoplexia in paralysim terminata brachium exsiccarat, omnemque illius vsum à quinque circiter mensibus cruciabiliter ademerat, quod ad inutile pondus, & continuos tantummodò dolores gestabatur ab humero prædensis fascijs obuolutum; applicauit illud corpusculo Rosæ iam iam tumulando, mox fascias explicuit, palam clamitans, integerrimè se curatam, pu-

Secundum.

bliceque in miraculi fidem robustè iactauit brachium gestu, motuque expeditissimo, ac si nunquàm languisset.

Tertium. Æthiopi cuidam seruo Didaci de Ayala ex neruorum attractione, & tenaci plica, brachium dextrum, ac manus à pluribus annis denegabant officium. Itaque ad famam defunctæ Rosæ cum reliqua turba penetrauit, in Ecclesiam Diui Dominici, commendauit se Sanctæ Virgini, exporrexit illicò sanatum brachium, illudque in sublime elatum magnis vocibus ostentauit multitudini circumfusæ. Qui seruum familiariùs nouerant, accessere propius gratulabundi, nec dedignati osculis fatigare manum beneficio Rosæ iam patulam, & rediuiuam.

Quartum. Magdalena Chimisso Nobilis Inda (vtporè de stirpe Regulorum Chincensium) ab vmbilico deorsum corporis attractione, ariditate crurium, & pedum, miserè per plures languebat annos, & nonnisi in aliorum manibus huc & illuc poterat deferri; omnibus frustra adhibitis medicamentis in illo deploratæ salutis statu cor erexit ad superna, deuotè se commendauit dictæ Virgini, & eius vestium allatis particulis tetigit partes læsas, atque in instanti perfectam recuperauit salutem, omnibusque admirantibus proprijs pedibus adijt immediatè Prædicatorum Ecclesiam; ibique publicas gratias dictæ Virgini reddidit.

Quintum. Maria de Vera disenteria, febri maligna, dolore stomachi, & lethali vomitu per octo dies laborabat in extremis, susceptis Ecclesiæ Sacramentis se commendauit prædictæ Rosæ intercessioni, cuius amplexa est Imaginem, & statim sana visa est cum totali virium recuperatione, atque è lecto exiliens illicò Altare ornauit, ibique apposuit Imaginem, & ob recuperatam sanitatem gratias egit.

Rosam Clemens IX. Beatarum albo adscribit. Declaratur Peruani Regni principalior Patrona. Apponitur Martyrologio Romano. Extenditur Patronatus ad omnes Indiarum regiones. Superueniunt alia Rosæ miracula.

His igitur, & plurimis alijs signis coruscante per Orbem Rosæ sanctitate & eius exigentibus meritis, felicis recordationis Clemens Papa IX. Prædecessor noster indulsit, vt hæc Dei Serua vbique terrarum *Beata* nomine nuncuparetur, & celebrata solemni ritu eius Beatificatione eam Ciuitatis Limæ, & totius Regni Peruani principaliorem Patronam autoritate Apostolica decreuit, & declarauit, eiusque festum ab omnibus illic degentibus *de præcepto* seruari mandauit, & eius nomen apponi in Martyrologio Romano. Nos quoque videntes eam vbique omnium Populorum solemni plausu deuotissimè honoratam, huiusmodi Patronatum pro omnibus Prouincijs, Regnis, Insulis, & Regionibus terræ firmæ totius Americæ, atque Philippinarum, & Indiarum, fecimus extensum, formatisque autoritate Apostolica Processibus de his, quæ superuenerant, eorumque validitate approbata, & percrescentibus venerationis, & deuotionis Populorum pijs affectibus, nouis ostensis, & miraculis accedentibus, ex quibus post maturam discussionem quatuor admissa fuere; duo scilicet ex processu Suessano, & duo alia ex processu Panormitano.

Primum. Primum. In persona Ioannis Zelilli ab imminenti morte mirabiliter præseruati; hunc enim per quatuor menses oppresserat febris hectica tertiæ speciei, progressa in exquisitum marasmum cum vlcere pulmonis, tussi marcidum cruorem excreante, ac rosione gutturis pariter vlcerati, quibus accesserat febris putrida & maligna; Vnde æger susceptis Ecclesiæ Sacramentis ad extremum vitæ fugientis agonem perductus iacuit sine motu, cessauit arteriarum pulsus, & consona trium Medicorum voce iam in faucibus mortis hærere conclamabatur: Sed implorato Beatæ Rosæ potenti auxilio, modicum pulueris è sepulchro eiusdem Beatæ hausit è cochleari aqua resolutum, & illicò salutem cum pristino vigore integerrimè recuperauit.

Secundum. Alterum in Candida Rossetta, Vexilliferi *Aloysij il secondo de Caruajal* Hispani vxore, cui in præmortui fœtûs miserabili partu nimius pro secundarum emissione conatus per triduum adhibitus vnâ cum illis matricem foras extruserat, quæ deinde frigoribus instar marmoris obduruit, nigra, visuque horrida, & prægrandis: vtpote trium librarum pondere grauis, molestissimo cruciatu sic permansit foris per octennium, donec Beatæ huius (cui impensè Candida se commendarat) Imagine papyracea ventri applicita sensit in continenti ægra, matricem in aluum rediisse: Vnde confestim sana, & robusta lecto exsilijt, ac per domum visa est præ gaudio saltitare.

Alia itidem bina miracula ex Processu Panormitano; videlicet vnum in

sanatione mirabili Fr.Seraphini Puglisi ex Ordine Beatæ Mariæ de Monte Carmelo. Vir iste religiosus maligna febri lethaliter exustus, ac decimo septimo suæ infirmitatis die omninò derelictus à Medicis constanter asseuerantibus, hora quinta, aut sexta noctis proximè insequentis expiraturum, iamque amissa loquela & visu, luctans cum vltimo agone, mox vt opem Beatæ Rosæ toto corde implorauit, eamdem habuit manifestè conspicuam, subitòque valens, incolumis, vegetus cum stupore omnium euasit.

Tertium.

Nouissimum denique in Angela Gibaja, quæ duplici febri tertiana continua, & maligna, cum ingenti capitis, ac stomachi dolore, flatuumque copia per dies 27. dirè excruciata, demùm à Medico palàm conclamata properabat ad mortem, perque sex horarum spatium laborans in agone, hortatu Matris inuocauit opem Beatæ Rosæ, oleoque ex lampade coram istius Altari pendula desumpto in stomachi regione, collo, pectore peruncta, statim & incontinenti pristinæ saluti cum omnimoda fractarum virium reparatione fuit restituta.

Quartum.

Cum igitur iam nihil deesset eorum, quæ Sacrosanctæ functioni Canonizationis huius dilectæ Christi Domini Sponsæ Rosæ necessaria erant, ex Sanctorum Patrum autoritate, Sacrorum Canonum Decretis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, ac nouorum Decretorum præscripto: rogantibus Charissimis in Christo filijs nostris Regina Marianna Regente, ac etiam Carolo II. itidem Hispaniarum Rege, toto Ordine Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici, Regno Peruano, & omnibus Prouincijs Americæ, accedentibus etiam precibus Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Regnorum Hispaniæ, & Indiarum, iustum & debitum esse censuimus, vt prædictam Beatam, quam ipse Dominus de die in diem magis clarificat è Cœlis, Nos quoque venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris; propterea annuimus, vt hodierna die publicè in Sacrosancta Basilica Principis Apostolorum Missæ Sacro peracto eius Canonizatio haberetur, eàdemque die in prædicta Sacrosancta Vaticana Basilica, in qua solemni ritu cum eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & familiaribus nostris, Clero seculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia manè conuenimus, repetitis ter pro Canonizationis Decreto Nobis per dilectum filium Ludouicum tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalem Portocarrero post Sacros hymnos, Litanias, aliasque preces Spiritus sancti gratia ritè implorata.

Vndequaq; aduolant instantiæ pro Virginis Canonizatione.

Rosa in dies magis magisque de Cœlo clarificata.

Proceditur ad solemnem actū Canonizationis.

Ad honorem Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, & fidei Catholicæ exaltationem autoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filij, & Spiritus sancti, Beatorum Apostolorum, ac Nostra, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia existentium consilio, ac vnanimi consensu, Beatam Rosam de Sancta Maria Virginem Limanam, de cuius vitæ sanctitate, fidei sinceritate, & miraculorum excellentia plenè constat, Sanctam esse diffiniuimus, ac Sanctarum Virginum Cathalogo adscribendam decreuimus, prout præsentium tenore decernimus, diffinimus, & adscribimus, statuentes ab Ecclesia Vniuersali quolibet anno die trigesima mensis Augusti memoriam eius inter Sanctas Virgines recoli debere. In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti Amen.

Decretum Clemētis Papæ Decimi.

Statuitur, festum Virginis 30 Augusti quotannis celebrandum.

Eadem autoritate omnibus, & singulis verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis in die festo ipsius Sanctæ Rosæ ad sepulchrum, in quo eius corpus requiescit visitandum accesserint septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxauimus in forma Ecclesiæ consueta.

Concessio Indulgentiarum.

His peractis Deum Patrem Æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum, vnum Deum, vnumque Dominum laudibus, & confessionibus venerati, sacroque hymno: *Te Deum* solemniter decantato peculiari in honorem S. Rosæ oratione precati sumus per eiusdem merita: atque ad Altare S. Petri Apostoli Missam celebrauimus cum eiusdem Sanctæ commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessimus.

Cum

Agunt tui Deo gratiæ pro noua in cœlis fidelium Aduocata.

Cum omni igitur humilitate prò tàm insigni beneficio benedicimus, & glorificamus Deum Patrem Omnipotentem, & cui benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum: assiduis precibus ab eo postulantes, vt per intercessionem Electæ suæ à peccatis nostris faciem auertens misereatur nostri, & respiciat nos quibus ostendit misericordiam suam in medio Templi sui, dum nouum nobis propugnaculum totius Americæ contra antiquas Diaboli insidias, & infidelitatis errores dedit, & omnibus apud Diuinam Suam Maiestatem Protectricem, & Aduocatam concessit ad Sanctæ Ecclesiæ tranquillitatem, fidei Catholicæ incrementum, & Infidelium lumen, & conuersionem.

Ceterùm, quia difficile foret, præsentes nostras litteras ad singula loca, vbi opus esset, deferri: volumus eorum exemplis etiam impressis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eamdem vbique fidem haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc pæginam nostri Decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1671. pridie Idus Aprilis Pontificatus Nostri Anno Primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Franciscus Episcopus Hostieñ Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego F. M. Episcopus Portueñ Cardinalis Brancaccius.
†
† Vldericus Episcopus Tusculanus Cardinalis Carpineus.
†
† Ego Virginius Episcopus Albaneñ Cardinalis Vrsinus.
†
†
†
†
†
†
† Ego Alderanus tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Card. Cybo.
† Ego Fridericus tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Sfortia.
† Ego Benedictus tituli Sancti Honuphrij Presbyter Cardinalis Odescalcus.
†
†
† Ego Aloisius tituli Sancti Alexij Presbyter Cardinalis Homodeus.
† Ego P. tituli Sancti Marci Cardinalis Otthobonus.
† Ego Laurentius tituli Sancti Crysogoni Card. Imperialis.
† Ego Marcellus tituli S. Stephani in Monte Celio Presbyter Cardinalis Santacrucius.
† Ego Io: Baptista tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis Spada.
† Ego Franciscus tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Cardinalis Albitius.
† Ego Octauius tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis de Aquauiua, & Aragonia.
† Ego Carolus tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Card. Pius.
† Ego Carolus tituli Sancti Eusebij Presbyter Cardinalis Gualterius.
† Ego Flauius tituli S. Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Chisius.
†
†
† Ego Iacobus Sancti Pancratij Presbyter Cardinalis Fransonus.
†
† Ego Petrus tituli Sancti Calisti Presbyter Cardinalis Vidonus.
†
†

† Ego

†
†
†
† Ego Carolus tituli Sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis Bonellus.
†
† Ego Carolus tituli S. Susannæ Presbyter Cardinalis Carafa.
† Ego P. tituli Sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Alterius.
† Ego Cæsar tituli Sancti Ioannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Rasponus.
†
†
†
† Ego Carolus tit. S.M. de Aracæli Cardinalis Robertus Vitor.
†
†
†
†
† Ego Iacobus tituli Sancti Sixti Presbyter Cardinalis Rospigliosus.
† Ego Ludouicus tituli Sanctæ Sabinæ Presbiter Cardinalis Portocarrerus.
†
†
† Ego Ioannes tituli Sancti Bernardi Presbyter Cardinalis Bona.
† Ego Camillus tituli S. Mariæ in Dominica Presbyter Cardinalis Maximus.
† Ego Gaspar tituli Sanctæ Pudentianæ Presbyter Cardinalis Carpineus.
†
† Ego Fridericus Sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis Hassia.
† Ego C. Sancti Cæsarij Diaconus Cardinalis Carolus Barberinus.
† Ego Decius Sancti Eustachij Diaconus Cardinalis Azzolinus.
†
†
† Ego Paulus Sancti Nicolai Diaconus Card. Sabellus.
†
†
† Ego Sigismundus Sancti Georgij in Velabro Diaconus Cardinalis Sigismundus Chisius.
†
† Ego Bonacursius Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Bonacursius.

I. G. Slusius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

Loco † Plumbi.

D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Breuium.

INDEX CAPITVM.

MAN-

MANTISSÆ

FINIS.